762672

DEK 140.-

N. 6. 13.

ARIADNA THOMISTICA

THESEUM,

PER

LABYRINTHUM PHILOSOPHICUM,

Suaviter ducens & educens.

SEV

CURSUS PHILOSOPHICUS

IN

SEX TRACTATUS DIVISUS

Atq; juxta

Mentem Angelici Præceptoris, Divi THOMÆ AQUINATIS, succinctè & clarè elaboratus

AUTHORE

Admodum Reverendo Patre PRÆSENTATO

RAYMUNDO ORTZ, Ordinis Prædicatorum, Sacro Sanctæ Theologiæ Doctore, ejusdemq; Professore, & in Studio Generali Viennensi Regente.

Anno à Partu Virginis M. DC. LXXIII.

Cum Privilegio Suæ Sacræ Cæsareæ Majestatis.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Matthæi Cosmerovij, Sac. Cæs. Majest. Aulæ Typogr.

Országos Könyvtári Központ
Nem adható el!
Soproni raktárából

MAR



AVGVSTISSIMÆ ET GLORIOSISSIMÆ CÆLI TERRÆQVE IMPERATRICI, BEATISSIMÆ VIRGINI

Schol. Piam.

Ovar.

MARIÆ,

1740.

FILIÆ DEI PATRIS SACRATISSIMÆ, MATRI DEI FILIJ PVRISSIMÆ, SPONSÆ DEI SPIRITVS SANCTI DILECTISSIMÆ, ANGELORUM DOMINÆ, HUMANI GENERIS ADVOCATÆ AC PROTECTRICI POTENTISSIMÆ,

DOMINÆ DOMINÆ MEÆ CLEMENTISSIMÆ.

AD Te Augustissima Cæli Terræque Imperatrix Virgo MARIA gloriosissima, Ariadna mea Thomistica, tot titulis obligata, quod characteri-

)o(*bus*

bus plena, felicissimo & velocissimo cursu properat, gratam sub auspiciis Tuis beatissimis geniculata petens ascendere in lucem. *Ad Te inquam pauca hæc Philosophica verba, seu abbreviata mea Philosophia currit, quæ* Verbum, *(in quo unico Pater ab æterno semel tantùm locutus, omnia dixit) verbo concepisti, & mirabili Metamorphosi verbum, quod quondam Cæli & Terræ capere non poterant, in utero tuo humanitatis sago indutum & abbreviatum, clausisti, cum quo plenitudinem scientiæ & sapientiæ non solùm veluti Divinitatis Sacrarium continuisti, sed etiam aliis liberalissimâ dexterâ pro amplianda* DEI *gloria vel impetrâsti, vel infudisti. Tibi Glorioſissima Domina, per quam fructum vitæ communicavimus, sese prosternit laboris mei fructus, utpote quem ex hybla Thomistica nunquam collegissem, nisi gratiarum Tuarum splendor accessisset, ingenij-*

que

que mei tenuitatem benedictionis Tuæ rore irrigâsses.

Agnosco Tuas mihi â tota vita mea exhibitas beneficentias. Veneror & millenis laudibus effero, Tuas mihi collatas gratias, quas quò sæpius mente recolo, tutius atq; beatius nihil reperio, quàm sub suavissimo Protectionis Tuæ vivere Patrocinio. Patere igitur Clementissima Domina Clientis Tui infimi, si non pro dignitate Tua præstantem, pro meritis comptam, pro Majestate pretiosam, ex totis tamen cordis visceribus affectuosissimam Ariadnam meam Thomisticam ante Soliũ Majestatis Tuæ accedere, atq; in sinu gratiarum Tuarum, tanquam in beatissima felicitatis meta conquiescere, ut vel sic â Majestate Tua & virtutum radiis illuminetur, â sapientia & scientia condecoretur, â liberalitate & munificentia Tua recreetur. â protectione & fortitudine Tua firmetur, â sanctitate denique

que Tua & amore materno ignem concipiat, quo in Tui vnigenitiq; Tui, quem Virgo ante partum, Virgo in partu, & Virgo post partum perseverans peperisti, desiderium suavissimè inardescat. Quod, si ut spero, fiat, omni tempore de tanta Patrona lætificatus exultabo. Vive fælicissimè conjuncta Vnigenito Tuo Filio, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, atq; resplende super omnes Sanctos in perpetuas æternitates; me verò gratiarum Tuarum favonio hìc temporaliter, ibi autem æternaliter beare non desine, sed ad me infimum Tuum Clientem illos Tuos misericordes oculos clementissimè converte,

Sacratissimæ Majestatis Tuæ

Infimus & devotißimus Cliens

F. Raymundus Ortz, Ordinis Prædicatorum.

LICENTIA

Reverendissimi Patris Magistri Generalis.

Fr: JO: THOMAS de ROCABERTI, S. Theol. Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis & Servus, in Dei Filio sibi dilecto R.^do P. Præsentato F. Raymundo Ortz, Regenti Studij Generalis Viennensis

SALVTEM.

CUm (sicut nobis exponi fecisti) paratum habeas succinctum Philosophiæ Cursum sub Titulo Ariadnæ Thomisticæ, eumque desideres publici juris facere, nos harum serie nostrique Officij authoritate, quantum in nobis est, & servatis de jure servandis facultatem tibi impertimur, dictum opus typis evulgandi, prævia revisione & approbatione Adm. RR. PP. Magistrorum F. Rayneri Pistorij, & F. Matthiæ Truckmiller. Et in fidem his Sigillo nostro munitis manu propria subscripsimus, Romæ, 4. Februarij, 1673.

Fr. Joannes Thomas de Rocaberti.

L. S.

R.^ta *Lit: G. pag. 65.*

F. Leonardus Hansen, Mr Provincialis Angliæ.

PRIVILEGIUM
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS, ET FACULTAS ADM. R. PATRIS PROVINCIALIS.

CUm Sacræ Cæsareæ Majestatis decreto, Viennæ 15. Maij 1666. dato, omnibus ac singulis Typographis, & Bibliopolis, atque alijs quibuscunq; librariam negotiationem exercentibus, sub gravi mulcta seriò prohibeatur, ne quisquam Libros ab Ordinis Prædicatorum Patribus editos, vel deinceps edendos, intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque ac Dominiorum Suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, vel alio characteris genere, aut formâ, sive in toto, sive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi impressos adducere, vendere aut distrahere, clam seu palam, citra testimonium seu consensum supradictorum Patrum audeat vel præsumat: Ego F. HYACINTHUS NEYDECKER ejusdem Ordinis, SS. Theologiæ Magister, per Provinciam Superioris Germaniæ Prior Provincialis, harum serie & authoritate Officij mei, concedo Domino Matthæo Cosmerovio à Monte S. Laurentij, Aulæ Cæsareæ Typographo, & potestatem facio, ut Cursum Philosophicum (qui nuncupatur ARIADNA THOMISTICA, Theseum per Labyrinthum Philosophicum suaviter ducens & educens) ab admodum Reverendo Patre Præsentato F. RAYMUNDO ORTZ, memorati Ordinis SS. Theologiæ Doctore, & Professore Primario in Conventu nostro Viennensi, ibidemque Studij Generalis Regente, compositum, & legitimè censum ac probatum, bono publico Typis vulga-

vulgare possit. In quorum fidem his Sigillo Officij mei munitis propriâ manu subscripsi. Coloniæ in Conventu nostro S. Crucis die 6. Aprilis, 1673.

Fr. Hyacinthus Neydecker, SS. Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum per Superiorem Germaniam Prior Provincialis.

L.S.

Regist: pag: 25.

Fr. Joannes Lorbecher, Magister & Socius.

APPROBATIO.

ARiadnam Thomisticam seu Cursum Philosophicum ab admodum Reverendo Patre Frat. RAIMVNDO ORTZ, *SS. Theologiæ Doctore, & Generalis Studij Viennensis Ordinis Prædicatorum Regente conscriptum & elaboratum, atq; in sex Tractatus divisum ex commissione nostri Reverendissimi Patris Magistri Generalis P. F.* JOANNIS THOMÆ *de* ROCCABERTI *acuratè ac diligenter, nec non sine magna voluptate perlegi, siquidem reperi, non solùm omnia bo-*

)o(nis

nis moribus & illibatæ Angelici Doctoris D. THOMÆ AQUINATIS *doctrinæ consona, verùm etiam insigni authoritatum atq; rationum ubertate & pondere, pariq; brevitate & perspicuitate pollere, ut luculentissimè hîc contineantur, quæ alij latiori quidem calamo, sed non ditiori producunt. Quapropter opus hoc non solùm prælo dignissimum censeo, verum etiam legentibus utilissimum & jucundissimum fore arbitror. Ex Conventu nostro Viennensi S. Mariæ ad Rotundam nuncupato Anno 1673. 27. die Martij.*

Fr. MATTHIAS TRUCKEMILLER,
Ordinis Prædicatorum, SS. Theologiæ Doctor, Prior, & utriusque Austriæ Vicarius Provincialis.

APPROBATIO.

EX commissione nostri Reverendissimi Patris Magistri Generalis JOANNIS THOMÆ *de* ROCABERTI *accuratè perlegi Ariadnam Thomisticam seu Cursum Philosophicum in sex Tractatus divisum & elaboratum ab admodum Reverendo Patre Præsentato* RAYMUNDO ORTZ, SS. The-

SS. Theologiæ Doctore & Generalis nostri Studij Viennensis Regente, nec non pro tempore inclytæ Vngaricæ Nationis Procuratore; in cujus Cursus Philosophici lectione, nihil fidei aut bonis moribus contrarium reperi, sed potius stylum brevem, cum grata facundia; Solidit atem assertionum tam authoritate Angelici Doctoris S. THOMÆ AQVINATIS, *quam ratione optimè fulcitarum, claritatemque doctrinæ adeo perspicuam, ut quivis sive absolutus sive initians Philosophus, voluptatem simul & fructum ex illo haurire possit. Vnde meritò prædictam Ariadnam, ceu novam Palladem Thomisticam in publicam lucem prodire, typoque pro utilitate plurimorum mandari posse, dignissimam censeo. In quorum fidem his manu propriâ subscripsi. Actum Viennæ in Conventu nostro FF. Prædicatorum S. Mariæ ad Rotundam nuncupato die 27. Martij, Anno 1673.*

F. REINERVS PISTORIVS, Ordinis Prædicatorum, SS. Theologiæ Doctor, & Professor Primarius.

Imprimatur,
Christianus Rechperger,
Rector, m. p.

AD BENEVOLUM

LECTOREM.

VT hanc meam Ariadnam Thomisticam, seu Philosophiam succinctam typo evulgarem, rogârunt me multi tam domestici, quàm extranei, quorum desiderio satisfacere volens, prælo publico eandem commisi, eò vel maximè, quia confido, quod studiorum avidus animus non abhorrebit Philosophiæ isti incumbere, utpote quam ad moderatam brevitatem reduxi, adjectâ omni possibili claritate, ut proinde quivis Adolescens tanquam alter Theseus ab hac meâ Philosophia, tanquam ab Ariadnâ suaviter ac feliciter per Labyrinthum Philosophicum duci possit ac reduci. Imò non dubito, quin etiam illi, qui jam Philosophiam totam discendo absolverunt, pro recolligendis speciebus, utiliter hac meâ Ariadnâ Thomisticâ frui queant. Hæc tibi insinuare volui amice Lector, ut intentionem meam bonam perspectam habeas, causamque brevitatis adhibitæ scias. Vale & hoc meo Cursu Philosophico utere; dum scivero illum tibi prodesse, in Theologiam quoq; Superis & Superioribus faventibus aliquid edere conabor.

TRA-

TRACTATVS I.

CONTINENS SVMMVLAS SEU PARVAM DIALECTICAM.

Iuxta mentem Angelici Præceptoris Divi THOMÆ Aquinatis ex Doctissimorum Philosophorum Commentarijs compilatus.

PRÆLUSIO PERIPATETICA.

QUia viri Sapientissimi in hodiernum usque diem ad exemplum D. Doctoris Gentium Tyronibus suis lac doctrinæ facilioris priùs semper præbent, hinc ego quoque istam dexteritatem amplectendo cursum meum Philosophicum inchoare decrevi, à Tractatu Summulistico, seu institutionibus Dialecticis, quatenùs hisce tanquàm facilioribus cognitis via plana aperiatur studiorum amatoribus ad nonnulla difficiliora rimanda. Inscribitur autem Tractatus iste parva Dialectica à græco verbo Dialegoma, quod latinè disputare vel disserere significat, quia nimirum stylo succincto tradit modum discurrendi, & quomodo intellectus se habere debeat in suis operationibus.

Sunt autem tres mentis seu intellectus, operationes quarum prima vocatur simplex apprehensio, quando nimirum intelligo rem nihil de eâ affirmando vel negando, ut cum dico homo, non affirmando de illo sitne albus vel niger. Et ad hanc pertinet ratio signi & terminorum cum suis divisionibus &c.

Secunda mentis operatio dicitur compositio seu judicium, quando scilicet rem ita concipio, ut de illa aliquid affirmem vel negem, ut cum dico, homo albus. Et ad hanc pertinent potissimum propositiones cum suis divisionibus.

Tertia deniqué mentis operatio dicitur discursus, quando nimirum ex vnâ propositione magis notâ infero aliam propositionem non ita notam, ut cum dico, omne rationale est risibile, Petrus est rationalis, ergo Petrus est risibilis. Vel brevius. Homo est rationalis, ergo etiam admirativus vel risibilis, &c. Ad hanc tertiam mentis operationem pertinet agere de modo discurrendi, formandiqué syllogismos, inductiones, & similia.

His ergo prælibatis Tractatum istum Summulisticum Deo Deiparaqué Virgine Sanctisque omnibus faventibus in tres libros dividam, acturus in primo quidem de his quæ ad primam, in secundo autem de his quæ ad secundam, & in tertio de his, quæ ad tertiam mentis operationem pertinent.

LIBER PRIMVS SVMMULARUM

De his quæ pertinent ad primam mentis operationem dirigendam.

QUÆSTIO I.

De Natura signi ejusq; speciebus.

ARTICULUS I.

Quomodo definiatur signum?

ADvertendum hìc pro intelligendâ definitione mox ponendâ, quod omnis bona definitio debeat constare ex genere & differentia. Illud autem est genus definitionis, in quo convenit definitum cum alijs â se distinctis; differentia autem est illa, per quam definitum differt ab alijs. verbi gratia, homo definitur, quod sit animal rationale, in quâ definitione ly animal ponitur loco generis quia per hoc homo convenit cum equo Leone &c. Ly autem rationale habet locum differentiæ, quia nimirum per illud homo differt ab equo leone & alijs brutis. Hoc igitur præsuppositò, relictis varijs Authorum opinionibus sit.

CONCLUSIO I.

Signum bene definitur esse id, quod potentiæ cognoscitivæ aliud â se repræsentat.

PRobatur. Illa definitio est bona, quæ explicat naturam definiti illudque ab alijs distinguit, sed hæc definitio hoc præstat, ergo est bona. Probatur minor. Definitio constans genere & differentia explicat naturam definiti, illudq; ab alijs distinguit, sed

hæc definitio constat genere & differentiâ, ergo. Probatur minor explicando particulas definitionis. Nam ly repræsentat ponitur loco generis, in quo convenit signum cum objecto, quod repræsentat se, id est facit seipsum præsens potentiæ. Ly potentiæ cognoscitivæ intelligitur de omni potentia cognoscitiva tam hominum quam brutorum. Ly aliud à se ponitur ad excludenda omnia objecta, quæ se ipsa tantum repræsentant, ergo dicta definitio habet aliquid loco generis & aliquid loco differentiæ.

Ex hac definitione deducitur voces non significativas, verbi gratia blitri, syndapsus, non esse signa, cum nihil formaliter significent aut repræsentent, licèt enim hæ voces materialiter spectatæ proferentem repræsentent, ultra hoc tamen deberent aliquid formaliter significare, sicut verbi gratia hæc vox ignis repræsentat ignem formaliter, & hæc vox homo formaliter repræsentat id quod est homo.

Dices primo. Nihil est verè signum, sed nihil non repræsentat aliquid, ergo malè dicitur in definitione quod signum repræsentet. Minor probatur: nihil repræsentat nihil, ergo.

Respondetur concessâ majori distinguendo minorem; non repræsentat aliquid positivum, conceditur: negativum, negatur minor; & eodem modo distinguitur consequens. Itaque ly nihil repræsentat negationem entis.

Dices secundo. Hæc vox Leo in libro clauso est verè signum, sed tunc nihil repræsentat, ergo minor probatur, quia pro tunc non facit nos venire in cognitionem Leonis, ergo.

Respondetur distinguendo minorem, non repræsentat aliquid actu, conceditur: in potentiâ, negatur minor, & consequentia, ad rationem signi autem sufficit aliquid repræsentare in potentia proxima.

ARTICULUS II.

Quomodo dividatur, & subdividatur signum?

Quia de ratione signi est significatio, quæ duplex est, scilicet formalis & instrumentalis, ideo juxta hanc duplicem acceptionem. Di-

Dividitur primò signum in formale & instrumentale. Et quidem signum formale est, quod se ipso & non mediante alio rem aliquam repræsentat, id est, ita ut non priùs cognoscatur signum, & deinde signatum, sed unâ cognitione utrumque cognoscatur. Et hujusmodi signa sunt species expressæ rerum, quas non prius cognoscimus quam ipsas res. Dicitur autem hoc signum formale, quia informat ipsam potentiam, & non est opus ut priùs cognoscatur talis conceptus, & postmodum res concepta.

Signum autem instrumentale est id, quod præexistente sui cognitione aliud repræsentat, vel, ut ait S. Augustinus lib. 2. de doctrinâ Christianâ cap. 2. est id, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud repræsentat; quâ ratione fumus est signum ignis, & vestigium hominis est signum hominis, quia præter speciem quam ingerunt sensibus, aliud repræsentant.

Dividitur signum secundò, in naturale & ad placitum. Primum est, quod è naturâ suâ aliud significat, ut fumus ignem, lux Solem, imago suum prototypon. Vocatur autem naturale, quia ex naturâ suâ habet proportionem cum suo signato.

Secundum est, quod ex institutione hominum aliud significat, ut verbi gratia sonus campanæ est signum futuræ lectionis, & hæc vox homo est significativa ad placitum, quia ex sola hominum institutione aliud significat.

Porro est differentia inter hæc duo, quod signa naturalia sint ubiq; communia, nec tolli possint, nisi res ipsa tollatur; signa autem ad placitum non sunt ubique communia, & ijs invariatis possunt significationem perdere. Eadem enim Respublica quæ ordinavit hæc verba ad significandum, suâ authoritate rursus hanc significationem tollere potest.

Ad hanc autem divisionem reducitur signum ex consuetudine, quod est id, quod ex frequenti hominum usu aliud significat, ut mappæ positæ supra mensam significant futurum prandium.

Subdividitur deinde signum ad placitum in proprium, quod rem propriè significat, ut hæc vox Leo propriè significat Leonem, seu animal illud rugiens: Et in Metaphoricum, quod rem im-

propriè significat, ut quando Christus ob fortitudinem dicitur Leo de tribu Juda.

Præterea dividitur signum in manifestativũ tantùm, quod nimirum rem tantùm significat, sed non potest loco ejus poni in oratione, sicut hædera significat vinum, sed non potest loco vini poni in oratione, falsa enim est oratio, si dicerem, ramus, vel hædera venditur.

Et in manifestativum & suppositivum simul, quod rem ita significat, ut etiam loco ejus possit poni in oratione, ut leo, homo, & cæteræ voces significativæ.

Item aliud est signum speculativum tantùm, quod solùm aliud significat sed non causat, & hujusmodi fuerunt sacramenta antiquæ legis, ut docet S. Doctor. 3. p. q. 62. a. 6.

Aliud est signum practicum, quod non tantum significat, sed etiam causat suum signatum, & talia sunt Sacramenta novæ legis, ut docet idem S. Doctor loco cit. a. 3. & 4.

Tandem dividitur signum in demonstrativũ, quod est rei præsentis, & rememorativum, quod est rei absentis, & prognosticum, quod est rei futuræ. Hanc ipsam triplicem significationem posuit Angelicus Præceptor in Antiphona de SS. Eucharistiæ Sacramento dicens. O Sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus (ecce rememorativum) mens impletur gratiâ (ecce demonstrativum) & futuræ nobis gloriæ (ecce prognosticon seu prænunciativum) pignus datur.

QUÆSTIO II.

De Termino.

ARTICULUS I.

Quomodo definiatur terminus Enunciativus?

NOtandum: quod terminus possit accipi, primò prout ordinem dicit ad enunciationem, secundò autem prout dicit ordinem ad syllogismum quem componit. Terminus sub prima

prima consideratione vocatur enunciativus, posteriori autem modo sumptus vocatur terminus syllogisticus ex eo, quia ad syllogismum tanquam pars constitutiva ordinatur.

In præsenti non quærimus de termino syllogistico, qui à Philosophis definiri solet, quod sit extremũ propositionis, vel quod sit id in quod resolvitur propositio tanquã in prædicatum aut subjectũ, sed solùm quærimus, quomodo definiatur terminus enunciativus.

CONCLUSIO.

Terminus enunciativus in tota suâ latitudine benè definitur, quod sit signum, ex quo simplex conficitur propositio.

PRobatur conclusio. Nam hæc definitio explicat naturam definiti, cum habeat aliquid loco generis, & aliquid loco differentiæ, ergo est bona. Probatur antecedens explicando particulas, nam in primis ly signum formaliter acceptum in ratione signi per se ordinabilis ad artificium Logicale componendum, habet rationem generis, non verò si signum accipiatur solùm materialiter, cum hoc modo præsuppositivè tantùm se habeat ad ipsum terminum, denotaturque per eandem particulam voces non significativas, uti est blitri sindapsus excludi à ratione termini.

Reliquæ particulæ, scilicet, ex qua simplex conficitur propositio, ponuntur loco differentiæ, excluditurque à ratione termini tam propositio categorica, quam hypotetica, quia scilicet neutra ipsarum simplicem componit propositionem, licet enim categorica propositio componat hypoteticam, non tamen simplicem propositionem componit, ergo.

Dices. Blitri est vox non significativa, sed blitri potest conficere propositionem, ergo malè excluditur â ratione termini, probatur minor, nam possum dicere, blitri est trissyllabum ergo.

Respondetur distinguendo minorem potest componere materialiter, conceditur: formaliter, negatur minor & consequentia. Itaq; componere formaliter propositionem est componere significando aliud â se, loco cujus in propositione substituitur, at verò componere materialiter, est poni in propositione loco sui, & nõ significando, & hoc non sufficit ad rationem termini.

AR-

ARTICULUS II.

Quomodo dividatur terminus;

REspondetur quod terminus primò dividatur in mentalem, vocalem & scriptum. Explicatur. Mentalis est conceptus ex quo simplex conficitur propositio. Vocalis est vox significativa ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio. Scriptus est scriptura ad placitum significans, ex quâ simplex conficitur propositio.

Dividitur Secundo terminus vocalis in univocum & æquivocum, categorematicum & syncathegorematicum & mixtum. Terminus Vnivocus dicitur, qui sua significata unico conceptu significat, ut ly homo significat omnes homines, ut conveniunt simpliciter in eodem conceptu naturæ humanæ.

Terminus verò æquivocus dicitur, qui sua significata non eodem, sed pluribus conceptibus significat, vel qui plura significat nullo modo convenientia, secundùm quod per nomen significantur, ut ly canis respectu canis latrabilis, marini, & cœlestis, quibus ut sic nihil commune est, nisi solum nomen.

Terminus cathegorematicus (qui idem valet latinè ac significativus, seu prædicativus) est ille, qui aliquid per se significat, seu qui in propositione est integrum subjectum & prædicatum, ut in hac propositione homo est animal, homo & animal sunt termini categorematici.

Terminus Syncategorematicus (qui idem valet ac consignificativus, vel qui aliqualiter significat) est ille, qui licet separatus â categorematico non significet aliquid per se, junctus tamen categorematico facit illum aliter significare, ut hæc, velociter, faciliter, omnis, nullus. Simile etiam potest dari deconsonantibus per se non significantibus, quæ tamen junctæ vocalibus aliter, & aliter faciunt significare.

Appellatur etiam hic terminus modus subjecti & prædicati, quia per se non potest esse subjectum vel prædicatum, sed tantùm

illa

illa modificare, & hoc est aliqualiter, & non aliquid significare.

Denique terminus mixtus dicitur, qui virtualiter includit duas voces, quarum altera est terminus categorematicus, altera vero Syncategorematicus, ut nemo, id est nullus homo.

Dividitur tertiò terminus categorematicus in terminum communem & singularem.

Terminus communis subdividitur in non transcendentem, transcendentem, & supertranscendentem. Singularis verò subdividitur in collectivum, determinatum, demonstrativum, singularem ex suppositione & vagum.

Explicatur. Terminus communis est, qui significat plura divisim, ut ly homo, quod significat omnes homines, & potest divisim de illis prædicari, ut Petrus est homo &c. Vbi nota quod ad rationem termini communis sufficiat quod ex modo suæ significationis non repugnet ipsi supponere pro pluribus: vnde ly Sol, Luna, mundus, & hoc nomen Deus sunt termini communes.

Terminus singularis est, qui unum tantùm siguificat, ut Petrus, hic homo.

Terminus communis non transcendens est, qui non de omnibus, sed de aliquibus tantum prædicatur, ut homo.

Transcendens est, qui in omnibus rebus invenitur, & significat omnia non determinans ad aliquid in particulari significandum, & tales communiter sex enumerantur, scilicet, Ens, res, unum, bonum, aliquid verum, & hi dicuntur transcendentes, quasi supra omnia ascendentes & eorum ultimas differentias penetrantes.

Supertranscendens est, qui tam ea quæ sunt, quam ea quæ non sunt significat, ut cognoscibile, imaginabile. &c.

Terminus singularis collectivus est, qui significat plura copulatim in singulari numero, taliter ut repugnet ei supponere pro pluribus divisim, ut populus, Civitas, gens. &c.

Terminus singularis determinatus est, qui significat aliquam rem determinatam, ut Petrus, & omnia nomina propria.

Demonstrativus est, terminus communis affectus pronomine demonstrativo, ut hic homo.

Singularis ex suppositione est, qui factâ aliquâ suppositione unum tantùm significat quamvis posset plura significare, ut Filius B. Mariæ Virginis significat Christum, quia Beata Virgo non habuit alium Filium quàm Christum.

Terminus singularis vagus est, qui significat unum, sed non determinando, an sit hoc vel illud, ut quidam homo.

Dividitur quartò Terminus categorematicus in absolutum & conotativum, concretum & abstractum, primæ intentionis & secundæ intentionis, complexum & incomplexum, finitum & infinitum.

Terminus absolutus est, qui significat aliquid per modum per se stantis ad modum substantiæ, sive in se substantia sit, ut homo, sive sit accidens, & sine subjecto concipiatur ut albedo.

Terminus connotativus est, qui significat aliquid per modum alteri adiacentis vel inhærentis, ut album, vestitum, cæcum &c.

Terminus concretus est qui significat formam ut in habente, sive ut in subjecto, vel aliquid constitutum ut quod, sicut homo, qui significat humanitatem ut in Supposito, album quod significat albedinem ut in subjecto.

Terminus abstractus est, qui significat tantùm ipsam formam seu ut quo, ut humanitas, albedo &c. Ex quo patet non esse idem connotativum & concretum, sicut nec connotativum & adjectivum, sicut nec absolutum & abstractum: homo enim est concretum & absolutum, Pater autem verbi gratia creator & similia sunt connotativa, non tamen adjectiva.

Terminus primæ intentionis est, qui significat rem aliquam secundùm id, quod habet â parte rei, ut homo.

Terminus secundæ intentionis est ille, qui significat rem secundùm id quod habet ex consideratione intellectûs, ut genus, species &c.

Terminus complexus est, cujus partes separatæ significant,

juxta

juxtà significationem totius, ut homo albus. Vnde excluduntur â ratione termini complexi illa nomina, quorum partes separatæ significant, aliter tamen quàm in toto, ut Dominus, Sacerdos, Magister, &c.

Incomplexus seu simplex est, cujus nulla pars separata significat, ut homo, Leo, &c.

Infinitus est, qui afficitur negatione infinitante, ut non homo.

Finitus est, qui tali negatione caret. Vbi nota esse duplicem negationem; una est quæ tantùm afficit terminum, & dicitur infinitans, quia reddit terminum infinitum, ut non homo, alia est quæ afficit copulam, ut lapis non est homo, & dicitur negatio negans, semperque efficit propositionem negativam, & hæc est malignantis naturæ, destruit enim, quidquid post se invenit.

Quintò si comparentur termini ad Invicem, dividuntur in consequentes, sive pertinentes, & in inconsequentes seu impertinentes.

Impertinentes sunt, quorum unus non infert alterum, nec repugnat illi, ut album & dulce, doctus & justus.

Pertinentes verò sunt, quorum unus infert alterum, ut animal & vivens, vel repugnat illi, ut album & nigrum.

Pertinentes primo modo dicuntur pertinentes sequelâ, sed secundo modo dicuntur pertinentes repugnantiâ.

Rursum pertinentes sequelâ alij sunt convertibiles, quando scilicet se mutuò inferunt, ut homo & rationale; alij sunt non convertibiles, quando scilicet non est mutua illatio, licèt sit ex una parte, ut homo & animal.

Pertinentes verò repugnantiâ alij sunt, qui licèt sint diversi, non tamen verè oppositi, & dicuntur disparati, ut homo & Bos, Alij verò sunt propriè oppositi; vel contrariè, ut album & nigrum, vel contradictoriè ut album & non album, vel privativè ut lux & tenebræ, vel relativè, ut Pater & filius.

QUÆSTIO III.

De Nomine & Verbo.

ARTICULUS I.

Quomodo, & an bene definiatur Nomen?

CONCLUSIO.

Nomen bene definitur, quod sit vox significativa ad placitum sine tempore cujus nulla pars separata significat finita & recta.

PRobatur Conclusio explicando particulas definitionis. Nam in primis ly vox, habet locum generis, & convenit per hanc particulam cum vocibus non significativis. Per ly significativa, distinguitur à vocibus non significativis. Per ly ad placitum, differt à vocibus significantibus naturaliter, ut à gemitu pueri. Ly sine tempore, ponitur ad excludendum verbum, quod significat cum tempore, nomen enim significat rem per modum permanentis & stantis, verbum autem per modum transeuntis fluxus, & fieri, ut patet ex dicendis. Ly cujus nulla pars separata significat, ponitur ad excludendam orationem, & terminum complexum, nam oratio non est nomen, sed potiùs ex nomine componitur, & terminus complexus non est unum sed plura nomina. Et propterea licèt aliqua pars nominis separata significet, non tamen hoc habet per se & formaliter, nec illa pars separata significat juxta significationem totius, partes autem orationis & termini complexi separatæ per se & formaliter, & juxta significationem totius significativæ sunt.

Ly finita, ponitur ad rejicienda nomina infinita, ut non homo, non Leo. Et ratio est, quia ut desumitur ex Ethimologia ipsius nominis, nomen idem est ac notamen alicujus rei certæ ac determinatæ, ac consequenter nomen debet significare aliquid certi

certi & determinati, non quidem ex parte rei significatæ, ita ut res significata sit certa determinata ac limitata (nam ens verè est nomen, & tamen ex parte rei significatæ significat aliquid commune indifferens & illimitatum) sed debet significare aliquid determinati ex modo significandi, ita ut designet, quid sit illa res, non autem quid non sit illa res, quam significat; & ita ens verbi gratia, significat aliquid determinati ex modo significandi, licèt ex parte rei significatæ sit indeterminatum & communissimum, significat enim quid sit ille conceptus communissimus, non autem, quid non sit. At verò nomen infinitum, verbi gratia, non homo, significat aliquid determinati ex parte rei significatæ (non homo enim significat negationem hominis, non autem negationem equi) ex parte tamen modi significandi significat aliquid indeterminati, non enim sub determinato conceptu ostendit & designat, quid sit illa negatio hominis, sed solùm quid non sit forma. Ac proinde nomen infinitum cum determinatè nihil significet bene rejicitur à ratione nominis. Eandem etiam ob causam excludun-tur termini æquivoci, qui significant plura ut plura non determinando aliquid certum. Et licèt terminus æquivocus sit unus materialiter, est tamen multiplex formaliter ratione diversæ significationis quam habet, & hæc diversa significatio formalis sufficit, ut excludatur à definitione Nominis.

Ly recta, ponitur ad excludendos casus obliquos & adverbia seu syncategoremata. Et ratio est, tum quia nomen dicitur à nominando, solo autem nominativo nominamus propriè. Tum etiam, quia cum nomen sit principalis pars enunciationis, hinc debet posse esse prædicatum vel subjectum in propositione, quod casibus obliquis & adverbijs non competit. Tum denique, quia cum casus obliqui non significent per modum quod, sed solùm per modum cujus, &c. Hinc non possunt prædicatum & subjectum esse in propositione verâ vel falsâ cum verbo *est*, sed solùm cum verbo aliquo impersonali juncta orationes faciunt, ut pœnitet me, & ita solùm faciunt orationem reductivè, seu intelligendo nominativum, ac si dicerem, pœnitentia tenet me.

Ergo dicta definitio est bona, utpote quæ habens aliquid locò generis & differentiæ explicat naturam definiti.

ARTICULUS II.

Quomodo definiatur Verbum?

CONCLUSIO.

Verbum benè definitur, quod sit vox significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars separata significat finita & recta, & semper est eorum, quæ de altero dicuntur, nota.

PRobatur Conclusio explicando singulas particulas: & quidem priores particulæ hujus definitionis manent explicatæ ex dictis quæstione præcedenti: ut autem explicetur ista particula *cum tempore* sciendũ est, ista esse valde diversa, significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore. Nam significare tempus dicitur illud, quod est institutum ad significandum tempus, vel aliquam ejus partem, ut hæc nomina tempus annus, dies, hora, &c. Connotare tempus dicitur illud, quod significat aliquid inferens, aut concernens aliquod tempus, ex eo quod determinato tempore fieri soleant, ut Jentaculum, Prandium, Merenda Cæna. Significare autem cum tempore dicitur illud, quod significat aliquam actionem vel passionem in actu exercito fieri in tempore, & illam significat, prout in illo fit, ut orat, studet. Significare ergo tempus vel connotare tempus, convenit nomini, significare verò cum tempore, convenit soli verbo & participio: Differt autem Verbum â participio per sequentes particulas: *& est semper eorum quæ de altero dicuntur nota*: nam licet participium significet cum tempore, nunquam tamen potest esse copula propositionis, sive unio extremorum, vel signum unionis prædicati cum subjecto.

Dicitur ulterius *finita*, per quam particulam excluduntur verba

verba infinita, ut non lego, quia nihil determinatè significant, cum possint convenire tam enti, quàm non enti.

Deniqúe per ly *recta* intelligitur præsens, indicativi modi, & excluduntur alia tempora & modi: nam Aristoteles agit de Verbo lib. 1. Pericherm. cap. 2. quod per se & independenter ab alio potest enunciare veritatem: quod autem alij modi non enuncient veritatem, patet consideranti, nam nec affirmant aliquid, nec negant: De alijs verò temporibus constat, quod enuncient veritatem dependenter â præsenti: nam hæc est vera, homo oravit, quia aliquando fuit verum dicere, homo orat; & similiter ista est vera, homo orabit, quia aliquando verum erit dicere, homo orat.

QVÆSTIO IV.

De Oratione.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid & quoduplex sit oratio?

CONCLVSIO.

Oratio bene definitur, quod sit vox significativa ad placidum, cujus pars aliqua separata significat juxta significationem totius.

PRobatur Conclusio explicando singulas particulas, & quidem per primam particulam definitionis convenit oratio cum nomine & Verbo, ut patet: per ultimam verò particulam ab illis distinguitur, ut etiam patet ex supradictis. Ly autem significare, ut notat S. Thomas, sumitur in rigore, prout convenit soli termino categorematico, & distinguitur â consignificare, quod convenit termino syncategorematico. Hoc posito dicendum, quod sufficit ad rationem orationis, aliquam ejus partem significare,

sive

sive esse terminum categorematicum; vnde istæ sunt veræ orationes, omnis homo, nullus homo.

Quæres. Quotuplex sit oratio?

Respondetur, quod oratio benè dividatur in enunciativam, & non enunciativam. Oratio enunciativa est illa, quæ affirmat vel negat aliquid, & vocatur propositio, & semper fit per verbum indicativi modi, ut homo orat, homo non orat.

Oratio non enunciativa est illa, quæ nihil affirmat vel negat, sive in quâ non est veritas vel falsitas, sive sit oratio perfecta, quæ generat perfectum sensum, & relinquit animum audientis quietum; quales sunt orationes Imperativi vel optativi modi, quæ tamen non enunciant verum vel falsum: sive sit oratio imperfecta, quæ scilicet non generat perfectum sensum, nec relinquit quietum animum audientis, ut homo albus, & orationes infinitivi modi.

Sub oratione non enunciativa comprehenduntur tres modi ciendi, ideoque de illis paucis agendum.

QUÆSTIO V.

De modo Sciendi.

ARTICULVS I.

Quid & Quotuplex sit modus sciendi?

CONCLVSIO.

Modus sciendi definitur, quod sit oratio ignoti manifestativa.

PRobatur conclusio explicando singulas particulas, Et in primis ly oratio est genus, quia multæ dantur aliæ orationes, quæ non sunt modi sciendi: aliæ particulæ sunt differentiæ, per quas modus sciendi distinguitur ab alijs orationibus, & propositio-

nibus. Per ly ignoti, intelligitur quodcunque, sive sit complexum, ut homo est risibilis, sive incomplexum, ut homo, lapis. &c.

Quæres. Quotuplex sit modus sciendi ? Respondetur, quod sit triplex : scilicet Definitio, Divisio, & argumentatio, ita ut per argumentationem manifestetur ignotum complexum ; Per definitionem autem ignoti incomplexi essentia ; per divisionem deniq; ejusdem ignoti incomplexi partes ; & sicut non restat aliquid aliud sciendum, sic non sunt plures, quàm hi tres modi sciendi.

ARTICVLVS II.

Quid & Quotuplex sit definitio ?

CONCLVSIO.

Definitio est oratio naturam rei explicans, seu quod quid est significans.

PRobatur Conclusio explicando singulas particulas. In primis ly oratio ponitur loco generis, nam in hoc convenit cum alijs modis sciendi ; per alias adjunctas particulas constituitur particularis modus sciendi, & ab alijs distinguitur : per ly autem significans vel explicans, debet subintelligi clarè & distinctè, nam etiam voces significant naturam rei, etiam quando sunt simplices, sed significant tantùm confusè.

Quæres Primo, Quotuplex sit definitio ? Respondetur quod definitio in primis dividatur in definitionem nominis & definitionem rei, secundò in essentialem, causalem, & accidentalem seu descriptivam.

Definitio rei est, quæ explicat naturam alicuius rei, ut homo est animal rationale.

Definitio Nominis est, quæ explicat significationem alicujus nominis seu vocis, ut dum dicitur, fari est idem ac loqui. Ad hanc reducitur Ethymologia, ut si dicatur lapidem sic denominari â lædendo pedem.

Essentialis est, quæ traditur per partes Essentiales, scilicet genus & differentiam, & hæc vocatur etiam Essentialis Metaphysica seu Logica, ut homo est animal rationale, ubi ly animal est genus, & rationale est differentia.

Causalis est quæ datur per aliquam causam, & vocatur etiam physica, quæ si detur per causas intrinsecas, materiam scilicet & formam, dicitur Essentialis physica, si autem detur per causas extrinsecas, efficientem scilicet & finalem, est quidem Physica, sed non essentialis, cum sit per aliquid extrinsecum.

Accidentalis seu descriptiva est, quæ datur per genus & aliquam propriam passionem, ut homo est animal risibile, vel etiam per aliqua accidentia communia, ut homo est animal pulchrum, bipes, implume, habens caput erectum.

Quæres Secundò, quot sint regulæ bonæ definitionis?

Respondetur quinque. Prima est ut quantùm si fieri potest, tradatur per ea quæ sunt clariora, & nobis notiora, quia definitio debet esse clarior suo definito, alias non esset ignoti manifestativa.

Secunda est, quod definitum non debet ingredi definitionem, alias enim idem esset notius & ignotius se ipso.

Tertia: Definitio non debet esse superflua nec diminuta, nam si sit superflua, parit potiùs confusionem quàm claritatem: si diminuta, non explicat totam essentiam definiti.

Quarta & principalis est quod debeat constare genere & differentia, vel ad minùs aliquo supplente vices generis & differentiæ, cum sic habeat aliquid commune cum alijs, & aliquid proprium, per quod distinguitur ab alijs.

Quinta & ultima est, quod definitio convertatur cum definito & econtra: cum enim definitio contineat totam Essentiam rei, & essentia unius non sit Essentia alterius consequens est, quod definitio unius nulli alteri possit convenire.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Quid, est quotuplex sit Divisio?

CONCLVSIO.

Divisio est oratio totum in suas partes distribuens.

PRobatur Conclusio: Per ly oratio convenit divisio cum alijs, per alias autem particulas differt ab illis, quia nihil aliud totum in suas partes ita distribuit, sicut Divisio. Adverte autem quod res quæ dividitur, appelletur divisum, partes autem in quas dividitur, dicuntur membra dividentia: oratio verò, quæ tales partes explicat, dicitur divisio.

Quæres, quotuplex fit divisio? Respondetur triplex, scilicet potentiales, actualis, & accidentalis. Cum enim divisio dividat totum, hinc juxta diversos modos totius, sunt diversæ divisiones: totum autem est triplex, scilicet potentiale, actuale, & accidentale. Divisio potentialis seu universalis est illa, qua totum Vniversale dividitur in suas partes, quas sub se continet in potentia: & hæc adhuc est duplex; alia totius univoci in suas partes subjectivas, ut animal aliud est homo aliud Leo &c. alia analogi in sua analogata, sicut ens respectu Dei & creaturæ.

Divisio actualis est illa, quâ totum dividitur in suas partes, ex quibus actu componitur, & tunc si illæ partes sint physicæ, dicitur divisio actualis physica, ut hominis alia pars est anima, alia corpus: si partes sint Logicæ, ut genus & differentia, dicitur divisio actualis Logica: ut hominis alia pars est animal, alia rationale: si partes sint integrantes, dicitur divisio actualis integralis, ut hominis alia pars est caput, alia pectus &c.

Totum autem integrale aliud est homogenium, quod habet partes ejusdem rationis, ut verbi gratia patet in aqua: alind est heterogenium, cujus partes sunt diversæ rationis, ut patet in homine, in quo alia pars est caput, alia pes &c.

Divisio accidentalis est, quando totum accidentale dividitur in suas partes, & hoc contingit varijs modis. Primò, quando subjectum dividitur in accidentia, ut homo alius albus, alius niger. Secundò, quando accidens dividitur iu sua subjecta, ut alborum aliud est nix, aliud est lac &c. Tertio quando accidens dividitur in sua accidentia, ut dulcium aliud album aliud nigrum. Sed ista potest ad potentialem, vel illam, quâ subjectum dividitur in accidentia reduci.

Quæres, quot sint Leges bonæ divisionis? Respondetur tres assignari regulas, seu leges bonæ Divisionis.

Prima est, quod membra dividentia sint opposita, sive distinctæ re vel ratione; nam una pars non potest esse alia, unde in qualibet divisione, debent saltem esse duo membra dividentia.

Secunda est membra dividentia sigillatim acceptâ non debent æquè patere ac totum; simul verò sumpta debent illud adæquare, & non excedere. Ratio est, quia totum est majus qualibet suarum partium, sed non omnibus simul sumptis.

Tertia est, quod divisio debeat tradi per pauca membra, quia multiplicitas causaret potius confusionem, quàm claritatem. Vnde ordinariè traditur per membra contradictoria, ita ut assumatur membrum principale cum eius negatione ut animal aliud rationale a

ARTICVLVS IV.

Quid & Quotuplex sit Argumentatio.

CONCLVSIO.

Argumentatio bene definitur, quod sit oratio in quâ

Argumentatio bene definitur, quod sit oratio in quâ

unum ex alio inferri denotatur.

PRobatur Conclusio. Ly oratio habet locum generis, per alias autem particulas differt argumentatio à definitione, divisione, & alijs. Exemplum argumentationis est, Petrus currit ergo movetur, circa hanc conclusionem.

Nota

Nota primò, quod non sufficiat ad argumentationem, quod aliquid possit inferri ex alio, sed debet explicari talis illatio; unde non argumentaretur, qui diceret, Petrus currit, & movetur, nam licèt ad cursum infallibiliter sequatur motus, in illa tamen oratione non denotatur motum inferri ex cursu.

Nota Secundò. quod in qualibet argumentatione tria reperiantur. Primum est illud ex quo infertur aliud, quod si sit unica propositio, dicitur antecedens; si fuerint duæ, prima illarum propositionum dicitur major, secunda minor. Alterum quod reperitur est illud, quod infertur ex alio, & dicitur consequens. Tertium est nota illationis, & dicitur consequentia, nam denotat consequens inferri ex antecedente & præmissis.

Nota autem illationis est triplex, scilicet conditionalis, rationalis, & causalis: conditionalis fit per particulam si; ut, si Petrus currit, movetur. Rationalis fit per particulam, ergo, vel igitur; ut Petrus currit, ergo movetur. Causalis deniqúe fit per particulam, quia aut similem; ut, quia homo est admirativus est risibilis. Adeoque est triplex argumentatio, inter quas rationalis est præcipua.

Quæres Quotuplex sit argumentatio rationalis?

Respodetur quod sit quatruplex, nimirum syllogismus, Enthymema, Inductio, & exemplum.

Syllogismus est argumentatio constans tribus propositionibus, maiori, minori, & consequentia; ut, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.

Enthymema est argumentatio, in quâ ex vnâ propositione, quæ vocatur antecedens, infertur alia, quæ vocatur consequens, ut Petrus currit, ergo movetur.

Inductio est argumentatio, in qua ex singularibus sufficienter enumeratis infertur aliquod vniversale, ut hic homo ridet, & ille ridet, & sic de cæteris, ergo omnis homo ridet.

Exemplum est argumentatio, in quâ ex vno vel pluribus particularibus, sive singularibus non sufficienter enumeratis infertur aliud singulare simile, ut, Christus pepercit S. Magdalenæ pænitenti, ergo & tibi parcet si Pænitueris.

LIBER II.
SVMMVLARVM.

De his quæ pertinent ad secundam mentis operationem.

QVÆSTIO VI.

De Propositione.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid & Quotuplex sit Propositio.

CONCLVSIO I.

Propositio benè definitur, quod sit oratio enunciativa, vel quod sit oratio verum vel falsum significans.

PRobatur. Ly oratio habet locum generis, quia sic convenit cum modis sciendi, reliquæ particulæ habent locum differentiæ.

Nota, quod prima definitio, sit essentialis, quia enunciare est essentiale propositioni, secunda autem definitio propositionis est solùm descriptiva, quia veritas & falsitas sunt proprietates propositionis.

CON-

CONCLVSIO II.

Propositio habet varias divisiones.

EXplicatur conclusio assignando has divisiones, nam propositio primò dividitur in simplicem seu categoricam, & compositam seu hypoteticam.

Categorica seu simplex est, quæ constat subjecto, prædicato, & copula; subinde tamen copula non ponitur expressè sed implicitè, ut in hac propositione, homo studet, Sensus enim est, homo est studens.

Hypothetica est, quæ constat pluribus propositionibus simplicibus, tanquam partibus principalibus aliqua unione unitis, ut verbi gratia, Petrus studet, & Paulus ridet.

Dividitur deinde propositio simplex seu categorica in affirmativam, in quâ prædicatum affirmatur de subjecto, ut verbi gratiâ, Petrus est doctus, & in negativam, in quâ prædicatum negatur de subjecto, ut homo non est lapis.

Dividitur tertiò propositio ratione materiæ in necessariam, contingentem, & impossibilem.

Necessaria est illa, quæ enunciat rem, quæ aliter se habere non potest, ut homo est animal.

Contingens est illa, quæ enunciat rem, quæ aliter se habere potest, ut omnis homo est albus, aliquis homo est albus.

Impossibilis est, quæ enunciat rem, quæ sic se habere non potest, ut homo non est animal, vel homo est lapis.

Dividitur quartò propositio ratione quantitatis, in universalem, indefinitam, particularem, & singularem.

Vniversalis est illa, cujus subjectum est terminus communis affectus signo universali, ut omnis homo est substantia, nullus homo est lapis: signa autem universalia sunt, omnis, nullus, quilibet.

Indefinita est illa, cujus subjectum est terminus communis, nullo affectus signo, ut homo est substantia; & hæc propositio in

definita

definita in materia remotâ & naturali æquivalet universali: in materia verò contingenti æquivalet particulari.

Particularis est illa, cujus subjectum est terminus communis affectus signo particnlari, ut aliquis homo est albus. Signa autem particularia sunt, quidam, aliquis.

Denique singularis est illa, cujus subjectum est terminus singularis, sive determinatus, ut Petrus orat, sive ex demonstratione, ut hic homo orat, sive ex suppositione, ut Filius Beatissimæ Virginis Mariæ est Christus.

Dividitur Quintò propositio ratione qualitatis in veram & falsam: vera est illa, quæ enunciat rem sicuti est in se; falsa autem quæ enunciat rem aliter, quàm est in se.

Dividitur ultimò propositio hypothetica in copulativam, disjunctivam, & conditionalem, ad quam reducuntur rationalis, causalis, & si sint aliæ similes.

Copulativa est illa, cujus partes principales uniuntur conjunctione copulativà, cujusmodi sunt, &, ac atque, &c. ut homo est risibilis, & petra est insensibilis. Ad ejus veritatem requiritur, quod utraq; pars sit vera: ad possibilitatem autem, quod partes sint compossibiles; vnde ista est impossibilis, Petrus orat & non orat.

Disjunctiva est, cujus partes principales uniuntur conjunctione disjunctiva, quales sunt, vel, aut, seu, sive, &c. ut, vel Petrus orat, vel studet: & ad ejus veritatem sufficit, quod altera pars sit vera.

Conditionalis est, cujus partes principales uniuntur particula si, ut si sol lucet, dies est.

Rationalis est, cujus partes uniuntur per particulam ergo igitur, &c. ut Petrus est homo ergo est risibilis.

Causalis est, cujus partes principales uniuntur per particulam, quia, aut similem; sed hæ non sunt propriè propositiones, sed potiùs argumentationes. Ad veritatem harum propositionem requiritur generaliter, quod consequens sequatur ex antecedenti. Insuper ad veritatem rationalis necesse est, ut antecedens sit verum, ob cujus defectum ista est falsa: equus est homo, ergo est animal.

Ad

Similiter ad veritatem causalis, requiritur, quod debeat antecedens esse causa consequentis. Ut autem propositio conditionalis sit vera, sufficit bonam esse illationem, licèt antecedens & consequens sint falsa, cum conditio nihil ponat in esse: unde ista est vera, si homo habet alas, potest volare.

QVÆSTIO VII.

De proprietatibus terminorum, ipsi convenientibus in propositione.

QVia proprietates terminorum ipsis solùm in propositione conveniunt, ideo hic primò de proprietatibus termini ago postmodum acturus de proprietatibus propositionis. Sunt autem sex proprietates termini scilicet, suppositio, ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio, & appellatio.

ARTICVLVS I.

Quid sit suppositio.

CONCLVSIO I.

Suppositio est acceptio termini pro se, vel pro suo significato, de quo verificatur juxta exigentiam copulæ.

PRobatur. Ly usus seu acceptio termini habet locum generis, quia sic convenit suppositio, cum alijs proprietatibus termini, scilicet cum appellatione, restrictione, ampliatione, alienatione, & diminutione.

Reliquæ Particulæ habent locum differentiæ. Additur ly pro se, vel pro suo significato, & sensus est, quod si terminus accipiatur pro se, tunc nil significet, & ideo est suppositio materialis, ut si dicã, homo est bissyllabum. Si autem accipiatur pro suo significato, tunc est suppositio formalis, ut si dicam, homo est animal rationale. Additur in definitione, de quo verificatur juxta exigentiam

copulæ, id est, suppositio est talis usus termini pro suo significato, ita ut illud significatum verè possit ostendi & demonstrari, juxta quod copula propositionis exegerit.

Ex quo colligitur, quod in hac propositione Antichristus currit, ly Antichristus, licèt accipiatur pro suo significato, non tamen supponit, quia non verificatur de eo juxta exigentiam copulæ, copula enim currit, petit subjectum jam existere, Antichristus autem defactò nondùm existit. Supponit tamen ly Antichristus in hac propositione Antichristus vivet, quia copula non petit, ut Antichristus jam productus sit, sed exigit solùm, quod Antichristus aliquando producatur, & victurus sit. Et horum omnium ratio est, quia ad hoc ut terminus verè supponat in propositione, requiritur, quod res significata per terminum supponentem sit in eo tempore, quod per copulam significatur.

CONCLUSIO II.

Suppositio formalis habet diversas divisiones.

PRobatur Conclusio, assignando has divisiones. Nam primò suppositio formalis dividitur in propriam & impropriam; propria est usus termini pro re, quam propriè significat ex hominum instituto, ut usus hujus nominis homo pro animali rationali.

Impropria seu Metaphorica est usus termini pro re quam Metaphoricè significat ob aliquam ejus similitudinem, quam habet cum proprio significato, ut usus hujus nominis Nero, ad significandum, hominem crudelem.

Dividitur secundò suppositio formalis propria in simplicem & realem seu personalem, personalis autem in communem & discretam.

Simplex est usus termini pro suo primo & immediato significato præcisè, & hoc accidit, quando subjectum propositionis est terminus primæ intentionis, prædicatum, autem secundæ; ut in hac propositione, homo est species, ly enim homo supponit pro

natura

naturâ humanâ in communi, quam primò & immediatè significat, & non pro Petro aut alio individuo, aliàs propositio esset falsa.

Hoc etiam contingit in terminis singularibus, ut in hac propositione, Petrus est individuum: vnde ob suppositionem simplicem ambæ istæ consequentiæ sunt falsæ: homo est species, ergo Petrus est species. Petrus est individuum, ergo homo est individuum.

Suppositio realis seu personalis est usus vel acceptio termini non solùm pro primo & immediato significato, sed etiam pro secundo & remoto, ut in his propositionibus, homo est animal, homo currit: ubi ly homo non solùm supponit pro naturâ humana, sed etiam pro individuis ejus. Porro quando hæc suppositio invenitur in terminis communibus, dicitur suppositio realis communis, si autem in terminis singularibus, ut cum dico, Petrus studet, dicitur suppositio realis discreta.

Dividitur tertiò suppositio realis communis, in naturalem & accidentalem.

Accidentalis est usus termini pro existentibus secundùm tempus denotatum per copulam, vel secundùm exigentiam prædicati, ut in hac propositione, homo disputat, ly homo ratione copulæ supponit pro hominibus præsentibus, & ratione prædicati supponit pro viris, disputare enim non convenit mulieribus, & hæc suppositio solùm reperitur in propositione de materia contingenti.

Naturalis verò est usus termini pro omnibus suis significatis independenter â tempore, & hæc contingit in propositionibus de materia necessariâ vel naturali, ut homo est animal, in qua propositione copula est, dicitur absolvi â tempore, adeoque hæ propositiones sunt æternæ veritatis.

Dividitur quartò suppositio communis, in distributivam, copulativam, determinatam & confusam.

Distributiva est usus termini communis pro omnibus suis significatis seorsim & copulativè sumptis, ut in hac propositione, homo est animal.

Copulativa est usus termini communis pro omnibus suis si-

gnificatis, non seorsim sed simul & collectivè sumptis, ut in hac propositione, Apostoli Christi sunt duodecim.

Determinata est usus termini communis pro omnibus suis significatis, seorsim, sed disjunctivè tantùm sumptis, ut aliquis homo est albus: quæ si resolvatur, non dicetur, hic homo est albus, & ille homo est albus, sed tantùm, vel hic vel ille homo est albus.

Confusa est usus termini communis pro omnibus suis significatis simul & disjunctim sumptis, ita tamen ut non supponat determinatè pro aliquo, sed confusè pro omnibus simul, at subdisjunctione sumptis, ut ad equitandum requiritur equus: quæ si exponatur, facit hunc sensũ, vel hic vel ille equus requiritur, quod si verò ad aliquem equum determinaretur, esset falsa propositio.

Denique suppositio distributiva communis dividitur in illam quæ est pro singulis generum, quæ dicitur completa, & est usus termini communis, non solùm pro omnibus speciebus, sed etiam pro omnibus individuis eorum, & sic supponit animal in hac propositione, omne animal est vivens. Et in illam, quæ est pro generibus singulorum, quæ dicitur incompleta, & est usus termini communis pro omnibus speciebus, non tamen pro omnibus individuis earum: ut in hac propositione, omne animal fuit in arcâ Noë, id est ex omnibus speciebus aliquod animal fuit in arcâ Noë. circa hunc articulum.

Adverte primò, quod quando terminus communis nullo signo afficitur, & propositio est in materiâ contingenti, supponit determinatè, ut in hac propositione, homo currit: si autem propositio fuerit in materiâ naturali aut remota, supponit distributivè, ut homo est rationalis.

Adverte secundò, quod signum universale affirmativum, subjectum quod immediatè afficit, faciat supponere distributivè, prædicatum autem confusè, ut in hac propositione, omnis homo est animal, si autem signum fuerit universale negativum, tunc tam prædicatum quàm subjectum supponunt distributivè, ut in hac propositione, nullus homo est equus. Excipitur tamen ab hoc

suppo-

suppositio copulata, quæ non variatur ratione signi universalis: ut in hac propositione, omnes Apostoli sunt duodecim, ubi ly Apostoli non supponit distributivè, sed copulatè.

Adverte tertiò, quod signum particulare affirmativum faciat terminum proximum supponere determinatè, remotum autem relinquit, acsi nullum signum esset positum ante propositionem; ut verbi gratiâ in hac propositione, aliquis homo est animal: si autem signum fuerit particulare negativum, tunc terminum proximum facit supponere determinatè, remotum verò distribuit ratione negationis, ut in hac propositione, aliquis homo non est albus.

Adverte ultimò, quod quilibet terminus cui applicatur actio verbi, per numeralia, bis, ter, &c. Supponit confusè, ut bis cantavi missam, ubi ly missa supponit confusè, nam remanet sensus confusus, an cantaverit duas missas, vel eandem bis cantaverit, & hæc signa appellantur specialis confusionis.

ARTICVLVS II.

Quid sit Ampliatio, restrictio, alienatio, & diminutio?

QVæres Primò, quid, & quotuplex sit Ampliatio?

Respondetur, quod ampliatio sit extensio termini â minori ad majorem suppositionem vel significationem. In quâ definitione ly extensio habet locum generis, reliquæ autem particulæ ponuntur loco differentiæ.

Est autem ampliatio duplex, una temporum, alia suppositorum. Ampliatio temporum est, quando non solum terminus supponit pro tempore importato per copulam, sed etiam pro alio tempore, ut rosa est flos corruptibilis, ubi ly rosa non solùm supponit pro rosa, existente hoc tempore designato per copulam est, sed etiam pro rosa, quæ potest esse in aliquo alio tempore: dantur autem apud Logicos, quinque temporis differentiæ, scilicet præsens, præteritum, futurum, possibile, & imaginarium.

Ampliatio ſuppoſitorum eſt, quando ſuppoſitio termini extenditur ad plura ſubjecta, ut juſti reſurgent glorioſi: ly juſti non ſolùm ſupponit pro juſtis qui nunc ſunt, ſed ſe extendit ad illos etiam qui fuerunt & erunt. Vltima ampliatio reperitur ſolùm in terminis cõmunibus, prima autem reperitur etiam in ſingularibus.

Quæres Secundò, quid ſit reſtrictio?

Reſpondetur quod reſtrictio ſit coarctatio termini â majori ad minorem ſuppoſitionem vel ſignificationem.

Fit autem reſtrictio quatuor modis. Primò per additionem. caſus obliqui, ut doctrina S. Thomæ eſt præſtantior alijs.

Secundò per appoſitionem termini adjectivi, ut homo Europæus.

Tertiò per appoſitionem ſubſtantivi minùs communis, ut animal elephas.

Quartò per appoſitionẽ alicujus adverbij, ut currit velociter.

Quæres tertiò, quid ſit alienatio?

Reſpondetur quod alienatio ſit translatio termini â propria ad improriam ſignificationem, ut verbi gratia, vicit Leo de tribu Juda, ubi ly Leo transfertur ad ſignificandum Chriſtum.

Quæres ultimò, quid ſit diminutio? Reſpondetur quod diminutio, ſit deductio termini ab integra ad non integram ſignificationem, quod fit per appoſitionem alicujus particulæ diminuentis, ut Petrus eſt albus ſecundùm dentes, ubi ly albus, quod poterat ſtare ſimpliciter, diminuitur per ly ſecundum dentes, & hoc ſolet vocari dictum ſecundùm quid: aliquando etiam terminus totaliter detrahitur à ſua ſignificatione, ut homo irrationalis eſt brutum, in quâ propoſitione non eſt propriè diminutio, ſed potius remotio termini à ſuâ ſignificatione.

ARTICULUS III.

Quid & quotuplex ſit Appellatio?

QUæres primò. Quid ſit appellatio? Reſpondetur, quod appellatio ſit applicatio ſignificati formalis unius termini ad ſignificatum alterius. Pro cujus definitionis intelligentia. Adver-

Adverte quod terminus concretus habeat duplex significatum, unum materiale, alterum formale, ut verbi gratia album habet materiale significatum ipsum subjectum, in quo est albedo; formale verò ipsam albedinem, quæ est in subjecto. Appellatio ergo est applicatio significati formalis unius termini, ad significatum sive materiale sive formale alterius. Terminus qui applicatur dicitur appellans, ille vero cui applicatur dicitur appellatus.

Quæres secundò, quomodo dividatur Appellatio?

Respondetur quod appellatio bene dividatur in materialem & formalem.

Materialis est, quando applicatur significatum formale unius termini supra significatum materiale alterius, ut in hac propositione Petrus philosophus est magnus, ly magnus non applicatur Petro ratione Philosophiæ, quæ est forma in Petro, sed ratione corporis, quod se habet materialiter in hac propositione.

Formalis est, quando applicatur significatum formale unius super significatum formale alterius, ut in hac propositione, Petrus est Philosophus magnus, ubi ly magnus non appellat super Petrum ratione corporis, sed ratione Philosophiæ.

Circa hunc articulum adverte primò, quod quando subjectum est terminus concretus, prædicatum autem terminus connotativus, tunc hic appellat supra materiale subjecti, unde ista propositio est hæretica. Christus est creatus, ista vero ob eandem rationem vera: Christus est æternus.

Adverte secundò, quod nomina numeralia, ut duo, tria, &c. applicata terminis substantivis, non appellant solùm supra significatum materiale, sed etiam supra formale, & ideo utrumque multiplicant, unde ista est hæretica, in Divinis sunt tres Dij. Si autem talia nomina applicentur nominibus adjectivis, solùm appellant supra significatum materiale rerum, & illud tantùm multiplicant, undè hæc est vera & catholica: In Divinis sunt tres æterni, si ly æterni accipiatur adjectivè, non verò si accipiatur substantivè, quo modo sumit S. Athanasius in suo symbolo fidei, dum ait, æternus Pater, æternus filius, æternus Spiritus Sanctus; & tamen non tres æterni sed unus æternus.

Adver-

Adverte denique quod in argumento sit mala consequentia, quando variatur appellatio termini: & ideo bene invigilandum est, ut cognoscatur, an termini appellatio non mutetur, alias si quis variationem appellationis termini non cognoscat, facillimè in fallacias sophistarum incurret.

QVÆSTIO VIII.

De Proprietatibus Propositionum.

POstquam egi de proprietatibus terminorum ipsis competentibus in propositione, agendum nunc est de proprietatibus ipsarum propositionum, quæ sunt tres, scilicet oppositio, æquipollentia & conversio.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit oppositio propositionum simplicium.

QUæres primò, quid sit oppositio?

Respondetur, quod oppositio sit affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundùm idem, sive quod sit repugnantia inter propositionem affirmativam & negativam ejusdem prædicati & subjecti.

Ex qua definitione colligitur ad oppositionem requiri, ut copula principalis in unâ propositione sit affirmativa in alterâ verò negativa; Item in eadem propositione debere remanere idem prædicatum & subjectum in nomine, in re significata, in integritate, in tempore, & in loco. Et ideo non esset oppositio, si dicerem, Petrus studet, Paulus non studet, nec etiam esset oppositio si dicerem, Petrus studet, Petrus non studebit.

Quæres secundò. Quotuplex sit oppositio?

Respondetur quod oppositio sit quatruplex, nimirum contradictoria, contraria subcontraria, & subalterna. Oppositio con-

contradictoria est, quando una propositio est universalis affirmativa, alia particularis negativa, vel ècontra; ut omnis homo est animal, aliquis homo non est animal; nullus homo est animal, aliquis homo est animal.

Contraria est quando ambæ propositiones sunt universales, una affirmativa, alia negativa, ut omnis homo est animal, nullus homo est animal.

Subcontraria est quando ambæ sunt particulares, una affirmativa, alia negativa, ut aliquis homo est animal, aliquis homo non est animal.

Subalterna autem non est simpliciter dicenda oppositio, quia in ea non est affirmatio vel negatio ejusdem de eodem, cùm in ipsa ambæ propositiones sint affirmativæ, vel negativæ. Est tamen inter ipsas aliqua oppositio, cum propositiones habeant diversam quantitatem, nam vna est vniversalis, alia particularis, ut omnis homo est animal, aliquis homo est animal; nullus homo est animal, aliquis homo non est animal; ubi particularis, cum contineatur sub vniversali, est ei subalternata, & dicitur subalternata: vniversalis verò dicitur subalternans, quasi sub se habens particularem.

Quæres tertio, quot sint regulæ ad cognoscendas oppositiones.

Respondetur quod sint quatuor regulæ. Et quidem prima regula est, pro contradictorijs, quod in nulla materia possint esse simul veræ, aut simul falsæ; sicut enim est impossibile, idem simul esse, & non esse, ita est impossibile quod idem affirmetur, & omnino negetur de eodem simul, idem enim esset, ut non esset.

Secunda Regula est pro contrarijs, quod in nulla materia possint esse simul veræ, alias duæ contradictoriæ essent simul veræ; possunt tamen esse simul falsæ in materia contingenti, ut omnis homo est albus, nullus homo est albus.

Tertia est pro subcontrarijs, quod nõ possint esse simul falsæ; bene tamẽ possunt esse simul veræ in materia cõtingenti, ut aliquis homo est albus, aliquis homo nõ est albus. Ratio primæ partis est, quia alias sequeretur duas contradictorias simul esse falsas, ut considerãti patebit.

Quarta pro ſubalternis eſt. Quod in materiâ naturali ſi vna ſubalterna eſt vera, alia etiã ſit vera, & ſimiliter ſi vna eſt falſa, alia etiam ſit falſa: in materia verò contingenti, vniverſalis poteſt eſſe falſa, & particularis vera, ſed non econtra.

Ex quo patet, quod ex veritate ſubalternantis ſequatur veritas ſubalternatæ, non autem ex falſitate ſubalternantis ſequatur falſitas ſubalternatæ. Econtra verò ex falſitate ſubalternatæ ſequitur falſitas ſubalternantis, non tamẽ ex veritate ſubalternatæ ſequitur veritas ſubalternantis, ut conſideranti patebit.

Porro ut meliùs cognoſcas omnes has oppoſitiones, inſpice ſequentem tabulam.



Quid ſignificent illæ quatuor vocales prope tabulam poſitæ, ſubſequenti articulo tertio explicabo.

ARTI-

ARTICVLVS II.

De æquipollentia propositionum simplicium, ejusq; definitione.

CONCLVSIO.

Æquipollentia bene definitur, quod sit duarum propositionum eisdem extremis constantium eadem vis ac valor à diversis signis proveniens, seu quod idem est, est concordia duarum propositionum, quæ ante erant oppositæ.

EXplicatur. In definitione dicitur, quod æquipollentia sit eadē vis ac valor, per quod maximè differt ab oppositione, cum per ipsam oppositionē propositiones sibi invicē repugnent. Unde æquipollentia propositiones oppositas facit idem significare. Licèt autem quatuor sint propositiones oppositæ scilicet propositiones contradictoriæ, contrariæ, subcontrariæ, & subalternæ, propositiones tamen oppositæ subcontrariæ, non possunt fieri æquipollentes, sed tantùm tres priores, pro quarum æquipollentiâ nota sequentem versum.

Præcontra dic, post contra, præ postque subalter.

Explicatur hic versus. Ly Præcontradic, denotat regulam pro contradictorijs, quæ ut fiant æquipollentes, debet præponi negatio, non, subjecto illius quam facimus æquipollentem, ut omnis homo est animal, aliquis homo non est animal, sunt contradictoriæ, cuicunq; istarū præponatur negatio, æquivalet alteri, ut hæc non omnis homo est animal, idem valet ac aliquis homo non est animal; similiter hæc non aliquis homo non est animal, æquivalet isti, omnis homo est animal.

Ly post contra, denotat regulam pro contrarijs, quæ ut fiant æquipollentes, negatio, non, debet postponi subjecto, ejus quam facimus æquipollentem, ut omnis homo orat, nullus homo orat, cuique istarum postponatur negatiò, æquivalet alteri, idem enim est, omnis homo non orat, ac nullus homo orat, similiter idem est nullus homo non orat, ac omnis homo orat.

Ly præpoſtque ſubalter, denotat regulam pro ſubalternis, quæ ut fiant æquipollentes, debent apponi duæ negationes, una ante ſubjectum, alia poſt ſubjectum, ut omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal, cuicunque apponantur duæ negationes, fiet æquipollens alteri; idem enim eſt non omnis homo non eſt animal, ac aliquis homo eſt animal: ſimiliter non aliquis homo non eſt animal, idem eſt ac omnis homo eſt animal, ut autem ſcias, quæ ſint ſigna æquipollentia, nota ſequentes verſus.

Non omnis, quidam non: omnis non, quaſi nullus;
Non nullus, quidam: ſed nullus non, valet omnis:
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.
Vterque non, neuter: neuter non, valet uterque.
non alter, neuter: non alter non, eſt uterque.

ARTICVLVS. III.

De converſione propoſitionum.

QVæres primò, quid ſit Converſio?

Reſpondetur, quod ſit transmutatio unius extremi totalis, in aliud extremum totale, id eſt, eſt mutatio unius propoſitionis in aliam, prædicatum ſcilicet ponendo loco ſubjecti, ſubjectumque loco prædicati, ut ſi dicas nullus homo eſt lapis, nullus lapis eſt homo; Ex quibus propoſitionibus ſecunda dicitur convertens, prima autem converſa.

Quæres ſecundò, Quotuplex ſit converſio?

Reſpondetur, quod ſit triplex, ſcilicet ſimplex, per accidens & per contrapoſitionem.

Converſio ſimplex eſt transmutatio extremorum propoſitionis manente eadem quantitate, & qualitate, ut nullus homo eſt equus, nullus equus eſt homo. Aliquis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo.

Converſio per accidens eſt transmutatio extremorũ propoſitionis, mutatâ quantitate, non verò qualitate: ut nullus homo eſt lapis, aliquis lapis non eſt homo.

Converſio per contrapoſitionem eſt mutatio prædicati in ſub-

subjectum variatis terminis penes finitum ac infinitum, ut si dicas; omnis homo est animal, omne non animal est non homo. Ex quo patet quod hæc non sit propriè conversio, siquidem ibi non transferuntur extrema, sed potius aufferuntur.

Quæres tertio. Quomodo cognoscere possit, quænam propositio sit convertenda simpliciter, sine per accidens, sive per contrapositionem?

Respondetur quod cognoscere poteris ex sequentibus versitus,

FEcI simpliciter convertitur, EvA per acci;
AstO per contra, sic fit conversio tota,

Circa quos versus nota hac tres voces, fEcI, EvA, AstO, & in illis quatuor vocales. A designat propositionem universalem affirmativam, E universalem negativam, I particularem affirmativam, O particularem negativam, juxta sensum horum versuum

Asserit A, negat E, sunt universaliter ambo:
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambo.

Hoc supposito explicantur primi versus. Et quidem dictio fEcI, desinat per primam vocalem E, quod universalis negativa, & similiter propositio particularis affirmativa designata per vocalem i debeant simplici conversione converti.

Dictio EvA designat propositionem tam vniversalem negativam, quam universalem affirmativam debere, vel posse converti conversione per accidens.

Ly AstO denotat propositionem universalem affirmativam & propositionem particularem negativam debere converti conversione per contrapositionem.

QUÆSTIO IX.

De propositione modali & exponibili.

ARTICVLVS I.

Quid est, Quotuplex sit propositio modalis?

QUæres primò, quid sit propositio modalis?

Respondetur, quod sit oratio continens aliquem modum

determinantem unionem prædicati cum subjecto, vel est oratio, in qua denotatur prædicatum convenire subjecto cum modo quo illi inest, & convenit. Exemplum hujus habes in hac propositione, Petrum currere est possibile.

Quæres Secundò quot sint tales modi modificantes unionem prædicati cum subjecto.

Respondetur, quod sint quatuor, possibile scilicet, contingens, impossibile, & necesse: Ex quibus ly necesse, est in materia naturali, impossibile in materia remota, contingens verò & possibile, in materia contingenti.

Nota autem, quod isti modi si sic nominaliter sumantur, semper sint prædicatum in propositione, licèt quandoque videantur poni ex parte subjecti, ut ait Aristoteles, si autem dicti modi accipiantur adverbialiter (ut impossibilter, possibiliter, necessariè, contingenter) sic quidem non possunt esse prædicatum in propositione, magis tamen modificant unionem prædicati cum subjecto.

Nota præterea, quod isti modi æquivaleant alijs signis universalibus & particularibus supra assignatis, ut patet ex duobus sequentibus versibus.

Omnis, necesse valet: impossibile nullus,
possibile, quidam: quidam non, possibile non.

Quæres tertiò, Quotuplex sit propositio modalis?

Respondetur esse duplicem, scilicet compositam & divisam.

Composita est, quæ facit sensum compositum, divisa autem est, quæ facit sensum divisum, ut autem intelligas, quando fiat sensus compositus, & quando divisus.

Nota: tunc fieri sensum compositum, quando extrema dicti secundùm significata formalia uniuntur ad invicē pro eodem tempore, ut si dicas, cæcum videre est possibile, fit talis sensus, quod cæcus videat seu possit videre, aut quod simul ad invicem se compatiantur in eodem subjecto pro eodem tempore cæcitas & visio, alij dicunt quod sensus compositus sit compositio actus cum actu.

Tunc autem fit sensus divisus, quando extrema dicti non uniuntur secundū significata formalia, sed significatū formale prædicati

dicati unitur materiali significato subjecti, pro diverso quoq; tempore, ut si dicas, cæcus est possibiliter videns, sensus est, quod ille qui est cæcus amittendo cæcitatem possit fieri videns, vel quod cæcus habeat potentiam ad videndum, non quidem pro eodem tempore, quo est cæcus, sed pro alio tempore quo non est cæcus. Alij autem dicunt, quod sensus divisus sit compositio actus cum potentiâ. circa quod

Notandum quod sensus compositus sit omninò impossibilis in re, sensus autem divisus, non solùm est possibilis, sed etiã fit in re.

ARTICULUS II.

Quid sit propositio exponibilis, & quot ejus sint species?

QUæres primò, Quid sit propositio exponibilis?

Respondetur quod illa propositio dicatur exponibilis, quæ facit sensum obscurum, ratione alicuius in eâ inclusi; & ideo indiget exponi per aliam propositionem clariorem, quæ dicitur exponens, alia verò exponibilis.

Quæres secundò, quot sint species propositionis exponibilis?

Respondetur quod sint tres, scilicet exclusiva, exceptiva, & reduplicativa.

Propositio exclusiva dicitur illa, quæ modificatur dictione exclusivâ, seu termino significante exclusionem, quales sunt solùm, tantùm, duntaxat &c. Si talis dictio applicetur subjecto, efficit totam propositionem absolutè exclusivam; unde excludit omnia alia subjecta à participatione prædicati, ut, tantùm homo est rationalis; quæ sic exponitur: homo est rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale. Si autem dictio exclusiva applicetur prædicato; tunc dicitur propositio de excluso extremo, & excludit â subjecto omnia alia prædicata, ut Angelus est tantum Spiritus, quæ sic exponitur. Angelus est spiritus, & non est aliquid aliud. Aliquando tamen istæ dictiones exclusivæ non ita rectè applicantur, cui debent, scilicet subjecto vel prædicato; unde ex antecedentibus &

con-

consequentibus colligendus est sensus, nunquam tamen excludunt ab illo, cui applicantur, ea quæ illud necessario concomitantur.

Propositio exceptiva est, quæ afficitur dictione exceptivâ ut præter, aut simili, & vocantur exceptivæ, quia aliquid ex aliquo communi distributo excipiunt: unde non est propria exceptio, si non sit talis distributio; sicut in ista, homo est albus præter Petrum. Istæ propositiones optimè exponuntur si loco dictionis, præter, ponatur, excepto: ista enim, omne animal præter hominem est irrationale, sic bene exponitur: omne animal excepto homine est irrationale: vel per copulam implicationis negativam, ut omne animal, quod non est homo, est irrationale.

Propositio reduplicativa est, quæ afficitur dictione reduplicativâ, quales sunt, in quantum, quatenus, quâ ratione, secundùm quod, ut sic, &c. ut Petrus in quantum homo, est rationalis: vocantur autem reduplicativæ, quia quasi duplicant subjectum, aut prædicatum. Possunt autem istæ particulæ summi vel specificativè, vel reduplicativè: tunc sumuntur reduplicativè, quando reduplicant causam, cur prædicatum conveniat subjecto, ut homo in quantum rationalis, est risibilis; in quantum albus disgregat visum. Et istæ optimè exponuntur per causalem, ut quia homo est rationalis, est risibilis; quia est albus, disgregat visum.

Summuntur autem specificativè, quando reduplicant rationem, formalem, cui adæquatè convenit prædicatum, quæ tamen non est causa ejus; ut ens in quantum ens, est objectum Metaphysicæ; hìc enim non significatur causa, sed natura, cui adæquatè convenit prædicatum. Et istæ non exponuntur per causalem, sed aliqualiter per conditionalem, ut si est ens, est objectum Metaphysicæ.

LIBER

LIBER III.

De his quæ ſpectant ad tertiam mentis operationem quæ eſt diſcurſus.

QUia argumentatione dirigitur tertia mentis operatio, ideo de illa hic agendum: quia autem ſupra jam dixi, quid ſit argumentatio, & quæ ejus ſpecies, ideo hic ſolùm de præcipuâ ejus ſpecie, quæ eſt ſyllogiſmus, tractabo.

QUÆSTIO X.

De Syllogiſmo, & ejus diviſionibus.

ARTICULUS VNICUS.

Quid & quotuplex ſit Syllogiſmus?

CONCLUSIO.

SYllogiſmus eſt oratio, in quâ quibuſdam poſitis (id eſt poſitis præmiſſis) aliud quiddam diverſum ab his quæ poſita ſunt (puta concluſio) neceſſariò accidit (id eſt ſequitur) eò, quod hæc ſint bene juxta artem ſyllogiſticam diſpoſita. Ita Ariſtoteles lib. 1. priorum cap. 1.

Explicatur hæc doctrina: nam ſyllogiſmus ob medium, quod in ſe habet, in quo uniuntur extrema, in præmiſſis concludit unionem extremitatum inter ſe in concluſione, neque indiget aliquo termino in concluſione, quem non habeat in præmiſſis. Exemplum ſit in hoc ſyllogiſmo. Omne corpus eſt ſubſtantia omnis homo eſt corpus, ergo omnis homo eſt ſubſtantia; ubi vides tres propoſitiones, duas quæ ſunt præmiſſæ inferentes tertiam, quæ

est conclusio, & in tertia uniuntur duo illa extrema, homo & substantia, eò quod in præmissis uniantur cum medio, quod est corpus, adeo, ut qui concedit duas priores propositiones, necessariò, & quasi pondere quodam trahatur ad concedendam tertiam. ubi

Nota quod in quolibet syllogismo sint tres propositiones, quæ dicuntur materia proxima syllogismi: & hæ tres propositiones debent constare ex tribus terminis, qui dicuntur materia remota, & vocantur, medium, majus extremum, & minus extremum.

Medium bis in præmissis repetitur, & est ratio unionis inter alias duas extremitates.

Majus extremum est illud, quod in majori jungitur cũ medio.

Minus extremum est illud, quod in minori propositione jungitur cum eodem medio.

Quæres primò, quomodo dividatur syllogismus ratione materiæ proximæ?

Respondetur, quod primò dividatur in affirmativũ & negativũ.

Secundò in categoricum & hypoteticum.

Tertiò in demonstrativum, probabilem, & sophisticum.

Affirmativus est, cujus conclusio est affirmativa.

Negativus est, cujus conclusio est negativa.

Categoricus est, cujus omnes propositiones sunt categoricæ.

Hypoteticus verò, cujus omnes, vel saltem aliqua propositio est hypotetica.

Demonstrativus, qui & demonstratio dicitur, est, qui componitur ex propositionibus necessarijs, & generat scientiam.

Probabilis est, qui componitur ex probabilibus, & generat opinionem.

Sophisticus est, qui componitur ex apparentibus veris, cùm tamen sint falsæ, & generat errorem. Solent etiam appellari Posterioristicus, topicus, & Elenchus, quia de illis agit Aristoteles in libris posteriorum, topicorum & Elenchorum.

Quæres secundò, Quomodo dividatur syllogismus ratione materiæ remotæ?

Respondetur, quod dividatur in communem & singularem, sive expositorium.

Syllo-

Syllogismus communis est, cujus medium est terminus communis.

Singularis est, cujus medium est terminus singularis, & dicitur expositorius sive sensibilis demonstratio, quia ad sensum explicat unionem extremorũ inter se, propter unionem, quæ percipitur, eorum cum medio: & licèt possit fieri in qualibet figurâ servatâ affirmatione & negatione modorũ, tertia tamen est magis idonea, quia medium in eâ subjicitur, & est proprium termini singularis, esse subjectum propositionis. Exemplum sit in hoc syllogismo. Petrus est albus, Petrus est currens, ergo aliquod album est currens. Ubi

Notandum, quod sicut in syllogismo communi, ut rectè concludat medium, debet verè esse commune, & distributum, ita in syllogismo expositorio, medium debet esse omnino singulare & incommunicabile: quod si contingat aliquod singulare esse communicabile multis, ut defacto est natura Divina, tunc habet rationem termini communis, & syllogismus, cujus erit medium, non erit propriè expositorius, sed æquivalebit communi ex puris particularibus, ex quibus in quacunq; figura nihil sequitur, ex vi illationis, ut postea dicetur: unde nulla est consequentia, hujus argumenti: hæc Essentia Divina est Pater, hæc Essentia Divina est filius, ergo in Divinis filius est Pater.

QVÆSTIO XI.

De Figuris & modis syllogismorum, regulisq; figurarum.

ARTICVLVS I.

Quot sint figuræ syllogismi, & quot earum modi?

CONCLVSIO.

Tres tantùm sunt figuræ syllogismorum, scilicet prima, secunda; & tertia.

PRobatur. Tot sunt figuræ, quot modis potest fieri combinatio medij cum extremis, sed tantùm tribus modis potest fieri

ista combinatio, ergo sunt tantùm tres figuræ. Probatur minor. nam mediũ vel subijcitur in majori, & in minori prædicatur, & sic est prima figura: vel in utraq; prædicatur, & sic est secunda figura: vel in utraq; subijcitur, & sic est tertia figura, quod sequẽs versus declarat.

Sub, præ prima; secunda bis præ, tertia bis sub.

Ex hoc colligitur, quod præter has tres figuras, non sit admittenda quarta, quam vocant Galeni, in qua medium prædicatur in majori, & in minori subjicitur, quia tales syllogismi sunt reverâ in primâ figurâ, & in voce habent transpositas præmissas.

Quæres, an, & quot in quavis figurâ sint modi argumentandi utiles?

Respondetur, quod in unaquaque figura sint varij modi argumentandi utiles. In primâ quidem novem, ex quibus quatuor primi sunt directi, alij quinque indirecti, sic dicti, quia in illis conclusio non est directa, siquidem in illâ minus extremum concluditur de majori, & sic efficit propositionem indirectam, quia inferius prædicatur de superiori, id est minor extremitas prædicatur de majori extremitate in conclusione.

In secundâ figurâ sunt quatuor modi. In tertiâ verò sex. & singuli modi secundæ & tertiæ figuræ concludunt directè; omnes autem exprimuntur quatuor sequentibus versibus.

Barbara, celarent, darij, ferio, baralipton.
Celantes, dabitis, fapesmo, frisesomorum.
Cesare, camestres, festino, baroco, darapti.
Felapton disamis, datisi, bocardo ferison.

Circa quæ vocabula nota, quod quodlibet illorum constet tribus syllabis (aliæ enim syllabæ, si sint plures, ponuntur ratione carminis) prima significat majorem, secunda minorem tertia conclusionem. Denotat etiam quælibet syllaba quantitatem & qualitatem illius propositionis, cui respondet per vocalem, ex quâ conflatur, sunt autem vocales illæ A, E, I, O. quarum significationem vide supra.

Exem-

Exempla modorum directè concludentium PRIMÆ FIGURÆ.

Modi primæ figuræ directè concludentes.

Bar	Omne animal est substantia	Ce	nullum animal est lapis
ba	omnis homo est animal	la	sed omnis homo est animal
ra	ergo omnis homo est substantia	rent	ergo nullus homo est lapis.
Da	Omne animal est vivens	Fe	Nullum animal est lapis
ri	sed aliquis homo est animal	ri	sed aliquis homo est animal
i	ergo aliquis homo est vivens.	o	ergo aliquis homo non est lapis.

Modi primæ figuræ qui indirectè concludunt, & sunt quinq.

Ba	Omne animal est vivens	Ce	Nullus lapis est vivens
ra	sed omnis homo est animal	lan	sed omnis petra est lapis
lip	ergo aliquod vivens est homo.	tes.	ergo nullum vivens est petra.

Nota. illa conclusio est directa quando major extremitas prædicatur de minori extremitate in conclusione.

Illa est autem conclusio indirecta, in quâ minor extremitas prædicatur de majori extremitate in conclusione.

Da	Omne animal est vivens,	Fa	Omne animal est vivens
bi	sed aliquis Leo est animal	pes	sed nullum saxum est animal
tis	ergo aliquod vivens est Leo	mo	ergo aliquod vivens non est saxũ.
Fri	Aliquis homo est animal		
se	sed nulla arbor est homo		
so	ergo aliquod animal nõ est arbor		

Modi secundæ Figuræ.

Ce	Nullum vitium est virtus	Ca	Omnis Sapientia est virtus
sa	sed omnis Sapientia est virtus	me	sed nullum vitium est virtus
re	ergo nulla Sapientia est vitium.	stres	ergo nullum vitium est sapientia.
Ba	Omnis sapientia est virtus	Fe	Nullum vitium est virtus
ro	aliquod vitium non est virtus	sti	sed aliqua sapientia est virtus
co	ergo aliquod vitiũ nõ est sapiẽtia.	no	ergo aliqua sapientia nõ est vitiũ.

Modi Tertiæ Figuræ.

Da rap ti	Omnis homo est rationalis omnis homo est animal ergo aliquod animal est rationale	Fe lap ton	Nullus lapis est vivens sed omnis lapis est insensibile ergo aliquod insensibile non est vivens
Di sa mis	Aliquis homo est animal sed omnis homo est rationalis ergo aliquid rationale est animal	Da ti si	Omnis homo est animal sed aliquis homo est vivens ergo aliquod vivens est animal.
Bo car do	Aliquis homo non est lapis sed omnis homo est animal ergo aliquod animal nõ est lapis.	Fe ri son	Nullus homo est lapis sed aliquis homo est animal ergo aliquod animal nõ est lapis.

Circa hos modos nota, quod licèt omnes deserviant argumentationi, quatuor tamen primi modi, scilicet Barbara, celarent, darij, & ferio, sunt præstantissimi, quia si quis concessis præmissis negaret consequentiam in alijs modis, tunc deberent illi syllogismi formati in alijs modis, reduci ad istos quatuor modos præfatos, utpote quorum consequentia est nobis magis clara & evidens. Est autem duplex reductio syllogismorum imperfectorum ad primos quatuor perfectos primæ figuræ, quarum una vocatur reductio ostensiva, altera reductio per impossibile: sed quia rarò aut nunquam contingit fieri talem reductionem ostensivam, aut per impossibile, meritò in præsenti de talibus reductionibus non differo, sufficit enim tyroni Philosopho posse formare bonos syllogismos in præfatis figuris & modis.

ARTICVLVS II.

Quænam sint regulæ communes & generales trium figurarum.

REspondetur quod dentur sex regulæ generales ad judicandum de bonitate consequentiæ in quavis figura.

Prima regula est, quod ex puris particularibus nihil sequatur, unde ad minus una præmissarũ debet esse universalis defectu cujus regulæ nõ est bonus syllogismus, aliquis equus est animal, aliquis homo est animal, ergo aliquis equus est homo. Hæc

Hæc tamen regula intelligenda est, quod ex vi illationis nihil sequatur, nam ratione materiæ inclusæ subinde aliquid sequi potest, ut in hoc syllogismo, aliquod animal est vivens, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo est vivens, ubi consequens est verum non ex vi illationis, sed ex vi materiæ.

Ratio autem hujus regulæ est, quia medium in aliquâ saltem præmissarum debet distribui, ut sic perfectè possit conjungi, vel disjungi ab extremitatibus.

Alia ratio est, quia propositio particularis non habet determinatam veritatem, cum rem particularem vagè & indeterminatè significet, & ideo in syllogismo constante puris particularibus nihil sequitur, saltem ex vi illationis.

Secunda regula est, quod ex puris negativis nihil sequatur in quacunque figurâ ex vi illationis, unde non valet hæc consequentia, nullus homo est irrationalis, sed nullus leo est homo, ergo nullus leo est irrationalis. Ratio hujus est, quia ex hoc, quod aliqua duo distinguantur ab aliquo tertio, non sequitur ea distingui aut identificari inter se.

Tertia regula est, si aliqua præmissarum fuerit particularis, conclusio etiam debet esse particularis, quia conclusio semper sequitur debiliorem partem. Eandem ob causam si una ex præmissis fuerit negativa, etiam conclusio erit negativa, quia ut dictum est, conclusio semper sequitur debiliorem partem, particularis autem est debilior universali, & negativa est debilior affirmativâ.

Quarta regula est, quod medius terminus nunquam debeat poni in conclusione sub ratione medij termini. Ratio hujus est, quia unus terminus solùm bis potest poni in syllogismo, si medium autem poneretur in conclusione, tunc jam poneretur ter, aliquis terminus in syllogismo.

Quinta regula est, quod neq; circa medium terminum, neque circa extremitates debeant mutari proprietates terminorũ, exceptâ solâ suppositione, quæ causatur ex diversis signis. Hæc enim potest variari, ita ut distributiva varietur in determinatam, & econtra. Ratio hujus est, quia alias in syllogismo non essent tantùm tres termini,

mini, sed etiam essent subinde quatuor in syllogismo, imo destrueretur tota ars syllogistica. Defectu cujus regulæ non est bonus, syllogismus, omnis canis est latrabilis, sed sidus cæleste est canis, ergo sidus cœleste est latrabile, quia ly canis aliter supponit in majori nimirum pro cane terrestri, & aliter in minori, nimirum pro cane cœlesti.

Sexta regula est, quod in conclusione non debeat distribui aliquis terminus, qui non fuerit distributus in præmissis. Ratio est, quia alias argueretur à non distributo ad distributum, & conclusio non sequeretur debiliorem partem: unde non valet, omnis homo est animal, nullus homo est equus, ergo nullus equus est animal, quia ly animal magis, distribuitur in conclusione quàm in præmissis. porro, ut melius has regulas memoriæ mandes, nota sequentes versus.

Partibus è puris sequitur nihil, atque negatis,
Si qua negans præmissa præit, vel particularis,
Clausula fit similis; medio nec clausula constet.
Sumendum semel est medium generaliter; at nil

ARTICULUS III.

Quot sint regulæ particulares & propriæ cujusvis figuræ?

Q - - -

in neutrâ præmiſſarum diſtribueretur. Similiter majori exiſtente particulari nihil ſequitur, quia alias majus extremum diſtribueretur in concluſione, cum in majori non fuiſſet diſtributum.

Tertia eſt, ſi in tertia figurâ minor ſit negativa, nihil ſequitur, quia majus extremum diſtribueretur in concluſione, cum tamen non fuiſſet diſtributum in majori: ſimiliter ſemper concluſio debet eſſe particularis, alias minus extremum diſtribueretur in concluſione, cum non fuiſſet diſtributum in præmiſſis. Hæ regulæ his verſibus explicantur, pro quatuor primis modis primæ figuræ.

Nec minor eſto negans, nec major particularis.

Pro ſecundâ figurâ.

Majorem poſcit generalem Schema ſecundùm,
Una eſto propheſis, concluſioque negata.

Pro tertiâ figura.

Aiens eſt minor, concluſio particularis.

ARTICVLVS IV.

In quibus principijs fundetur ars ſyllogiſtica?

REſpondetur, in duobus: primum principium eſt, quæcunque ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, & hoc principium deſeruit ſyllogiſmis affirmativis, ſeu quorum concluſio eſt affirmativa.

Explicatur hoc principium. Senſus illius eſt, quando aliqua uniuntur perfectè & adæquatè cum ipſo medio, tunc etiam neceſſe eſt, quod inter ſe uniantur, ut verbo gratia, quia rationale & animal uniuntur cum homine tanquam cum aliquo tertio in iſtis præmiſſis, omnis homo eſt animal, ſed omne rationale eſt homo: hinc etiam debent uniri inter ſe in concluſione dicendo, ergo omne rationale eſt animal.

Secundum principium eſt, quæcunque ſunt eadem inter ſe perfectè & adæquatè, tunc ſi unum illorum diſtinguitur ab aliquo tertio, etiam neceſſariò alterum ab illo tertio diſtingui debet, verbi gratia, quia homo & rationale inter ſe identificantur, ſuntque idem inter ſe, bene etiam ſequitur, quod ſi homo diſtinguitur à

lapide, quod etiam rationale distinguatur â lapide, & hoc principium deseruit syllogismis concludentibus negativè.

Nota hic, quod supra ista duo principia, fundentur duo alia principia valde usitata, quæ distinguuntur ab illis tantùm per hoc, quod illa ordinentur ad esse, hæc verò ad prædicari, & ista duo principia consecuta ex duobus prioribus sunt principia dici de omni, & dici de nullo.

Principium dici de omni sic intelligendum est, quidquid dicitur de subjecto perfectè & completè distributo, etiam dicitur de omni illo, quod continetur sub tali subjecto perfecte distributo, ut verbi gratia, quia de homine universaliter dicitur quod sit animal, etiam debet affirmari de quocunque homine, quod sit animal. Et hoc principium etiam deseruit syllogismis concludentibus affirmativè.

Principium dici de nullo facit hunc sensum, quidquid negatur de aliquo subjecto completè & perfectè distributo, etiam negari debet de omni contento sub illo, ut quia de homine universaliter negatur quod sit lapis, etiam negari debet de omni contento sub homine, verbi gratia de Petro, Paulo, &c. quod sit lapis, & hoc principium deseruit syllogismis concludentibus negativè.

QVÆSTIO XII.

De locis argumentandi probabiliter & sophisticè.

NOn ago hic de syllogismo demonstrativo, seu de demonstratione, quia de illa in Logicâ tractabo, sed tantùm de syllogismo probabili, seu opinativo & sophistico, de quibus Aristoteles in libris topicorum & Elenchorum tractat paucis differam.

ARTICULUS I.

De locis argumentandi internis.

LOci Dialecticè vocantur sedes, ex quibus eruuntur argumenta, quia autem sunt duplices loci, alij interni alij externi, ideo in præsenti solum de internis agam.

Primus

Primus locus internus est, à definitione, tam ad confirmandum, quam ad refellendum, ut omne animal rationale est risibile, sed omnis homo est animal rationale ergo etiam omnis homo est risibilis. Fundatur autem hic locus argumentandi in isto dicto, cui convenit definitio, convenit etiam definitum.

Huc etiam spectat locus argumentandi à definito ad definitionem, quia vice versa cui convenit definitum, convenit etiam definitio.

Huc etiam pertinet locus argumentandi à differentia, ut verbi gratia, est particeps rationis, ergo est homo; & ècontra non est particeps rationis, ergo non est homo: & iterum, est homo, ergo est particeps rationis; & ratio hujus est, quia de quo dicitur differentia specifica, etiam dicitur species, & ècontra. Circa quem locum.

Nota, quod iste locus argumentandi à differentia, non tantùm deserviat argumentationi probabili, sed etiam demonstrativæ, puta quando definitio est essentialis, qualis est hæc, homo est animal rationale.

Secundus locus est ab Ethymologia nominis, dummodo convertatur cùm ipso nomine, ut amator sapientiæ debet vivere secundùm virtutem, sed Philosophus est amator sapientiæ, ergo Philosophus debet vivere secundùm virtutem.

Tertiùs locus est à genere, sive à superioribus attributis ad inferiora probanda: ut omne animal sentit: omnis homo & animal, ergo omnis homo sentit: vel ècontra à specie ad genus; ut homo ambulat ergo animal ambulat.

Quartùs locus est à conjugatis: conjugata autem sunt, quæ constant ex verbis ejusdem generis, & quæ ab uno derivata inter se variantur, ut justitia est virtus, ergo justus est virtuosus.

Quintus locus est à partibus ad totum, & ècontra; ut cæli, elementa &c. moventur: ergo mundus movetur: nota tamen, quod omnes partes debent simul sumi.

Sextus locus est à forma ad effectum, ut habet animam rationalem, ergo est homo: quia positâ formâ ponitur effectus, & illa

sublatâ aufferetur effectus: vel ab effectu ad causam formalem; ut est homo, ergo habet animam rationalem. Similiter valet ab alijs causis ad effectus, & econtra. Hic etiam modus potest servire demonstrationi.

Septimus locus, qui ferè non differt à præcedenti, est ab antecedentibus & consequentibus, ut est admirativus, ergo est risibilis, &ècontra. Item est sophista, ergo fallax.

ARTICULUS II.

Quot sint loci argumentandi externi?

REspondetur quod sint tres, Primus est à contrarijs, quæ sunt in quadruplici differentia, scilicet adversa, contradictoria, privata, & relativa.

Ab adversis, ut est nigrum, ergo non est album.

A contradictorijs, ut ista propositio est falsa, aliquis homo est arbor, ergo alia erit vera, nullus homo est arbor.

A privatis, ut, est cæcus, ergo non videt.

A relativis, ut in Divinis est filius, ergo est Pater.

Secundus locus est à comparatis: sed multipliciter dividitur; unde vel est â simili, vel à dissimili, vel à majori ad minus, vel à minori ad majus, vel à pari.

A simili, ut, quod est oculus in corpore, idest intellectus in anima, sed corpus videt oculo, ergo etiam anima videt intellectu.

A dissimili: ut inimici procurant sibi nocere, ergo amici procurant sibi placere.

A majori ad minus, ut iste fert pondus decem librarum, ergo potest ferre pondus quinque.

A minori ad majus; ut puer portat hoc pondus, ergo vir robustus potest portare.

A pari: ut iste suspenditur propter furtum, ergo & ille propter furtum debet suspendi.

Tertius locus est à testimonijs. Qui locus tantùm haber veritatem & authoritatem ob testimonium dicentis; vnde sic dicens, non potest non dicere verum. Iste locus est validissimus, ut Deus

hoc

hoc in scripturâ dicit, ergo ita est. Testimonia autem humana valent juxta autho-

ARTICULUS III.

De fallacijs Saphistarum.

De fallacijs Saphistarum.

SYllogismus Sophisticus est ille, qui ex his, quæ videntur probabilia, nec sunt, colligit conclusionem apparentem.

Fallacia autem vel est in ipsa voce, & dicitur fallacia in dictione, vel est in re significata, & dicitur fallacia extra dictionem.

Quæres primò, quot sint fallaciæ in dictione.

Respondetur quod sint quinque. Prima est, fallacia æquivocationis propter unitatem vocis, cum multiplicitate significationis: ut omnis canis est latrabilis: quædam constellatio est canis, ergo quædam constellatio est latrabilis.

Secunda est fallacia Amphibologiæ, quæ accidit ex ambiguitate sententiæ, ut omnes Episcopi sunt Sacerdotes, sed isti boves sunt Episcopi, ergo isti boves sunt Sacerdotes: Ly Episcopi in majori ponitur in recto, in minori autem in genitivo.

Tertia est fallacia accentûs, quæ accidit pro varietate accentus, ut omnis ara est in templo, sed stabulum est hara, ergo stabulum est in templo.

Quarta est fallacia figuræ dictionis, quæ provenit ex similitudine duarum dictionum: ut digitos quos olim habebas, nunc habes; sed olim habebas digitos parvos, ergo nunc etiam habes digitos parvos.

Quinta est fallacia divisionis & compositionis, quando scilicet à sensu diviso procedimus ad sensum compositum, vel econtra, ut prædestinatum possibile est damnari, quod est verum. ergo prædestinarum damnari est possibile: quod est falsum.

Quæres secundò, quot sint fallaciæ extra dictionem?

Respondetur quod sint septem.

Prima est accidentis, & fit, quando id, quod attribuimus accidenti, attribuimus etiam subjecto, ut homo est albus albedine accidenti, ergo homo est accidentalis.

Secunda fallacia est, à secundùm quid ad simpliciter, vel econtra: & fit, quando argumentamur à terminò, qui supponit secundùm quid, ad terminum simplicitet, vel econtra; ut Æthiops est albus secundùm dentes, ergo æthiops est albus.

Tertia fallacia est ignorationis Elenchi. Elenchus autem est syllogismus contradictorius; idest quando ex concessis colligitur contradictio. Ista autem fallacia accidit, qnandò videtur colligi contradictio, & reverà non colligitur, ùt Petrus heri cænavit, & hodie non cænavit, ergo cænavit, & non cænavit.

Quarta fallacia est petitionis principij, quando scilicet probatur conclusio, per ipsammet conclusionem sub alijs verbis.

Quinta fallacia est consequentis, quando scilicet argumentamur à termino consequenti ad terminum antecedentem, quod fit dupliciter; Primò, quando ex affirmatione termini consequentis inferimus antecedentem, ut, est animal, ergo est homo. Secundo quando ex negatione termini antecedentis, negamus consequentem, ut non est homo, ergo non est animal.

Cessat autem fallacia, si tales termini sint simul mutuo, antecedens & consequens. Hæc fallacia sæpe contingit, quando ex contradictorio antecedentis, videtur colligi in argumento contradictorium consequentis, ut, si currit movetur, ergo si non currit, non movetur.

Sexta fallacia est non causæ ut causæ, & est qnando falsitas consequentis attribuitur alicui præmissæ, quæ reverà non est causa, ut propter studium vel peccuniam committo imperfectiones: ergo studium & peccuniæ aufferendæ sunt.

Septima deniq́ue est plurimum interrogationum, ad qnas non potest responderi vnicâ responsione; ut homo & lapis suntne animal?

Et hæc de summulis dicta sufficiant, maximè cum ex dictis homo per suum exercitium & judiciuu, facilè artem syllogizandi discet, artemq́ue inveniendi medium in argumentando.

O. A. M. D. G.

TRA-

TRACTATVS II.

CONTINENS

UNIVERSAM LOGICAM JUXTA MENTEM ANGELICI DOCTORIS DIVI THOMÆ AQUINATIS.

PROLOGVS.

DUxi hactenùs Ariadnâ meâ Thomisticâ Theseum per blandiores summularum vias, nunc verò eundem ad Logicalium disceptationum ingrediendam invito palæstram, illam scilicet, quam vel à spinis intextam liberavi totaliter, aut saltem mitiori scientiæ rationalis fragrantiâ exornavi. Quod si tamen spinas quandoque te inveniſſe putes, scito, illas non tam spinas quàm rosas esse, quæ pingunt non pungunt, defendunt non offendunt, propugnant non expugnant. Age proinde amice Thesee, & laboris loricâ & constantiæ cassidè armatus viam hanc mecum ingredere, certus quod Victor tandem opimâ reportâ messe evades.

QUÆSTIO I.

De Inclinatione, qualitate, & objecto Logicæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum homo naturaliter inclinetur in Logicam artificialem?

NOtandum primò, quòd Logica infusa fuerit Adamo à Domino Deò, ab hoc autem devenit ad filios Adami, & ab his ad Noë, Abrahamum, Chaldæos & Græcos, & ita ad reliquos: donec tandem Aristoteles eandem Logicam in certas partes pulchro ordine divisit, & syllogizandi artem ad certam methodum reduxit.

Nota secundò: quòd nomen Logicæ derivetur à Græco verbo Logos, quod latinè significat, verbum, ratio, sermo, sapientia, quæ actus intellectus concernunt, & exinde hæc scientia dicta est Logica, quia ipsius officium est actus intellectûs dirigere.

Nota tertiò, quòd Logica sit duplex, una naturalis, altera artificialis.

Naturalis est ipse noster intellectus, per quem homo rationalis in materiâ quadam notissimâ potest utcumque discurrere, vel etiam aliqualiter dividere, & definire.

Logica autem artificialis est habitus quidam nostris actibus acquisitus residens in intellectu, quo intellectus potest in quacunque materiâ facilè, promptè & sine errore definire, dividere, & argumentari.

Nota quartò, quod Logica artificialis sit duplex, scilicet docens & utens.

Logica docens est, quæ tradit præcepta syllogizandi, &c. utens autem est, quæ utitur talibus præceptis.

Sicut autem Logica est docens tam in parte demonstrativâ (in quâ agitur de syllogismo demonstrativo) quàm etiam in parte topicâ (in qua agitur de syllogismo probabili) quàm etiam in parte sophisticâ (in quâ agitur de syllogismo sophistico) ita etiam

Logica

Logica in omni hac materiâ est utens. Ratio hujus est, quia ideo Logica est docens in omnibus istis partibus, quia tradit in omnibus istis partibus præcepta, sed Logica etiam in omnibus illis partibus utitur præceptis, ergo etiam in omnibus illis partibus erit utens, cum Logicam esse utentem nil sit aliud, quâm quòd utatur præceptis â Logicâ docente præscriptis. Ex quo ulteriùs fit, quòd quia Logica docens præscribit etiam præcepta & formam, quomodo in omnibus alijs scientijs formandi sint syllogismi, hinc etiam Logica in alijs scientijs habebit usum quoad hanc formam syllogisticam: neque hunc usum inadæquatum ratione soliùs formæ in alijs scientijs Logicæ negat S. Thomas 4. Met. lect. 4. quamvis usum adæquatum tam ratione formæ, quam ratione materiæ in demonstrationibus aliarum scientiarum S. Thomas Logicæ non concedat.

Nota quintò: quod dupliciter aliquid sit homini necessarium seu naturale.

Primò per modum propriæ passionis, sicut homini necessaria & naturalis est risibilitas.

Secundò est aliquid alteri connaturale tanquâm terminus inclinationis naturalis, sicut lapis necessariò & naturaliter inclinatur in suum centrum, tanquàm in terminum naturalem suæ inclinationis naturalis. His præmissis sit.

CONCLVSIO I.

Logica artificialis non est homini necessaria ratione propriæ formæ, id est ratione animæ rationalis, tanquam propria passio.

PRobatur. Id quod convenit alicui tanquam propria passio, hoc habetur absque labore, & convenit omnibus habentibus talem formam, sed Logica non habetur absque labore, nec convenit omnibus habentiqus formam humanam, ergo Logica artificialis non est homini necessaria ratione propriæ formæ, &c.

Major patet in risibilitate, quæ absque labore omnibus habentibus formam humanam convenit: minor etiam constat, quia non omnes homines sunt Logici.

Nota hic quòd licèt Logica artificialis, non sit homini necessaria tanquàm propria passio, inclinatio tamen hominis in Logicam est propria passio hominis, & convenit omnibus hominibus sine labore; sicut licèt centum non sit propria passio lapidis, seu alterius corporis gravis, inclinatio tamen ad centrum est propria passio lapidis, vel corporis gravis: & ita homo inclinatur in omnes scientias tanquam in terminum adæquatum, in Logicam autem inclinatur tanquam in terminum inadæquatum.

CONCLVSIO II.

Logica est homini necessaria ab intrinseco ratione propriæ formæ, tanquam terminus inclinationis ipsi homini ratione formæ competentis.

PRobatur conclusio primò authoritate Aristotelis 1. Met. text. 1. ubi sic ait; omnes homines naturâ scire desiderant: modò subsumo. Sed Logica artificialis est etiam quoddam scire, seu quædam scientia, ergo homo naturâ suâ desiderabit Logicam, & consequenter inclinabitur in illam.

Probatur secundò, conclusio authoritate, & ratione S. Thomæ 1. Met. lect. 1. super citata verba Aristotelis. Homo & quælibet res naturaliter appetit suam propriam perfectionem, sed magna hominis perfectio est Logica, uti & quæcunque aliæ scientiæ, ergo homo naturaliter appetit Logicam. Major patet: ex eo enim materia appetit appetitu naturali formam, quia scilicet forma est propria perfectio ipsius, actuans & perficiens eam quoad esse specificum substantiale, ergo quævis res naturaliter appetit suam propriam perfectionem: minor autem probatur. Nam Logica & reliquæ scientiæ sunt habitus & formæ quædam facilitantes intellectum ad cognitionem veritatis consequendam, sed consecutio veritatis est maxima & propria hominis in quantùm homo est,

est, perfectio: ergo Logica & quævis alia scientia est maxima hominis perfectio.

CONCLVSIO III.

Simpliciter & absolutè loquendo magis inclinatur homo in reliquas scientias reales speculativas, quam in Logicam.

PRobatur conclusio ratione. Homo naturaliter inclinatur in sui majorem perfectionem, dummodo sit ei proportionata, sed major perfectio hominis est Metaphysica, & reliquæ scientiæ reales, quàm ipsa Logica, ergo homo simplicitet & absolutè loquendo magis inclinatur in reliquas scientias reales speculativas, quàm in Logicam. Major patet: nam homo & quælibet res in tantum naturaliter propendent in aliquid, in quantum est sibi bonum & sua perfectio. minor autem Probatur. nam Metaphysica & aliæ scientiæ reales habent perfectius & nobilius objectum quàm Logica, ergo: antecedens probatur, nam objectum Logicæ est ens rationis, quod est minimæ entitatis, objectum autem Metaphysicæ & aliarum scientiarũ realium est ens reale, nobilius autem est ens reale quàm ens rationis, ergo: consequentia præcedentis Enthymematis etiam patet, nam major vel minor perfectio scientiarum desumi debet ab ipsomet objecto, cùm quævis scientia sortiatur suam specificationem & essentiam ab objecto: ergo si scientiæ reales habeant nobilius objectum, erunt etiam perfectiores ipsâ Logicâ, & consequenter magis perficient intellectum hominis, adeoque etiam magis appetentur.

Arguitur Primò. contra secundam conclusionem. id quod est homini naturale tanquàm terminus inclinationis, hoc homo non fugit, sed homines fugiunt Logicam, ergo homo non inclinatur naturaliter in Logicam.

Respondetur distinguendo majorem; quod homo fugit secundùm se hoc non est homini naturale tanquàm terminus inclinationis, concedo Majorem: quod homo fugit solùm ratione laboris & difficultatis, nego majorem: sed homines fugiunt Logicam

secundùm se spectatam, negatur minor; ratione laboris & difficultatis, conceditur minor, & negatur consequentia.

Contra. Ex concessis homines fugiunt Logicam ratione laboris & difficultatis, ergo absolutè falsum est hominem naturaliter inclinari in Logicam: Probatur consequentia, quia nullus homo naturaliter inclinatur in aliquod difficile, sed Logica secundùm concessa est difficilis, ergo.

Respondetur concesso antecedente negando consequentiam, ad probationem distinguitur major. Nullus homo inclinatur naturaliter in aliquod difficile, quatenùs præcisè difficile est, conceditur major, quatenùs illud difficile simul est magna hominis perfectio intellectualis, negatur major, & applicatâ distinctione ad minorem, negatur consequentiâ. Logica ergo est quidem difficilis, sed simul etiam est magna hominis perfectio, perficiens ejusdem intellectum.

Arguitur secundo contra eandem. Si homo naturaliter inclinaretur in Logicam, tunc omnes æqualiter apppeterent Logicam, sicut omnes lapides æqualiter appetunt suum centrum: sed non omnes æqualiter appetunt Logicam, sed unus magis alter minùs, ergo homo non inclinatur naturaliter in Logicam.

Respondetur distinguendo majorem, omnes homines, quantũ est præcisè ex parte animæ, æqualiter appeterent Logicam, Conceditur, quantum est ex parte naturæ corporalis individuæ, negatur major: & sic distinctâ minore negatur consequentia. Quòd ergo unus homo magis, alter minùs inclinetur in Logicam, provenit solùm ex naturâ corporea individua, quæ in unoquoque non ita bene disposita est ad incumbendum Logicæ.

Arguitur Tertio. Si homo naturaliter inclinaretur in logicam sequeretur quod nullã in ejus acquisitione haberet difficultatem, sicut quia lapis naturaliter inclinatur in centrum, hinc nullam in descensu sentit difficultatẽ, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Probatur sequela, quia inclinatio naturalis in termini acquisitione nullã sentit difficultatem, ut patet in exemplo adducto.

Respondetur negando sequelam, ad probationem distinguitur

tur antecedens. Inclinatio naturalis in termini acquisitione non sentit difficultatem, si illa inclinatio fuerit orta à potentiâ completâ, conceditur, si fuerit orta â potentia in completa, negatur antecedens, & consequentiâ. Lapis ergo habet potentiam completam ad hoc ut descendat deorsùm, nec indiget aliquo extrinseco complemento: inclinatio autem hominis ad Logicam est à potentiâ incompletâ, siquidem intellectus hominis priùs debet perfici multis speciebus ut scientias acquirat, quas ut acquirat, indiget labore & difficultatem experitur.

Arguitur Quartò, contra tertiam conclusionem, in id homo magis inclinatur, in quo sunt plura motiva appetibilitatis, sed sunt plura motiva appetibilitatis in Logicâ, ergo magis homo inclianatur in Logicam. Probatur minor, quia Logica est scientia, & simul est janua seu medium universale, & instrumentum ad alias scientias, reliquæ autem scientiæ sunt tantùm scientiæ, ergo.

Respondetur, distinguendo Majorem, in quo sunt plura motiva appetibilitatis, si cætera sint paria, conceditur; si cætera non sint paria, negatur major, sed in Logicâ sunt plura motiva appetibilitatis, ita tamen ut cætera non sint paria, conceditur minor; ita ut cætera sint paria, negatur minor, & consequentia. Disparitas ergo est in hoc, quòd reliquæ scientiæ habeant perfectius objectum, scilicet reale, quod habet majorem proportionem cum nostro intellectu; Logica autem, licet habeat plura motiva appetibilitatis, habet tamen debilissimũ objectum, scilicet ens rationis; ac proinde homo propter ista plura motiva appetibilitatis, solùm secundùm quid magis inclinabitur in Logicã, non autẽ simpliciter. Quanquam aliqui etiam dicant, quòd homo viâ executionis magis inclinetur in Logicam, viâ autem intentionis magis in alias scientias reales.

ARTICVLVS II.

Utrum scientia Logicalis homini sit simpliciter necessaria ad alias scientias speculativas acquirendas?

NOtandum primò, quod illud sit necessarium simpliciter, sine quo finis nullo modo haberi potest, sicut sine cibo naturaliter vi-

ter vita non potest conservari; illud autem est necessarinm secundùm quid, sine quo quidem absolutè finis haberi potest, non tamen ita commodè, sicut volenti proficisci Romam equus non est simpliciter necessatius, sed solùm ad melius esse.

Nota secundò, quòd scire sit rem per causam cognoscere; scientia autem est habitus certus & evidens per demonstrationem acquisitus. Possunt autem scientiæ dupliciter acquiri,: Primò in statu imperfecto, ut quandò solùm unam vel alteram demonstrationem in aliquâ scientiâ acquiro: alio modo perfectè, ut quando omnes conclusiones faciles & etiam difficiles in aliquâ scientiâ acquiro. Dicunt ergo hoc in articulo multi, quod sine Logica nullam scientiam aut demonstrationem in aliquâ scientia attingere possim: alij autem admittunt, quod sine Logica unam vel alteram demonstrationem facilem possimus accipere, non tamen omnes demonstrationes, maximè si illæ fuerint difficiles. pro quo.

Nota tertiò, quòd scientia instatu perfecto adhuc dupliciter possit considerari. Primò ita, ut licet aliquis attingat omnes conclusiones etiam difficiles in aliquâ scientiâ, rectè inferri ex suis præmissis ritè dispositis, non possit tamen ejusmodi conclusiones resoluere in sua prima principia Logicalia, demonstrando passiones instrumentotum Logicalium, esto possit eandem conclusionem resoluere in sua principia realia, prout ex dicendis magis patebit: & talis dicitur acquirere scientias in esse perfecto perfectione extensivâ. Si autem aliquis possit etiam resoluere conclusiones in sua prima principia rationis seu Logicalia, & demonstrare passiones instrumentorum Logicalium, exactèque se in omnibus defendere ab impugnationibus contrariorum; talis dicitur acquirere scientias in esse perfecto perfectione intensivâ.

Nota quartò, quod Logica possit accipi dupliciter; primò pro Logicâ præceptivâ, quatenùs nimirùm solùm tradit definitiones, & essentias instrumentorum Logicalium, absque hoc tamen, quod per veras demonstrationes, seu scientificè demonstret tales proprietates instrumentis Logicalibus convenire. Et sub hac consideratione non habet rationem scientiæ, sed potiùs est modus

sciendi, aut habitus principiorum Logicalium, cùm ut sic se non extendat ad conclusiones, seu passiones de suis objectis demonstratas, sed solùm ad Essentias seu quidditates, definitionis, divisionis, & reliquorum instrumentorum ac regularum Logicalium. Alio modo accipitur Logica pro habitu scientiæ, prout nimirùm deducit ex principijs à Logica præceptivâ tradidis conclusiones, demonstrando passiones de suo objecto.

Nota quintò: quod duplex sit potentia hominis; una physica, quandò nimirùm objectum aliquod potentiæ physicæ hominis est proportionatum: alia est potentia physica & moralis simul, quandò nimirum talis potentia aliquod objectum non solùm secundùm se spectatum, sed etiam cùm diversissimis circumstantijs & impedimentis extrinsecis vestitum potest attingere.

Nota sextò: rectè in titulo articuli quæri, an Logica artificialis sit necessaria? Nam de Logica naturali certum est apud omnes, illam esse necessariam ad omnes scientias acquirendas. Secundò rectè inquiritur: an Logica artificialis sit necessaria; nam quòd sit utilis, nemo est, qui dubitet: patetque ex ejusdem definitione. Tertiò rectè inquiritur: an sit necessaria ad scientias speculativas, quæ nimirùm consistunt in contemplatione veritatis? Nam ad scientias practicas, quæ respiciunt rectitudinem operis, non tam Logica, quàm prudentia & ars, quæ dirigit rectitudinem agibilium, requiritur. Undè solùm dubitatur; an scientia Logicalis sit necessaria ad alias scientias acquirendas, an verò homo cùm solâ Logicâ præceptivâ possit acquirere omnes scientias in esse perfecto perfectione extensivâ tantùm? His præmissis sit

CONCLVSIO I.

Scientia Logicalis non est homini simpliciter necessaria ad scientias in esse perfecto perfectione extensivâ acquirendas.

VOlo dicere, quod homo acuti ingenij secundùm suam potentiam physicam, omnes conclusiones non solùm faciles,

sed etiam difficiles cùm solâ Logicâ præceptivâ, sine tamen Logicâ scientificâ possit acquirere.

Probatur ratione fundamendali. Ad id scientia Logicalis non est simpliciter necessaria, quod potest acquiri sine illo; sed sine Logicâ scientificâ potest homo acquirere scientiam in esse perfecto perfectione extensivâ, ergo scientia Logicalis non est hominis simpliciter necessaria ad scientias in esse perfecto perfectione extensivâ acquirendas. Probatur minor. Acquirere scientias in esse perfecto perfectione extensivâ, est, acquirere omnes demonstrationes in tali scientiâ, sed has potest homo acquirere sine Logicâ scientificâ. cum solâ Logicâ præceptivâ; ergo sine Logicâ scientificâ potest homo acquirere scientiam in esse perfecto perfectione extensivâ. minor probatur: quia ad hoc ut aliquis acquirat cognitionem unius aut omnium conclusionum factarum in aliquâ scientiâ, sufficit cognoscere bonitatem & veritatem præmissarum cùm bonitate consequentiæ, sed homo acuti ingenij secundùm suam potentiam physicam consideratus potest cùm solâ Logicâ præceptivâ, sine scientiâ Logicali cognoscere bonitatem & veritatem præmissarum, cùm bonitate consequentiæ: ergo potest homo sine scientiâ Logicali, acquirere cognitionem non solùm demonstrationis unius facilis, sed etiam omnium aliarum demonstrationũ in aliquâ scientiâ, cùm solâ Logicâ præceptivâ. Probatur minor. Nam bonitatem præmissarum homo cognoscit ex eo, quia habet solas summulas; veritas autem præmissarum in materiâ aliarum scientiarum non demonstratur in scientiâ Logicali (nam veritas harum præmissarum; omne quod constat ex qualitatibus contrarijs, est corruptibile, sed homo constat ex qualitatibus contrarijs) non demonstratur in Logicâ ergo veritatem & bonitatem præmissarum poterit homo attingère sine Logicâ. Quòd autem etiam bonitatem consequentiæ possit cognoscere sine scientiâ Logicali, sic ostendo. Quia bonitas consequentiæ est Essentia consequentiæ, ergo bonitas consequentiæ non demonstratur in scientiâ Logicali, cùm essentiæ rerum sint indemonstratiles, & consequenter bonitas consequentiæ est cognoscibilis sine scientiâ Logicali

cali. Probatur antecedens : Essentia consequentiæ consistit in hoc, quòd sit illatio unius in virtute alterius, sed nisi consequentia sit bona, nunquàm erit illatio unius in virtute alterius, ergo bonitas consequentiæ est Essentia consequentiæ. Unde sicut homo pictus non est verus homo, sed solùm æquivocè homo cum veris hominibus, ita mala consequentia est solùm æquivocè consequentia respectu consequentiæ bonæ,

Probatur conclusio deinde specialiter, quòd homo sine scientiâ Logicali possit acquirere cognitionem demonstrationis difficilis alterius scientiæ : quia veritas præmissarum in demonstratione difficili non demonstratur à Logicâ, & bonitas consequentiæ etiam in demonstratione difficili semper est Essentia consequentiæ, ergo tam benè in conclusione difficili, quàm in facili aliquis poterit attingere bonitatem consequentiæ, & ita acquirere etiam cognitionem plurium demonstrationum difficilium in statu perfecto.

Confirmatur. Intellectus habens cognitionem unius vel alterius conclusionis facilis, magis roboratur & facilitatur ad conclusiones difficiles attingendas, ergo potest habitâ primâ demonstratione acquirere secundam, & habitâ secundâ attingere tertiam, & ita consequenter acquirere omnes.

Dices : Infirmus si faciat unum passum, non sequitur, quòd possit facere secundum, tertium, quartum passum, & ita omnes consequenter, ergo nec etiam is qui habet unam demonstrationem, statim poterit acquirere secundâ, & ita consequenter omnes.

Respondetur negando consequentiam, disparitas est : quia infirmus per hoc quòd faciat tot passus, non roboratur, sed debilitatur, uoster intellectus autem cognitione demonstrativa ex-

CONCLVSIO II.

Ad scientias speculativas in statu perfecto perfectione intensivâ acquirendas, scientia Logicalis est simpliciter necessaria.

PRobatur. Quia ad scientias in statu perfecto perfectione intensivâ acquirendas, necesse est, quòd quis possit resolvere omnes conclusiones in sua prima principia Logicalia, demonstrando passiones terminorum, & proprietates propositionum, item requiritur quòd exactè defectus consequentiarum demonstrare possit, &c. Sed tales demonstrationes non possunt fieri sine scientiâ Logicali, ergo. Probatur minor: quia licèt summulæ tradant regulas, & etiam adducant Essentiam termini, item Essentiam proprietatis termini & propositionum, non tamen demonstrant per veram demonstrationem proprietates sic vel sic convenire termino & propositioni &c. Sed hoc solùm facit scientia Logicalis, ergo ad scientias speculativas in esse perfecto perfectione intensivâ acquirendas simpliciter necessaria est scientia Logicalis, vide illa, dicentur art. 4. sequenti.

Arguitur primò contra primam conclusionem: authotitate S. Augustini lib. 2. de ordine c. 13. ubi sic ait; Disciplina disciplinarum, quam vocant Logicam, hæc docet discere, hæc sola scientes facere potest, ergo sine Logica non potest haberi scientia in statu imperfecto aut perecto.

Resp: S. Augustinũ solùm velle, quòd sine Logica non possit haberi scientia in statu perfecto perfectione intensiva, quod nõ negamus: non autẽ negat, posse sine Logicâ scientificâ haberi scientiã in statu imperfecto, & perfecto perfectione solùm extensiva.

Respondetur secundò, S. Augustinum solùm velle, quòd sola faciat scientes, ideſt acquirentes alias scientias faciliori modo: cum quo tamen stat, quòd cùm solâ Logicâ præceptivâ, seu summulis, possint acquiri aliæ scientiæ, etiam in statu perfecto, licèt cum majori difficultate.

Respondetur tertiò, S. Augustinum solùm velle, Logicam præceptivam seu summulas esse necessarias, ad scientias perfectè acquirendas, non autem vult Logicam scientificam esse necessariam ad scientias in esse perfecto acquirendas.

Contra. Sed etiam non potest acquiri scientia in esse perfecto sine Logicâ, ergo solutio nulla. Probatur minor subsumpta: acquirere

quirere scientias in esse perfecto, nihil est aliud quàm acquirere non tantùm assensum scientificum alicujus conclusionis facilis in aliquâ scientiâ, sed etiam acquirere omnium, vel saltem plurimarum conclusionum difficilium cognitionem in tali scientia; sed hoc non potest fieri sine Logica, ergo. Probatur minor quia cujusvis hominis potentia naturalis est valde limitata, conclusiones autem aliarum scientiarum sunt plurimæ, aliaque circa has conclusiones cognoscenda sunt valde difficilia, ergo hæc non potest aliquis habere sine Logica.

Respondetur negando minorem subsumptam: ad probationem negatur minor, ad hujus probationem concesso antecedenti distinguitur consequens; ergo hæc non potest aliquis habere, homo acuti ingenij consideratus secundùm suam potentiam physicam, negatur consequentia: homo debilis ingenij & consideratus secundùm potentiam moralem, conceditur consequentia. Unde hoc argumentum solùm probat, Logicam scientificam esse homini moraliter, id est pensatis omnibus circumstantijs & impedimentis occurrentibus necessariam, ut hac mediante faciliori modo scientias acquirere possit, quamvis aliunde homo pensatus secundù suam potentiam physicam possit acquirere alias scientias perfectè sine Logicâ scientificâ, esto cùm majori labore & difficultate.

Contra. Sed etiam homo secundùm suam potentiam physicam consideratus non potest habere assensum omnium conclusionum in aliquâ scientiâ sine Logicâ, ergo solutio nulla. Probatur minor subsumpta: ad hoc ut aliquis secundùm potentiam physicam sine Logicâ possit habere assensum omnium conclusionum in aliquâ scientiâ, requiritur, quod etiam sine Logicâ possit evidenter cognoscere bonitatem consequentiæ, sed sine Logicâ scientifica etiam secundùm potentiam physicam non potest homo cognoscere bonitatem consequentiæ, ergo. Probatur minor, quia bonitas consequentiæ est ens rationis, ergo non potest cognosci sine Logicâ, cujus objectum est ens rationis.

Respondetur distinguendo ultimum antecedens. Bonitas consequentiæ est ens rationis per modum propriæ passionis ipsius

syllogismi vel consequentiæ, negatur: per modum Essentiæ vel quidditatis ipsius syllogismi vel consequentiæ, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Hoc autem solùm probat istam bonitatem consequentiæ non posse cognosci sine Logicâ præceptivâ, seu summulis; non autem sine Logicâ scientificâ.

Advertè hic: quod bonitas consequentiæ non contineatur directè & per se sub objecto Logicæ, quomodo continentur proprietates demonstratæ in Logicâ, sed continetur solùm reductivè & indirectè, quâ ratione continentur reductivè & indirectè sub objecto alicujus scientiæ, causa & principia talis objecti, quæ cognoscuntur non per talem scientiam, sed per habitum primorum principiorum talis scientiæ: & sic bonitas consequentiæ, uti & omnes veritates indemonstratiles immediatè cognoscentur per habitum primorum principiorum Logicalium, seu Logicam præceptivam.

Contra. Sed etiam bonitas consequentiæ est ens rationis per modum propriæ passionis ipsius syllogismi vel eonsequentiæ, ergo. probatur minor subsumpta. Essentia ipsius syllogismi de Darij est recta dispositio præmissarum, seu extremitatum cum medio, ergo bonitas consequentiæ se habebit, ut proprietas syllogismi.

Respondetur negando minorem subsumptam, ad probationem distinguitur autecedens, est essentia ejus partialis, conceditur; totalis, negatur antecedens, & consequentia. Nam etiam bonitas consequentia, est Essentia partialis, & non totalis ipsius syllogismi; & ita sicut est indemonstrabile syllogismum in Darij habere præmissas sic dispositas, ita etiam indemonstrabilis bonitas consequentiæ in syllogismo Darij.

Contra. Sed etiam recta dispositio præmissarum est totalis Essentia syllogismi, & bonitas consequentiæ solùm est passio syllogismi, ergo solutio nulla. Ptobatur minor subsumpta, id se habet ut essentia totalis, quod se habet ut quid essentialiter inferens aliud, sed recta dispositio præmissarum se habet ut quid essentialiter inferens ipsam bonitatē conclusionis, non autem econtra, ergo. Probatur minor, quia benè possū dicere: quia in syllogismo Darij adest recta dispositio præmissarum, & extremitatum cum medio, ideo

conse-

consequentia in syllogismo de Darij est bona, ergo recta dispositio præmissarũ se habet tanquam inferens aliud, nimirùm conclusionẽ.

Resp: negando min: subsumptam, ad probationem distinguitur major; si ratio inferentis & illati pertineant ad constitutionem alicujus organici, vel alicujus artefacti habentis se ut quoddam organicum naturale, negatur; si non pertineant, conceditur: major: sed recta dispositio præmissarum se habet ut inferens bonitatem conclusionis, ita tamen ut recta ista præmissarum dispositio cùm suâ conclusione pertineant ad constitutionem alicujus artefacti, quasi organici, conceditur: secus negatur minor, & consequentia. Sicut ergo totũ organicum naturale hominis constat ex parte movente scilicet corde, & alijs partibus motis, ita ut non solũ pars movens, scilicet cor constituat hoc organicum, sed etiam partes motæ, sicut sunt manus & pedes, &c. ita licet præmissæ sint pars movens respectu conclusionis, conclusio tamen etiã ut pars mota debet constituere hoc organicum rationis, scilicet syllogismum.

Arguitur 2. contra secundã. Soli habitus Supernaturales sunt simpliciter necessarij, ergo nullus habitus naturalis, & consequenter nec Logica est simpliciter necessaria ad scientias in esse intensivo.

Resp: distinguendo antecedens. Soli habitus supernaturales sunt simpliciter necessarij, quantùm ad esse perfectum & imperfectum saltem se cluso auxilio transeunte concedo antecedens, quantùm ad esse perfectum intensivè tantùm, sicut Logica, negatur antecedens, & consequentia.

Arguitur tertio solæ potentiæ tribuunt simpliciter posse, ergo nullus habitus & consequenter nec Logica.

Respond: quòd potentiæ tribuant ipsum posse quoad substantiam actus præcisè, habitus verò tribuunt posse artificiosè & perfectè saltem perfectione intensivâ.

ARTICVLVS. III.

An Logica docens & utens sint realiter idem habitus?

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA.

PRob: tùm quia habent eadem principia ex quibus procedunt, tum etiam, quia habitus solùm dantur ad superandas diffi-

difficultates, sed quando scio præcepta tradita à Logicâ docente pro formando syllogismo, tunc non hab eo difficultatem in formando syllogismo, ergo Logica utens non distinguitur realiter à Logica docente, sed sunt idem habitus.

Confirmatur: Ideo est idem habitus charitatis, quo diligo Deum & proximum, quia utrobique manet eadem ratio formalis, ita ut actus dilectionis proximi sequatur sine difficultate ad actum dilectionis Dei, sed etiam Logica docens & utens habent eadem principia, scilicet secundas intentiones, & actus Logicæ utentis sequitur sine difficultate ex actu Logicæ docentis, ergo Logica docens & utens sunt idē realiter habitus. Distinguuntur tamen Logica docens & utens ratione ratiocinatâ, id est distinctione rationis cùm fundamento in re, cujus Ratio est, quia cũ Logica docens procedat modo resolutorio, & utẽs modo compositivo, hinc habet intellectus fundamentum distinguendi Logicam docentẽ ab utente.

Arguitur primò, contra rationem allatam: dum scio præcepta formandi domum, adhuc est difficultas in formandâ domo, ergo similiter dum scio præcepta formandi syllogismum, erit difficultas in formando syllogismo.

Respondetur negando consequentiam, quia constructio domûs, & scientia formandi domum pertinent ad diversas potentias exteriores, in quibus est certa difficultas superanda: cognitio autem syllogismi & ejus formatio, fit ab eadem potentiâ, & ideo non eget novo habitu. Imo pro novo habitu non sufficit quæcunq; difficultas retinens eandem rationem formalem, ut patet in dilectione inimici respectu habitus charitatis, sed requiritur nova difficultas positiva habens, distincta rationem formalẽ, quod hìc non fit quia logica utens habet eandem rationẽ formalem cum docente.

Arguitur secundò. Potest augeri Logica utens sine docente, ut si quis formet multos syllogismos, ergo sunt habitus distincti.

Resp: negando antecedens; nam dum augetur Logica utens, statim etiam augetur docens, siquidem magis radicantur regulæ infaciente syllogismos.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

An Logica docens ut docens, & utens quà utens sit vera scientia.

CONCLVSIO. I.

Logica docens ut docens est vera, & propriè dicta scientia. ita S. Th. 4. Met. lect. 4.

PRobatur. Quia scientia nihil est aliud quàm habitus per demonstrationem acquisitus, sed Logica est habitus per demonstrationem acquisitus, ergo est scientia. Probatur minor. nam Logica docens demonstrat passiones de suo subjecto, per causam saltem virtualem, ut verbi gratiâ, demonstrat genus, utpote universale, esse prædicabile de multis, demonstrat etiam definitionem esse clariorem definito: item quòd in divisione membra dividentia debent esse opposita, & similia, ergo Logica docens est habitus per demonstrationem acquisitus.

Confirmatur. Logica docens habet actus scientificos, ergò est habitus scientificus, consequentia patet, & antecedens probatur. Logica docens reducit conclusiones in sua prima principia, ergo. Probatur antecedens, nam dum Logica probat duas contradictorias non posse esse simul veras, reducit ad illud primũ principium quodlibet est vel non est: ostendit etiã Logica, duas propositiones contrarias non posse esse simul veras, quia alias duæ contradictoriæ essent simul veræ; ostendit etiam syllogissimum verbi gratiâ in Darij benè concludere, quia perfectè in illo salvatur principium dici de omni, & sic de reliquis. Sed quando conclusiones reducuntur in sua prima principia, tunc fiunt actus scientifici, ergo Logica docens reducit conclusiones in sua prima principia. Dum autem Aristoteles ait, absurdum est simul quærere modum sciendi & scientiam, tunc non negat Aristoteles Logicam esse scientiam, sed solùm vult, quod aliæ scientiæ, non sint simul cum Logicâ addiscendæ, ne intellectus simul multa addiscens confundatur.

CONCLUSIO II.

Logica utens, reduplicativè ut utens non est vera & propriè dicta scientia. Ita S. Th. loco citato 4. Met. lect. 4.

PRobatur. Quia ad hoc ut aliquid sit propriè dicta scientia, debet demonstrare proprietatem de suo subjecto, sed Logica utens ut utens non demonstrat passionem de suo subjecto, ergo quà talis non erit scientia. minor probatur; actus utentis est construere instrumenta apta ad disputationem, sed in tali constructione non demonstratur propria passio de subjecto, ergo.

Arguitur Primò, contra secundam conclusionem. Logica docens & utens, ut paulò ante dictum est, sunt idem realiter habitus, sed Logica docens est scientia, ergo etiam Logica utens erit scientia.

Respondetur, hoc argumentum solùm probare, quod Logica utens specificativè seu entitativè sit scientia, eò quòd sit idem habitus cùm Logicâ docente, reduplicativè autem ut utens, scientia non est.

Arguitur secundò. Implicat eundem habitum esse scientiam, & non esse scientiam, sed Logica docens & utens sunt unus & idem habitus ergo implicat Logicam docentem esse scientiam, & Logicam utentem non esse scientiam.

Respondetur distinguendo majorem: Implicat eundem habitum esse scientiam & non esse scientiam, si ille habitus sit idem tam secundùm rem, quàm secundùm rationem, conceditur major, si ille habitus sit tantùm idem secundùm rem, non autem secundùm rationem, negatur major: sed Logica docens & utens sunt idem habitus secundùm rem & rationem simul, negatur minor, secundùm rem tantùm conceditur minor, & negatur consequentiâ; quia ut dictum est, Logica docens & utens sunt quidem unus realiter habitus, distinguuntur tamen Logica docens & utens secundùm rationem ratiocinatam & ita secundùm rationem non sunt idem habitus. Neque est inconveniens quòd contradictoria dicantur de eodem secundùm diversas considerationes, prout sic

enim

enim non sunt contradictoria, cùm contradictio debeat esse ejusdem de eodem secundum eandem rationem, quod tamen hic non fieret. Quòd autem sola distinctio rationis sufficiat ad hoc, ut de eadem re dicantur diversa, patet in sequentibus exemplis: nam licèt Essentia Divina & Pater sint idem realiter, quia tamen distinguuntur ratione, ideo verum est dicere, Pater in Divinis generat, Essentia Divina non generat. Similiter licet misericordia & Justitia in Divinis sint idem realiter, quia tamen distinguuntur per rationem, hinc falsum est dicere misericordia punit, & justitia miseretur.

Quæres. An Logica utens sit ars Liberalis? ante responsionem.

Nota, quod ars sit recta ratio factibilium, & ideo ars propriè versabitur circa materiam externam, tanquam circa suum factibile, quod rectè disponere debet. Quia autem sunt quædam objecta speculabilia, circa quæ se intellectus habet per modum operantis & producentis illa, qualia sunt verbi gratiâ, syllogismus, oratio, & similiâ, quæ ab intellectu nostro producuntur, hinc etiam illi habitus, qui tales actus operantur, dicuntur per similitudinem artes.

Nota secundo: Quod artes sint duplices; septem nimirùm Liberales, & septem Mechanicæ, quæ his duobus versibus continentur.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra;
Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Primus versus ponitur pro artibus liberalibus, & prima particula scilicet lingua, denotat Grammaticam, tropus Rhetoricam, ratio Logicam, numerus Arithmeticam, tonus Musicam, angulus Geometriam, astra Astrologiam.

Secundus Versus ponitur pro artibus Mechanicis, & quidem Rus signat agriculturam, nemus venatoriam, arma militarem, faber fabrilem, vulnera Chirurgicam, lana textoriam, rates nauticam, hoc prænotato.

Respondetur ad quæsitum, quòd Logica utens sit ars liberalis,

ralis, & secundùm quandam similitudinem. Ita S. Th. 12. q. 57. a. 3. ad 3.

Ratio primæ partis est, quia ars liberalis est, quæ ordinatur ad aliquod opus animæ seu rationis, sed Logica utens ordinatur ad aliquod opus rationis, ergo est ars liberales. Major patet ex differentia quæ est inter artes Mechanicas & liberales, quòd nimirùm hæ ordinentur ad aliquod opus rationis, illæ verò ad aliquod opus extra intellectum, verbi gratiâ ad opus manuum & hujusmodi. minor autem probatur; quia Logica introducit formam definitionis, divisionis & argumentationis in operationes intellectus, ergo.

Ratio secundæ partis est: quia ars propriè dicta inducit suam formam primariò in materiam externam, sed Logica utens non inducit suam formam primariò in materiam externam, sed in internam, puta in operationes intellectûs, ergo Logica utens est tantùm ars secundùm quandam similitudinem. Major patet ex definitione artis, est enim ars recta ratio factibilium, factibilia autem sunt opera externa, ergo ars propriè dicta inducit suam formam primariò in materiam externam. minor autem probatur: quia licet Logica faciat subinde syllogismos in voce vel scripto, id tamen solùm facit secundariò, quia primariò inducit suam formam in operationes intellectus.

ARTICVLVS V.

Vtrum Logica sit simpliciter speculativa vel practica?

QUæstio hæc procedit tam de Logicâ docente, quàm de Logicâ utente. Est autem praxis nihil aliud, quàm actus alterius potentiæ ab intellectû distinctæ. Speculatio autem est actus intellectus, qui consistit in contemplatione solius objecti, seu veri: ac proinde illa scientia erit speculativa, quæ consistit in speculatione sui objecti, ita, ut licet subinde aliquod opus externũ faciat, illud tamen ordinet ad contemplationem veritatis, seu sui objecti.

CON-

CONCLVSIO UNICA.

Logica est simpliciter speculativa, & practica secundùm quid.

PRobatur prima pars. Quia Logica habet pro fine speculationem, & cognitionem veritatis, non autem aliquod opus, ergo Logica est scientia simpliciter speculativa; consequentia patet, quia illa est scientia speculativa quæ habet pro fine veritatis contemplationem. antecedens autem probatur. Quia Logica habet pro fine contemplationem secundarum intentionum, demonstrando de illis suas proprias passiones, & resolvendo eas in sua principia: sed hic finis non est aliquod opus aut praxis, sed nuda speculatio & veritatis cognitio, ergo.

Probatur secunda pars conclusionis, quòd Logica sit practica secundùm quid, quia opus circa quod versatur Logica, non est opus simpliciter tale, & proprie dictum, ergo etiam Logica secundùm quid erit practica. Consequentia patet, quia scientia eo modo dicitur practica, quo modo respicit opus. Antecedens autem probatur: quia opus propriè dictum est actus alterius potentiæ distinctæ ab intellectu; sed Logica non versatur circa opus, quod sit alterius potentiæ distinctæ ab intellectu: ergo.

Confirmatur, & simul destruitur fundamentum contrariorum asserentium Logicam esse simpliciter practicam. Quia licet Logica construat syllogismos, & alios modos sciendi in voce vel scripto, hoc tamen non facit primariò & per se, sistendo in tali constructione, sed potiùs hoc totum ordinat ad cognitionem veritatis, verbi gratiâ ad cognoscendum Ens rationis, & proprietatem syllogismi &c. Ergo propter hoc Logica non erit dicenda simpliciter practica, antecedens patet, & consequentia probatur. Quia non dicitur aliquis habitus & scientia practica si non sistat in illo opere, sed tantùm illud opus ordinet ad cognitionem veritatis, sicut patet in scientia Mathematicæ, quæ subinde aliquod opus operatur, puta sphæras triangulos, &c. quia tamen hujusmodi opus ordinat ad veritatis contemplationem,

nem, hinc Mathematica est scientia speculativa simpliciter, & non practica, ergo similiter idem dicendum erit de Logicâ.

Dicitur ergo Logica practica secundùm quid, in quantum secundùm regulas præscriptas conficit aliquod opus intellectuale, verbi gratiâ propositionem, syllogismum, &c. Et quia habet quandam similitudinem cum artibus, ut supra dictum est.

Arguitur primò. Logica versatur circa opus factibile, ergo est habitus practicus. consequentia patet, & antecedens probatur, quia Logica versatur circa syllogismos formandos, sed syllogismus est aliquod opus factibile, ergo.

Respondetur distinguendo antecedens, versatur circa opus factibile intra intellectum, conceditur antecedens, extra intellectum, negatur antecedens & consequentia,

Contra. Sed etiam Logica versatur circa opus factibile extra intellectum, ergo solutio nulla. Probatur minor subsumpta. Quia Logica facit multos syllogismos in voce & scripto, ergo.

Respondetur distinguendo secundum antecedens: facit multos syllogismos in voce & scripto, primariò & per se, non ordinando illos ad contemplationem veritatis, negatur antecedens: facit multos syllogismos in voce & scripto, secundariò, & ordinando illos ad contemplationem veritatis, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Sicut ergo Mathematica, licet faciat multas sphæras, quia tamen hujusmodi opera ordinat ad cognitionem veritatis, adhuc est simpliciter speculativa, ita etiam dicendum est de Logica.

Arguitur secundò. Logica subinde ordinatur ad opus extra intellectum, ergo est practica: probatur antecedens; quia syllogismi verbi gratiâ subinde ordinantur ad artes Mechanicas, & consequenter ad opera extra intellectum factibilia, ergo.

Respondetur negando antecedens, adprobationem distinguitur antecedens: ordinantur ad artes Mechanicas per se & ex fine syllogismi, negatur antecedens; per accidens & ex fine ordinantis, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Vel secundò aliter distinguitur antecedens: ordinantur ad artes Mechanicas

nicas ex fine scientiæ, negatur antecedens; ex fine scientis conceditur antecedens, & negatur consequentia. Finis autem scientis non sufficit ad hoc, ut aliqua scientia dicatur practica.

Arguitur tertiò. Si Logica esset simpliciter speculativa, sequitur quod Logica sit perfectior alijs scientijs practicis, sed hoc est falsum, cùm objectum Logicæ sit ens rationis, quod est inperfectissimum, ergo etiam falsum est, quòd Logica sit scientia speculativa.

Respondetur distinguendo sequelam majoris; esset perfectior simpliciter, negatur sequela, perfectior secundùm quid, conceditur sequela, & sic distinctâ minore negatur consequentia. Quia ergo Logica habet objectum imperfectum, hinc non est simpliciter perfectior alijs scientijs practicis; est tamen nobilior secundùm quid ratione modi tendendi in suum objectum speculativè.

Dices Logica est janua ad acquirendas scientias practicas, ergo etiam illa est practica.

Respondetur distinguendo antecedens, ut ut practicæ sunt, negatur antecedens, ut scientiæ sunt, conceditur antecedens, & negatur consequentia.

ARTICVLVS III.

Vtrum ens rationis sit objectum Logicæ

NOta primò, quòd objectum alicujus scientiæ sit id, cujus cognitionem potissimùm intendit talis scientia, vel objectum est id, circa quod versatur scientia. Est autem objectum duplex, unum materiale, alterum formale. Objectum formale est id, quod primariò & ratione sui attingitur, sicut color ratione sui attingitur â visu: objectum autem materiale est id, quod solùm ratione alterius attingitur, sicut verbi gratiâ paries attingitur â potentia visiva ratione coloris, quem in se habet.

Nota secundò quòd objectum formale alicujus scientiæ adhuc sit duplex, scilicet objectum formale adæquatum seu attributionis, & objectum formale inadæquatum: objectum adæquatum est id ad quod omnia reducuntur, quæ in tali scientiâ tractantur.

Obje-

Objectum autem inadæquatum est id, ad quod non omnia reducuntur, quæ in tali scientiâ tractantur: sicut verbi gratiâ color ut sic est objectum adæquatum potentiæ visivæ, color autem aliquis in particulari solùm est objectum inadæquatum visûs.

Nota tertiò quòd objectum inadæquatum sit duplex, unum principale, quod scilicet principaliter intenditur, & alterum minus principale, quod scilicet minùs principaliter intenditur, & minùs principalem locum in aliquâ scientiâ obtinet.

Nota quartò, quòd intentio tam formalis, quàm objectiva sit duplex: prima nimirum & secunda. Intentio prima formalis est actus intellectus, quo directè rem cognosco sicuti est â parte rei, res autem sic cognita dicitur prima intentio objectiva. Secunda intentio formalis est actus intellectus reflexus, qui tendit in rem ut cognitam, & secundùm aliquam rationem ipsi ut cognitæ solùm, & ut est in intellectu competentem, qualis est actus intellectus quo cognosco animal ut genus, res autem sic cognita dicitur intentio secunda objectiva.

Nota quintò, quod intentio objectiva adhuc sit duplex, nimirum in concreto, & in abstracto. Intentio in concreto definitur, quòd sit res cognita secundum eas proprietates, quæ sibi conveniunt beneficio intellectûs, & fundatur in esse cognito, id est, habens pro fundamento cognitionem passivam. Intentio autem in abstracto est proprietas relativa secundùm quam res, denominatur & dicitur ad aliud referri tanquam ad terminum: Verbi gratiâ Genus est secunda intentio inconcreto, genereitas autem est secunda intentio in abstracto.

Nota ultimo quod ens rationis non dirigat efficienter conceptus seu operationes intellectus, quia solus intellectus efficienter suos conceptus dirigit; unde ens rationis solùm formaliter dirigit operationes intellectus, quia ens rationis Logicum est quædam forma, quæ mediante directione activâ seu efficienti quodammodo in ipsos conceptus introducitur. Unde sicut domum efficienter facit manus & malleus operariorum, formaliter autem est domus â formâ ipsâ domus, in illa materialia debitè ordinata intro-

introductâ, ita conceptus nostri efficienter sunt â nostro intellectu; formaliter tamen dependent â formâ quadam rationis, siquidem solùm deserviunt ad scientiam acquireudam, quatenus in se habent formam, definitionis, divisionis, argumentationis, prædicati, subjecti &c. & per illam formam rationis recipiunt formaliter illi conceptus, ut sint apta instrumenta sciendi, quod ex se non habebant, his præmissis sit.

CONCLUSIO I.

Ens rationis in totâ suâ latitudine non est objectum formale Logicæ.

PRobatur quia ens rationis in tota sua latitudine extendit se ad entia rationis Chymerica, Rhetorica, Grammaticalia, & similia, quæ Logica non considerat: ergo.

CONCLVSIO II.

Objectum adæquatum Logicæ non est syllogismus aut modus sciendi.

PRobatur I. pars, quia objectum adæquatum debet complecti omnia quæ in tali scientiâ tractantur, sed syllogismus aut demonstratio non comprehendit omnia quæ tractantur in Logica, ergo. Probatur minor, quia in Logica etiam agitur de definitione, & divisione, quæ non continentur sub syllogismo, cùm sint species distinctæ à syllogismo, ergo.

Probatur secunda Pars. objectum adæquatum non debet excedi â scientiâ; sed Logica multa considerat, quæ non sunt modus sciendi, ut verbi gratiâ considerat genus speciem, prædicatum, subjectum, & similia, quæ non sunt modus sciendi. ergo

CONCLVSIO III.

Objectum principalitalitatis ratione materiæ in Logica est demonstratio, ratione autem formæ est argumentatio seu syllogismus.

PRobatur. Id est objectum principale Logicæ, per quod maximè perficitur intellectus quoad suos discursus, sed hoc fit per demonstrationem ratione materiæ, & per argumentationem ratione formæ, ergo. Major patet, quia Logica ordinatur ad operationes intellectûs dirigendas, minor autē probatur: quia defectus & error in discursû vel contingit ex parte materiæ vel ex parte formæ, sed in syllogismo rectè disposito invenitur processus, rationis sine errore ex parte formæ, in demonstratione autem ex parte materiæ, siquidem demonstratio ex necessarijs procedit ergo.

CONCLUSIO IV.

Objectum formale & adæquatum Logicæ est ens rationis Logicum directivum operationum intellectus, seu secunda intentio in concreto.

PRobatur. Tres sunt conditiones requisitæ pro objecto formali adæquato. Prima est, quòd contineat omnia, quæ tractantur in tali scientiâ, secunda, quod sit id, de quo est potissima cura in scientia; & tertia, quod per illud scientia ab alijs scientijs distinguatur, sed hæ omnes conditiones conveniunt enti rationis logico, ergo ens rationis est objectū formale & adæquatū Logicæ. Probatur minor, quia in primis quidquid tractatur in Logica est ens rationis, nam verum est dicere, Vniversale est ens rationis, genus, species sunt entia rationis, prædicamenta ut sunt genera suprema, sunt entia rationis &c. Deinde etiam nulla scientia ex professo agit de entibus rationis, verbi gratia, de genere specie, universali, & similibus: & tandem per ens rationis Logica distinguitur ab omnibus alijs scientijs, quæ tantùm agunt de ente reali, ergo enti rationis conveniunt omnes conditiones pro objecto formali & adæquato.

Probatur conclusio secundò. Logica cum sit scientia universalis extendit se ad omnia ad quæ se extendit Methaphysica, sed præter prædicata realia universalia quæ considerat Methaphysica, non dantur nisi prædicata rationis generalia, id est, secundæ intentiones, ergo tantùm ens rationis erit objectum formale adæquatum Logicæ.

Ex

Ex his patet, quòd nil reale possit esse objectum formale Logicæ, unde nomina, & voces sunt objectum materiale remotum Logicæ: operationes autem intellectus sunt objectum materiale proximum Logicæ, siquidem in operationes iniellectus primariò suam formam rationis potest inducere.

Arguitur primò contrà secundam conclusionem. Omnia quæ tractantur in Logicâ possunt reduci ad modum sciendi, ut consideranti patebit, ergo modus sciendi erit objectum formale adæquatum Logicæ.

Respondetur distinguendo antecedens, ità tamen ut præcisâ tali reductione per se possint considerari â Logica, conceditur: ita ut sine tali reductione ad modum sciendi non possint considerari à Logica, negatur antecedens & consequentia. Illud ergò solùm est objectum formale & adæquatum Logicæ, ad quod omnia ita reducuntur, ut sine tali reductione â Logicâ considerari nequeant, & hoc est solùm ens rationis Logicum, non autem modus sciendi.

Arguitur 2. contra 4. conclusionem. Secunda intentio in communi comprehendit tres operationes intellectus ut directas, sed ut directæ sunt entia realia, ergo objectum formale quod Logicæ est ens reale. minor probatur, operationes intellectus dicuntur directæ â formâ reali, ergo. antecedens probatur. Operationes intellectûs dicuntur directæ ab eadem operatione, â quâ dicitur intellectus dirigens, sicut paries dicitur visus ad eadem visione â quâ dicitur oculus videns, sed hæc activa directio intellectus est quædam forma realis ergo.

Respondetur distinguendo ultimam majorem operationes intellectûs dicuntur directæ ab eadē operatione directione passiva extrinsecâ conceditur, directione passivâ intrinsecâ, negatur major & concessâ minore similiter distinguitur consequens. Dico ergo, quod forma intrinseca â quâ operationes intellectûs dicuntur passivè intrinsecè directæ, sit ens rationis.

Contra ante istam formam rationis operationes intellectus sunt sufficienter collocatæ in ratione instrumenti Logici, quia de-

finitio explicaret naturam definiti, & demonstratio causaret scientiam, ergo operationes intellectns non dicuntur directæ intrinsecè â forma intrinsecâ rationis.

Respondetur distinguendo antecedens, sunt sufficienter collocatæ in ratione artificij Logici fundamentaliter & in fieri, conceditur antecedens: formaliter completè & in facto esse sine forma rationis negatur antecedens, & similiter distinguitur consequens.

Dices: ex hac solutione sequeretur, quod ens rationis causet effectum realem nimirùm scientiam, sed hoc est falsum, ergo & id unde sequitur. Probatur minor, quia effectus realis non potest dependere ab ente rationis, ergo.

Respondetur distinguendo antecedens, effectus realis non potest dependere ab ante rationis in genere causæ efficientis, conceditur, per modum conditionis sine quâ non, negatur antecedens, & non consequentia. Dico ergo, quòd sicut signficatio in sacramentis (quæ est ens rationis) concurrit per modum conditionis sine quâ non ad effectum realem gratiæ; ita forma rationis per modum conditionis sine quâ non concurrit ad effectum realem demonstrationis, puta ad scientiam.

Dices forma constituens formaliter aliud, non tantùm influit ut conditio, sed etiam ut forma, ergo si illa forma demonstrationis nõ influit in illam demonstrationem ut forma, non constituet illam.

Respondetur distinguendo consequens, ergo non constituet demonstrationem in ratione causæ causantis scientiam conceditur consequentia, quia sic solùm se habet ut conditio sine quâ non; non constituet demonstrationem in ratione objecti Logici per modum formæ, negatur consequentia.

Arguitur 3. Ens reale nequit specificari ab ente rationis, sed Logica est ens reale, ergo nequit specificari ab ente rationis tanquã ab objecto & consequenter ens rationis non erit objectum Logicæ.

Respondetur distinguendo Majorem. Ens reale nequit specificari intrinsecè ab ente rationis, conceditur: extrinsecè, negatur Major, & concessâ minore, distinguitur similiter consequens.

Contra sed etiã logica non potest extrinsecè specificari ab ente ratio-

rationis, ergo sol nulla. probatur minor subsumpta, quia habitus realis petit specificativum reale, sed Logica est habitus realis, ergo.

Respondetur distinguendo majorem, habitus realis petit specificativum reale extrinsecum, negatur, intrinsecum quod est ordo, quem dicit scientia ad suum objectum, conceditur major, & concessâ minori eodem modo distinguitur consequens.

Contra. Sed ordo Logicæ ad ens rationis non est realis, ergo solutio nulla. probatur minor subsumpta; ordo realis est inter duo extrema realia & realiter existentia, quod hic non fit, ergo.

Respond. distinguendo antecedens. ordo realis prædicamentatis conceditur, ordo realis transcendentalis, negatur antecedens & consequentia, est autem ordo transcendentalis nil aliud, quàm ipse habitus Logicæ ut connotat ens rationis, ipse autem habitus Logicæ sine dubio realis est.

Arguitur ultimò. Ens rationis consideratur à Methaphysica, ergo non à Logicâ. antecedens probatur, quia Metaphysica agit de omni ente, ergo etiam de ente rationis.

Respondetur distinguendo antecedens. Ens rationis consideratur à Metaphysica sub communi ratione entis, conceditur antecedens; sub particulari ratione entis rationis Logici directivi operationum intellectus negatur antecedens, & consequentia.

QUÆSTIO II.

De Ente Rationis.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit ens rationis?

CONCLVSIO I.

Datur Ens Rationis.

PRobatur. Quia verè dantur genera & species formaliter, item ratio universalis, prædicati, subjecti, & similium, sed hæc omnia sunt entia rationis, ergo verè datur ens rationis. Probatur minor, quia genus dicit relationem ad species, & species

dicit relationem ad individua; universale tanquam aliquid superius dicit relationem ad inferiora: sed hæ relationes non sunt à parte rei, ergo tantùm sunt relationes rationis.

Probatur conclusio secundò, quia concipimus tenebras ad modum alicujus formæ, item formamus montes aureos, & diversas chymæras, sed hæc omnia non sunt à parte rei, ergo tantùm sunt in intellectu objectivè, & consequenter dantur entia rationis.

CONCLVSIO II.

Ens rationis est id, quod tantum habet esse objectivè in intellectu.

EXplicatur definitio. Dicitur quòd ens rationis tantùm habeat esse objectivè in intellectu, ad differentiam objecti realis, quod licèt subinde sit objectivè in intellectu, non tamen est tantùm objectivè, cùm etiam habeat esse reale extra intellectum. Dicitur præterea objectivè, ad differentiam specierum intelligibilium, & habituum intellectualium, quæ licèt tantùm habeant esse in intellectu, non tamen sunt in intellectu tantum objectivè, sed subjectivè, & ideo sunt entia realia.

CONCLUSIO III.

Ens rationis Logicum seu habens fundamentum in re benè & adæquatè dividitur in negationem, privationem & relationem.

PRobatur, ista membra dividentia sunt inter se oppositа, & exhauriunt totum divisum, ergo divisio est bona. Probatur antecedens, nam omnia entia rationis habentia fundamentum in re, vel habent pro fundamento non ens, idest remotionem entis, respectu alicujus subjecti, vel habent pro fundamento aliquid positivum: si primum, tunc vel illud non ens seu remotio, est carentia entis respectu subjecti apti nati habere illud, & ita constituitur privatio, vel est mera carentia entis respectu alicujus subjecti

jecti, cui tale ens non debetur, & ita constituitur negatio. Si autem dicatur secundum, cùm tunc non cognoscatur, sicut est à parte rei, debebit cognosci in ordine ad aliud, ad quod à parte rei non dicit relationē, & ita constituitur relatio rationis, ergò ista membra dividentia exhauriunt totū divisum, & inter se opponuntur.

Quod autem negatio, privatio, & relatio formaliter sint ens rationis, sic probatur, quia concipitur negatio visus in lapide, vel privatio visus in homine ad modum alicujus formæ positivæ, cùm tamen forma positiva non sit, & similiter formatur, verbi gratiâ, relatio Petri ad animal, & concipitur iste ordo unius ad aliud, qui tamen ordo à parte rei formaliter non est, ergo hæc omnia formaliter sunt entia rationis.

Arguitur primò contra primam, id non datur quod non potest cognosci, sed ens rationis non potest cognosci, ergo ens rationis non datur. Probatur minor: nihil potest cognosci, quod non fuit prius in sensu sed ens rationis non fuit prius in sensu, ergo non potest cognosci.

Respondetur distinguendo majorem, nil potest cognosci, quod non fuit prius in sensu, vel per speciem propriam, vel per speciem alienam conceditur major, nisi prius fuerit in sensu semper per speciem propriam negatur major. Sed ens rationis non fuit prius in sensu per speciem propriam conceditur minor, per speciem alienam nimirum entis realis, negatur minor & consequentia. Dico ergo quod ens rationis prius fuerit in sensu per speciem impressam entis realis, & per illam cognoscatur.

Contra. Si ens rationis cognosceretur per speciem entis realis, tunc daretur æquivocatio in mente, sed æquivocatio non debet admitti, ergo nec illud unde sequitur. Sequela probatur, tunc datur æquivocatio, quando cognoscuntur plura, sed si cognosceretur ens rationis per speciem entis realis, tunc cognoscerentur plura, ergo. Probatur minor, quia simul ens reale & ens rationis cognosceretur per talem speciem.

Respondetur, negando sequelam, ad probationem distinguitur major, quando cognoscuntur plura æquè primariò conceditur

major

major, si unum cognoscatur primario, & alterum secundariò, negatur major; & sic distincta minore, negatur consequentia. Et dico quod per illam speciem primariò cognoscatur ens reale, & secundariò ens rationis.

Arguitur secundò, contra tertiam conclusionem, privatio & negatio sunt ens reale, ergo non sunt ens rationis. Probatur antecedens, quod datur ante operationem intellectus, est ens reale, sed negatio & privatio dantur ante operationem intellectus, ergo sunt ens reale. Probatur minor, quia ante operationem intellectûs, lapis dicitur non videns, & homo cæcus, ergo.

Respondetur distinguendo antecedens, negatio & privatio verè dantur à parte rei materialiter & in ratione remotionis entis, in quantum nimirum removent aliquam formam realem à subjecto, conceditur antecedens. Negatio & privatio formaliter, & ut concipiuntur in ratione entis afficientis subjectum, dantur à parte rei, negatur antecedens & consequentia. Quia negatio & privatio habent rationem entis rationis, quando ab intellectu concipiuntur per modum alicujus formæ afficientis subjectum, unde quia privatio, verbi gratia cæcitas à parte rei forma non est, & tamen à nostro intellectu concipitur per modum alicujus formæ, ideo formaliter est ens rationis.

ARTICVLVS II.

In quo consistat ens rationis?

CONCLVSIO. I.

Essentia entis rationis non consistit in denominatione extrinsecâ.

PRobatur prima pars. Ens rationis non habet aliud esse nisi per operationem intellectus, ut supra dictum est, & patet ex ejus definitione ergo non potest consistere in denominatione extrinseca. consequentia probatur: quia denominationes extrinsecæ dantur à parte rei, sine intellectus consideratione, nam etiamsi nullus esset intellectus, ecquidem diceretur paries esse visus, columna

columna dextera vel siniſtra, ergo non poteſt eſſentia entis rationis conſiſtere in tali denominatione.

CONCLVSIO II.

Ens rationis conſiſtit in quadam entitate ficta & communicata ab intellectu ipſi objecto. Ita S. Thomas opuſc. 52. c. 1.

PRobatur: ſunt aliqua prædicata convenientia rebus abſtractis prout cognoſcuntur ab intellectu, ut animal eſſe genus, hominem eſſe ſpeciem, ergo talia prædicata non ſalvantur in denominatione extrinſeca, & conſequenter erit aliquid fictum & communicatum ipſis præter denominationes extrinſecas. Antecedens patet, hæc enim propoſitio animal eſt genus, eſt formalis & vera propoſitio, ergo ly genus aliquod prædicatum intrinſecum affirmat de animali, non quidem reale, ſed rationis. Prima conſequentia etiam probatur, quod nimirum non ſit denominatio extrinſeca, nam animal eſſe cognitum ut genus, in quantum eſt denominatio extrinſeca, tantùm dicit ordinem ad formam realem ſcilicet intellectionem, à qua talis denominatio ſumitur, ſed hoc formaliter non eſt eſſe genus, quia genus formaliter debet dicere ordinem ad ſua inferiora, nimirum ſpecies, ergo eſſe formaliter genus non eſt denominatio extrinſeca.

Arguitur primò contra primam, quando paries (verbi gratiâ) dicitur viſus, accipit aliquid, quod ante non habebat, ſed illud non poteſt eſſe aliquid reale, ergo eſt aliquid rationis, & conſequenter denominatio extrinſeca eſt ens rationis. Major patet, & minor probatur. quia tota realitas manet in actu videndi, ſeu in potentiâ viſivâ à cujus actu paries denominatur viſus, ergo paries viſus non accipit aliqnid reale.

Reſpondetur diſtinguendo minorem. ſed illud non eſt aliquid reale intrinſecum conceditur, non eſt aliquid reale extrinſecum negatur minor, & conſequentia. Dico ergo, quòd paries quandò dicitur viſus, accipit aliquid reale, non quidem intrinſecum ſed ſo-

lùm extrinsecum, eò quòd terminet actum videndi, qui est realis & realiter terminatur ad parietem, quod sufficit ut talis denominatio sit realis, non quidem intrinsecè sed extrinsecè, pro quo.

Adverte, quòd denominatio intrinseca proveniat à formâ intrinsecè existente in aliquo subjecto, sicut (verbi gratiâ) visio denominat meum oculum intrinsecè videntem. Denominatio autem extrinseca oritur ab aliquâ formâ vel actu existente in alio subjecto, ita tamen ut talis actus extrinsecè terminetur ad id, quod extrinsecè denominat. Sicut (verbi gratia) visio intrinsecè existens in meo oculo, denominat parietem extrinsecè visum, eò quòd prædicta visio extrinsecè terminetur ad parietem passivè se habentem.

Arguitur secundò. Objci intellectui nihil est aliud, quàm terminare actum intellectûs, sed ens rationis consistit in objci, ergo ens rationis terminat actum intellectus. tunc vltrà. sed terminare actum intellectûs est solùm denominatio extrinseca, ergo ens rationis consistit solùm in denominatione extrinsecâ.

Respondetur negando majorem. quando enim dicitur, essentiam entis rationis consistere in objci, non est sensus formalis, ita ut objci seu attingi rem ab intellectu sit ens rationis essentialiter, tale enim objci datur à parte rei; sed est sensus causalis, quatenùs ex eo quòd res attingatur ab intellectû (verbi gratiâ natura humana abstracta â singularibus) resultat quoddam esse fictum verbi gratiâ relatio ipsius naturæ ad inferiora, & sic de cæteris; in quo esse ficto & non in hac attingentiâ stat ens rationis, & ideo ens rationis non dicitur objci, quia hoc est reale, sed esse objectivè tantùm, quod est ens rationis.

Arguitur tertiò contra secundam. DEUS dicitur Creator, & Christus dicitur Filius Beatissimæ Virginis antè omnem operationem intellectûs, sed istæ sunt relationes rationis, ergo essentia entis rationis non consistit in entitate quadam confictâ & communicatâ ab intellectû ipsi objecto. minor probatur, quia DEO nihil reale advenire potest in tempore, ergo.

Respondetur. Quòd DEUS dicatur Creator, & Christus Filius Beatissimæ Virginis ante omnem operationem intellectûs, in-

quan-

quantùm DEUS terminat relationem realem creaturarum ad se, & Christus relationem realem Beatissimæ Virginis ad se. DEUS tamen in quantùm Creator solùm refertur relatione rationis ad creaturas, & similiter Christus solùm refertur relatione rationis ad Beatissimam Virginem, quia ista Filiatio est altioris ordinis, & ideo non potest refundere aliam relationem, quàm rationis.

Arguitur quartò. Dantur plura alia quibus convenit hoc esse fictum quàm enti rationis, ergo ejus essentia non consistit in aliquo esse ficto. Consequentia patet, quia essentia vnius rei non potest alteri convenire. Probatur antecedens. Antichristus & creaturæ possibiles habent esse objectivè tantùm in intellectu, & consequenter aliquod esse fictum; cum non aliam habeant existentiam realem extra intellectum, ergo.

Respondetur negando antecedens. ad probationem distinguitur antecedens : ita tamen ut aliud esse habere possint extra intellectum, conceditur, secus, negatur antecedens, & consequentia. modo autem ens rationis debet ita habere esse objectivè in intellectu, ut nullum esse reale extra intellectum habere possit.

ARTICVLVS. III.

Per quam potentiam fiat ens rationis?

CONCLVSIO I.

Nec voluntas, nec sensus, nec imaginativa aut phantasia formant ens rationis.

PRobatur prima pars. Voluntas non potest tribuere objecto aliquam bonitatem apparentem, sed solùm tendit in ens jam fictum aut præcognitum ab intellectu, ergo voluntas non potest facere ens rationis; consequentia patet, & antecedens probatur, quia voluntas, cùm sit potentia cœca, non potest tendere in aliquod objectum nisi ut propositum & præcognitum ab intellectu juxta illud commune axioma, NIHIL VOLITVM, QVIN PRIVS PRÆCOGNITVM, ergo.

Probatur 2. Pars. Objectum adæquatum potentiæ sensitivæ, item Imaginativæ & Phantasiæ, solùm est ens reale, ergo illa omnia non possunt facere ens rationis, consequentia patet, quia nulla potentia transcendit limites sui objecti, ergo si harum potentiarum objectum sit ens reale, solùm possunt ferri in ens reale, antecedens etiam constat, quia hæc est differentia inter intellectum & sensus, quòd objectum intellectus sit ens universalissimum, sicut etiam intellectus est potentia universalissima, objectum autem sensuum est ens particulare reale, ergo.

Dices: objectum visûs (verbi gratiâ) est color ut sic, ergo sensus etiam habet aliquod objectum universale.

Resp: objectum visûs esse universale adverbialiter, id est: objectum visûs est color universaliter, ita ut possit tendere in quemlibet colorem in particulari; non autem ipsius objectum est color universalis, quia visûs non potest tendere in colorem abstractum, sed in exercitio semper fertur in colorem, aut colores aliquos in particulari. Objectum autem intellectûs est universale non solùm adverbialiter, sed etiam nominaliter, quia potest tendere in naturam aliquam abstractam à suis inferioribus.

CONCLVSIO II.

Solus intellectus potest facere Ens rationis per quamlibet suam operationem.

ITa S. Th. qui in diversis locis dividit ens ut sic, in ens reale & ens rationis, asserens, quod ens rationis fiat per conceptionem animæ seu intellectûs, de quo videri potest angelius Præceptor 1. p. q. 3. a. 4. ad 2. & in 1. dist. 19. q 5. a. 1. ad 1. & alibi.

Patet etiam hæc conclusio ex dictis, si enim ens rationis non possit fieri per voluntatem aut sensus internos vel externos, ut ostensum fuit, bene sequitur non posse fieri nisi per intellectum.

Prob: specialiter 1. p. quòd per primam mentis operationem possit fieri ens rationis, tum quia tunc fit ens rationis quando rei solùm tribuitur aliquod esse objectivum ut patet ex definitione entis

tis rationis, sed per primam mentis operationem tribuimus quibusdam rebus tantùm esse obiectivum, ergo. Prob: min. nam quando concipimus privationes v. g. tenebras ad modum alicujus formæ positivæ, tunc sine intercedente judicio aut discursu tribuimus tenebris solùm hoc esse positivum per primam intellectus operationem, ita ut hoc esse positivum solùm habeat esse objectivum in intellectu, & nullo modo à parte rei, ergo. Tum etiam, quia per primam mentis operationem cognoscuntur & fiunt signa, quæ pro formali sunt ens rationis: Tum deniqúe quia universalitates fiunt non per comparationem compositam, sed per comparationem simplicem inrellectûs possibilis, ut dicetur q. 3. sequenti art. 2. ergo.

Prob: 2. p. relatio prædicati ad subjectum, & snbjecti ad prædicatum est verum ens rationis cùm non detur à parte rei, sed hæ relationes solùm fiunt per secundam mentis operationem, ergo. Prob: min. quia istæ relationes debent fieri ab illa operatione per quam fit prædicatio & propositio, sed hæ tantùm fiunt per secundam mentis operationem, in quâ est affirmatio, vel negatio, ergo.

Prob: 3. p. quia relatio antecedentis seu inferentis ad consequens seu illatum est verum ens rationis, sed hoc solùm potest cognosci per tertiam mentis operationem ergo. Prob: min. nam istæ relationes solùm possunt fieri ab illa operatione per quam potest fieri, quod unum se habeat ut inferens respectu alterius tanquam illati, sed hoc solùm fit per tertiam mentis operationem, in quâ est discursus. ergo.

Arguitur primò contra primam conclusionem. Ideò intellectus facit ens rationis, quia ordinat vnum ad alterum, ad quod antea non ordinabatur, sed etiam voluntas ordinat vnum ad alterum ad quod antea non ordinabatur, ergo etiam voluntas facit ens rationis. Probatur minor. quia voluntas ordinat sæpè DEUM, perversè ad creaturas, ergo.

Respondetur distinguendo majorem; ideo intellectus facit ens rationis quia ordinat vnum ad alterum activè, & cognoscendo talem ordinem conceditur major, quia ordinat vnum ad alterum

passivè, ita ut jam ordinatum ad aliud solùm appetat, negatur major: sed etiam voluntas ordinat vnum ad alterum activè & cognoscendo negatur minor, passivè & solùm appetendo, conceditur minor, & negatur consequentia. Dico ergo quòd voluntas sit potentia cæca, quæ sequitur ductum rationis, & ita voluntas non ordinat vnum ad aliud, nec cognoscit talem ordinem, sed appetit solùm id, quod intellectus priùs perversè ad alterum ordinaverat.

Arguitur secundò. sensus subindè falluntur, ergo faciunt ens rationis. Antecedens probatur. quia visus videns baculum in aqua, videt ipsum esse curuum aut fractum. item visus indebilè dispositus apprehendit id ut plura, quod tamen in se solùm est vnum. & gustus (puta malè infectus) apprehendit ut amarum, quod tamen est dulce. ergo sensus sæpè falluntur.

Respondetur sensus in prædictis casibus quidem falli, non tamen formare ens rationis, quia sensus non se habent activè ad ea quæ afferuntur, sed tantùm se habent passivè. Omnia enim illa vel proveniunt ab objectis indebitè dispositis, vel à medio, vel ab organo corporeo, cui sensus est affixus, indebitè dispositio.

Respondetur secundò. Quòd visus sive videat baculum in aqua curuum, sive videat plura pro vno: semper videat aliquid reale, nimirum colorem. Similiter gustus dùm putat esse amarum id quod est dulce, verè sentit aliquam qualitatem realem, ac proinde hi non faciunt entia rationis.

Arguitur tertiò. Sanctus Thomas prima parte, quæstione duodecima, articulo nono ad secundum ait: imaginativam ex præconceptis speciebus montis & auri formare aliam tertiam scilicet montis aurei, ergo imaginativa facit ens rationis.

Respondetur, quod imaginativa cognoscat montem aureum quantùm ad id quod est sensibile in illis partibus repræsentatis montis & auri, & non quantùm ad illud esse fictum, quod intelligitur resultare ex illis partibus componentibus, in quo consistit ens rationis.

Dices: imaginativa ex conjunctione ad intellectum facit subinde propositiones rerum particularium, ut (verbi gratia) Cajus non

non est Curtius, ergo facit ens rationis: consequentia probatur, quia propositio nequit intelligi sine intentione prædicati & subjecti, sed illæ sunt entia rationis, ergo.

Respondetur, quod imaginativa tantùm fundamentaliter faciat intentionem subjecti & prædicati, in quantùm dat intellectui occasionem fingendi illas intentiones, non tamen imaginativa facit propositiones formaliter discernendo inter ens reale & rationis.

Arguitur quartò contra secundam conclusionem. Causa realis potest solùm producere aliquid reale, sed intellectus est causa realis, ergo solùm potest producere aliquid reale, & consequenter intellectus non facit ens rationis.

Respondetur distinguendo majorem. Causa realis potest solùm producere ens reale primariò, conceditur major; secundariò negatur major, & concessa minori, distinguitur consequens: ergo intellectus non potest primariò producere ens rationis, conceditur consequentia, non potest secundatiò producere ens rationis, negatur consequentia. itaque intellectus producit ens rationis secundariò in ratione objecti.

Quæres. An DEUS cognoscat entia rationis à nobis facta? Respondetur affirmativè. probatur. nam sapientiæ octavo dicitur: scit monstra, scit versutias sermonum & solutiones argumentorum (ubi glossa interlinearis addit, scit propositiones) sed propositiones & similia sunt entia rationis, ergo DEVS cognoscit ens rationis.

Confirmatur. Quia Deus cognoscit quodcunq; judicium humanum, & quamcunq; veritatem intellectûs humani, ergo etiam cognoscet hoc meum judicium, scilicet, relatio rationis est ens rationis, esse verum vel falsum, sed non potest Deus cognoscere hanc veritatem, nisi cognoscat prædicatũ convenire subjecto; ergo cùm prædicatum sit ens rationis, DEUS etiam cognoscet ens rationis.

Quæres secundò. An Deus etiam possit formare ens rationis?

Respondent aliqui Thomistæ, D E U M nullum ens rationis posse formare: & hujus sententiæ fundamentum est: quia formare ens rationis est falli & decipi, sed DEO repugnat falli aut decipi, ergo DEUS non potest formare ens rationis.

Alij

Alij autem Thomistæ satis probabiliter admittunt DEUM posse formare ens rationis.

Fundamentum hujus sententiæ est: quia formare ens rationis non est falli aut decipi, ergo DEUS potest formare ens rationis. Antecedens probatur, quia dum concipimus cæcitatem per modum alicujus formæ, tunc cognoscimus eam in re nihil esse, & solùm cognoscimus, quod cæcitas ad mode formæ à nobis concepta sit ens rationis in nostro intellectu exiſtens; sed hoc non est decipi aut falli, maximè quia aliàs sequeretur quod quivis philosophus aut theologus argumentans falleretur, quod tamen dici non debet ergo. seq. pat. quia in quovis syllogismo est ens rationis pro formali.

Confirmatur. Nulla est imperfectio in Deo formare talia entia, rationis ergo Deus potest ea formare. Consequentia patet, & antecedens probatur. Quia maxima perfectio est cognoscere quamlibet rem eo modo quo cognoscibilis est, ergo etiam erit perfectio cognoscere ens rationis eo modo quo cognoscibile est, sed ens rationis non est cognoscibile nisi ad instar entis realis, ergo ens rationis sic cognoscere ad modum entis realis non est imperfectio. vult ergo hæc sententia, quòd DEUS quidem omnia cognoscat prout sunt à parte rei, & tamen etiam pro suâ libertate possit cognoscere id quod est non ens à parte rei, tanquam aliquod ens in intellectu exiſtens & efformatum ad modum entis realis.

Dices: concipere rem aliter ac est in se, est falli, sed si DEUS cognosceret non ens ad modum entis, tunc cognosceret rem aliter ac est in se, ergo DEUS falleretur.

Respondetur distinguendo majorem, concipere rem aliter ac est in se intra eundem ordinem, est falli, conceditur major, intra diversum ordinem, negatur major; sed si DEUS cognosceret non ens ad modum entis, tunc cognosceret rem aliter ac est in se, intra eundem ordinem negatur minor, intra diversum ordinem, conceditur minor, & negatur consequentia. Itaque DEUS cognosceret non ens intra ordinem realem extra intellectum esse nihil, & cognosceret illud non ens ad modum alicujus formæ cognitum, esse ens rationis intra ordinem solùm intellectualem. Huic sententiæ etiam videtur facere. S. Tho. 1. p. q. 15. a. 2. ad 3.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De vniversalibus in communi.

ARTICVLVS I.

Quid sit vniversale, & an à parte rei dentur naturæ quæ possunt denominari vniversales?

CONCLUSIO I.

Vniversale bene definitur, quòd sit vnum aptum inesse multis non æquivocè.

EXplicatur definitio. Per ly vnum denotatur, quòd vniversale debeat esse vnum nomine & re per nomen importatâ: & ideo excluduntur æquivoca & analoga, quæ non habent rationem omninò eandem: excluduntur etiam aggregata, sicut est acervus lapidum; quia acervus non habet veram vnitatem. Dicitur præterea aptum inesse multis, quia ad vniversale non requiritur, quòd aliqua natura actu insit multis, sed sufficit, quòd possit inesse multis, & ideo licet sit vnus tantùm sol & luna, equidem tamen sunt vniversales, quia saltem possunt esse plures soles & lunæ. imò nec requiritur ad vniversale secundùm rationem tantùm, quòd realiter possit esse in multis, sed sufficit, quòd ex modo essendi, quem habet in intellectu, non repugnet illi esse in multis. Unde licet natura Angelica Gabrielis non possit esse in pluribus individuis; quia tamen ex modo essendi, quem habet in intellectu, non repugnat ei esse in pluribus individuis, si illa essent possibilia, hinc natura Angelica est vniversalis secundùm rationem tantùm, ut docent omnes Thomistæ.

Quando autem dicitur in definitione, quòd vniversale debeat esse vnum in multis, tunc sensus est, quod natura vniversalis debeat esse in multis multiplicata actu vel potentiâ. Et ideo natura Divina respectu trium personarum non est vniversalis, quia est vna & eadem in illis, non autem est in ipsis multiplicata.

Ex his colligitur distinctio inter vniversale metaphysicum &

inter vniversale logicum; nam quia metaphysicus specialiter considerat naturas, logicus autem secundas intentiones, seu relationes rationis, ideo natura abstracta â pluribus dicitur vniversale metaphysicum, ipsæ autem secundæ intentiones seu relationes rationis dicuntur vniversale logicum; & hæc secunda intentio seu relatio rationis est ipsa forma vniversalitatis, qua natura dicitur formaliter vniversalis, quæ antea per nudam abstractionem solùm fuit vniversalis fundamentaliter proximè, & antequã esset abstracta, solùm fuit vniversalis fundamentaliter remotè; vnde Logicus præsupponit naturam abstractã, tanquã id, in quo fundatur vniversalitas.

CONCLUSIO II.

Dantur â parte rei naturæ, quæ possunt denominari vniversales, seu quod idem est, datur à parte rei vniversale fundamentaliter remotè.

PRobatur. Dantur à parte rei naturæ quæ in pluribus existunt, quæque à suis inferioribus possunt abstrahi tanquam aliquid vnum, sed tales naturæ possunt denominari vniversales, postquam sunt abstractæ à suis inferioribus, ergo dantur à parte rei &c.

CONCLUSIO III.

Naturæ illæ vniversales non sunt à parte rei separatæ ab individuis & singularibus, sed existunt in illis. ita Aristoteles contra Platonem.

PRobatur. Quod est de essentia alicujus, & essentialiter dicitur de aliquo, hoc debet esse in illo, quia juxta commune axioma DICI DE præsupponit esse IN: Si enim albedo non esset in pariete, non posset dici de parite, quòd sit albus; sed natura quæ dicitur vniversalis, est de essentiâ singularium & prædicatur de illis, cùm Petrus sit essentialiter homo, & hæc propositio sit essentialis, Petrus est homo, ergo naturæ vniversales &c.

Arguitur primò contra secundam Conclusionem. Quidquid est in mundo, est productum; sed quidquid est productum, est singulare,

gulare, ergo quidquid est in mundo, est singulare; & consequenter non dantur à parte rei naturæ, quæ possunt dici vniversales.

Respondetur distinguendo majorem. Quidquid est in mundo est productum vel per se primò, vel ratione alterius conceditur major. semper est productum per se primò, negatur major; sed quid quid est productum per se primò, hoc est singulare, conceditur minor, quod est productum solùm ratione alterius in quo includitur, negatur minor & consequentia; naturæ autem quæ possunt dici vniversales solùm sunt productæ ratione singularium in quibus existunt, & cum quibus identificantur.

Contra. Secundùm solutionem datam naturæ universales sunt identificatæ cum singularibus, ergo sunt verè singulares, & consequenter non sunt universales.

Respondetur distinguendo consequens, ergo sunt verè singulares materialiter & identicè, conceditur: sunt singulares fundamentaliter, negatur consequentia. Quia itaque naturæ quæ possunt denominari universales præbent intellectui fundamentum easdem abstrahendi à suis singularibus, ideo sunt universales fundamentaliter remotè.

Dices: ergo etiam individua poterunt fieri universalia.

Respondetur negando consequentiam, quia individuum (v. g.) Petrus, ita includit singularitatem, ut sine ea non possit concipi: naturæ autem universales in suâ ratione formali singularitatem non includunt, sed sine illa possunt concipi.

Arguitur secundò contra eandem, Aristoteles libro primo de demonstratione capite decimò octavo ait: valeant species, id est, naturæ universæ, cantilenæ enim sunt & meræ nugæ. Ergo secundùm Aristotelem non dantur naturæ universales.

Respondetur, quòd Aristoteles solum reprehendat idæas Platonicas, seu naturas universales separatas à singularibus, quas nos etiam in tertiâ conclusione rejicimus.

Arguitur tertiò contra tertiam, si essent universalia in rebus, sequitur idem posse quiescere & non quiescere, consequens est falsum, ergo & antecedens. Probatur sequela. Si homo (verbi gratiâ)

tiâ) esset in Petro & in Paulo, sequeretur quòd in Petro currente non quiesceret, in Paulo autem sedente quiesceret, ergo.

Respondetur distinguendo sequelam majoris; si homo esset in Petro & Paulo indivisus & immultiplicatus, conceditur sequela, si homo in Petro & Paulo sit divisus & multiplicatus, negatur sequela majoris, & applicatâ distinctione ad minorem, negatur consequentia. Quia ut dictum est in explicatione definitionis universalis, natura illa debet esse multiplicata & divisa in pluribus.

ARTICULUS II.

Per quem actum intellectûs fiat universale metaphysicum & logicum.

NOtandum primò, quòd quia universale est unum, hinc oporteat videre qualem unitatem habeat. Est autem unũ nihil aliud, quàm ens indivisum in se, & divisum à quolibet alio.

Notandum secundò, quòd natura aliqua dupliciter possit dici una, semel positivè, & semel negativè. Tunc natura dicitur communis & una positivè, quando indivisa manens secundùm genus vel speciem reperitur in pluribus numero differentibus. Si autem natura illa etiam indivisa maneat secundùm numerum, tunc dicitur una unitate positivâ numericâ, & hoc modo sola natura Divina est una, utpote quæ indivisa manens secundùm numerum reperitur in tribus Personis.

Illa autem natura dicitur una unitate negativâ, quæ non est applicata alicui supposito, quod fit, quando naturam aliquam contemplamur secundùm se, & ut non contractam per differentias individuales: sed tunc concipimus solùm naturam secundùm prædicata essentialia, adeoque natura sic concepta dicitur esse in statu indifferentiæ, quia natura secundùm se est indifferens ad prædicata accidentalia, his præmissis sit

CONCLUSIO. I.

Nec natura secundùm se, nec prout invenitur in singularibus, habet unitatem communem positivè.

Volo

VOlo dicere quòd natura à parte rei non sit capax ad essendum in multis per identitatem & positivè, prout ad universale requiritur.

Probatur prima pars, quod scilicet natura secundùm se non habeat unitatem positivè communem. Si natura secundum se haberet unitatem positivè communem, sequeretur, quod etiam quodcunque individuum talis naturæ, haberet unitatem positivè communem, sed hoc est falsum, ergo & illud unde sequitur. Probatur sequela majoris, quia omne prædicatum essentiale competens naturæ, etiam competit individuis talis naturæ, sed natura secundùm se, solùm consideratur secundùm prædicata essentialia, ergo si natura secundùm se habeat unitatem communem positivè, sequitur quod etiam quodvis individuum talem unitatem positivè communem haberet.

Probatur secunda pars, quia natura ut est in singularibus, est singularis, sed naturæ singulari repugnat habere hanc unitatem communem positivè, quia alias singulare posset esse universale, quod tamen est falsum, ergo natura prout invenitur in singularibus non habet unitatatem communnem positivè.

CONCLVSIO II.

Non datur à parte rei universale formaliter tale.

PRobatur, ad universale formaliter tale requiritur quòd natura illa â parte rei habeat unitatem communem positivè, sed natura ut probatum est non habet à parte rei unitatem positivè communem, ergo

CONCLVSIO III.

Præter unitatem numericam datur etiam unitas formalis in natura & à parte rei.

PRobatur. unitas formalis nihil est aliud, quàm carentia divisionis formalis seu entitas indivisa secundum speciem seu formam & essentiam, unitas autem numerica nihil est aliud, quàm carentia divisionis in plures materias, seu individua, sed

Petrus (verbi gratiâ) à parte rei habet entitatem indiviſam in plures ſpecies ſeu formas, & etiam iu plures materias ſeu individua, ergo à parte rei præter unitatem, &c.

CONCLUSIO IV.

Vnitas formalis non diſtinguitur ab unitate numerica realiter ſed ratione ratiocinatâ non autem diſtinctione media.

PRobatur prima pars. Vnitas numerica (verbi gratia) eſt Petrus, unitas autem formalis eſt homo, ſed homo eſt Petrus non diſtinguatur realiter, aliàs Petrus non eſſet realiter homo, cùm ea quæ ſunt realiter diſtincta, eorum unum non poſſit eſſe alterum, ergo unitas formalis & numerica non diſtinguuntur realiter.

Probatur ſecunda pars. Nam hæ duæ unitates non diſtinguntur realiter, ergo per rationem. Conſequentia patet, quia præter diſtinctionem realem non datur niſi diſtinctio rationis.

Confirmatur. Nam Petrus in quantum homo, dicit convenientiam cum alijs hominibns, in quantum autem hic homo, diſconvenit ab alijs, ſed iſta convenientia & diſconvenientia præbet intellectui occaſionem formandi diſtinctionem rarionis ratiocinatæ ergo Petrus & homo ſeu unitas formalis & numerica diſtinguuntur ratione ratiocinata.

Probatur tertia pars. Ens tantùm eſt duplex, ſcilicet reale & rationis, ergo etiam diſtinctio tantùm eſt duplex, ſcilicet realis & rationis & conſequenter non datur diſtinctio media ſcoti, prima conſequentia, patet quia diſtinctio eſt paſſio entis ergo.

CONCLUSIO V.

Vniverſale methaphyſicum fit per abſtractionem intellectûs agentis, univerſale autem logicum fit per comparationem ſimplicem intellectûs poſſibilis.

Probatur

PRobatur prima pars. Vniversale methaphysicum, ut dictum est, nihil est aliud, quàm natura abstracta â conditionibus individuantibus, sed intellectus agens ex proprio officio abstrahit naturam â conditionibus individuantibus, ergo intellectus agens facit universaie methaphysicum.

Probatur 2. Pars. Quia intellectus possibilis accipit ab intellectu agente speciem repræsentantem naturã abstractam, ergo cognoscet intellectus naturam illam esse unam, non quidem unitate singulari, cùm à singularibus sit abstracta, ergo cognoscet illam ut unam unitate universali. Tunc ultra, sed quando intellectus cognoscit naturam ut unam unitate universaii, tunc cognoscit illam esse aptam ad essendum in multis, ergo tunc facit universale logicum. Hæc consequentia probatur, quia universale logicum nihil est aliud quam *unum aptum* ad essendum in multis quod fit per comparationem simplicem non autem compositam.

Arguitur primò contra primam. Quæ sunt unum formaliter habent unam unitatem formalem positivè, sed Petrus & Paulus sunt unum formaliter, ergo sunt unum unitate positiva, & consequenter â parte rei datur unitas communis positivè. Probatur minor, quia Petrus & Paulus sunt ejusdem speciei, ergo.

Resp: distinguendo majorem. Quæ sunt unum formaliter per formam immultiplicatam conceditur major, per formam multiplicatam negatur major. Sed Petrus & Paulus sunt unum formaliter per formam multiplicatam, conceditur minor, per formam immultiplicatam negatur minor & consequentia.

Dices Petrus & Paulus non differunt specie, ergo forma â qua desumitur species in ipsis non est multiplicata & consequenter est una in ipsis.

Resp: distinguendo consequens, ergo forma â quà desumitur species non est multiplicata in ipsis numericè negatur consequentia, non est multiplicata in ipsis secundùm essentiam specificam, tanquàm scilicet sit alia essentia specie distincta in Petro & Paulo conceditur consequentia. Dico ergo quòd *quia unitas formalis est indistincta realiter ab unitate numericà*, hinc sicut in individuis multiplicatur unitas numerica, sic etiam in ipsis multiplicetur unitas formalis ad

lis ad minùs materialiter, *in quantùm nimirum conjuncta est cum unitate numericè multiplicata*, unde hoc argumentum solùm probat Petrum & Paulum â parte rei esse unum unitate convenientiæ & similitudinis, non autem probat Petrum & Paulum â parte rei habere unitatem formalem communem positivè.

Arguitur 2. contra quartam conclusionem. Principia unitatis formalis & numericæ sunt materia & forma, sed materia & forma distinguunrur realiter, ergo etiam unitas formalis & numerica distinguuntur realiter.

Resp: distinguendo majorem. Principia radicalia & remota conceditur major, principia proxima & immediata negatur major & concessa minore negatur consequentia.

Principium itaque proximum & immediatum unitatis numericæ & formalis est tota essentia carens divisione numerica & formali. Ad hoc autem ut unitas formalis & numerica distinguantur realiter, requireretur, quod principia proxima, distinctionis formalis & numericæ realiter distinguantur, quod tamen hìc non fit.

Arguitur tertiò contra quintam conclusionem, natura abstracta per intellectum agentem non est singularis, ergo est universalis logicè. antecedens patet, quia natura est abstracta â singularibus. consequentia autem probatur, quia intersingulare & universale logicum nihil mediat, sed natura abstracta non est logicè singularis, ergo est logicè universalis.

Resp: negando consequeutiam, ad probationem negatur major, quia inter singulare & universale logicum mediat universale methaphysicum, quod asserimus fieri per intellectum agentem.

Contra sed etiam intellectus agens facit universale logicum, ergo solutio nulla. probatur minor subsumpta, quia tunc fit universale logicum, quando natura abstracta respicit sua inferiora, sed natura abstracta respicit sua inferiora, ergo. Probatur minor quia natura abstracta respicit ea â quibus est abstracta, sed est abstracta ab inferioribus, ergo respicit inferiora.

Resp: negando minorem subsumptam, ad probationem distin-

stinguitur major, tunc est universale logicum, quando natura abstracta respicit inferiora tanquam terminum â quo negatur major, tanquam terminum ad quem, conceditur major. Sed natura abstracta per intellectum agentem adhuc respicit inferiora tanquam terminum â quo conceditur minor, tanquam terminum ad quem, negatur minor & consequentia, unde quia natura abstracta solùm per comparationem simplicem intellectus possibilis respicit inferiora tanquam terminum ad quem apta est referri, hinc solùm per intellectum possibilem fit universale logicum.

ARTICVLVS III.

Quot sint vniversalia?

CONCLVSIO.

Universalia sunt quinque, nimirum genus, species, differentia, proprium & accidens.

PRobatur. nam vniversale est vnum aptum inesse multis, ergo tot sunt vniversalia quot modis contingit vnum esse in multis: sed tantùm quinque modis potest esse vnum in multis, ergo sunt tantùm quinque universalia. Probatur minor, quia vel vnum est in multis essentialiter, vel accidentaliter? si essentialiter? tunc vel dicit totam essentiam, id est omnia quæ ad definitionem concurrunt, & sic est species, vel dicit partem essentialem determinabilem, & sic est genus; vel dicit partem essentialem determinantem, & sic est differentia. Si autem est accidentaliter in multis? tunc vel est in illis, ut ab essentia profluens, & sic est proprium; vel provenit solùm à conditionibus individuantibus aut ab extrinseco, & ita est accidens, ergo tantùm quinque modis vnum potest esse in multis.

Arguitur primò contra conclusionem, omne vniversale vel est in multis essentialiter vel accidentaliter, ergo vniversale adæquatè dividitur solùm in duas species, nimirum in vniversale essentiale, & vniversale accidentale.

Respondetur distinguendo consequens. ergo vniversale adæ-

quatè dividitur in duas ſpecies ſubalternas, id eſt, ſubdiviſibiles in alias ſpecies conceditur conſequentia, in ſpecies infimas & atomas, negatur conſequentia. Dico ergo: quòd vniverſale dividatur adæquatè in genus, ſpeciem, differentiam, proprium & accidens, tanquam in ſpecies infimas.

Arguitur ſecundò. modus prædicandi ſequitur modum eſſendi, ſed decem ſunt modi eſſendi, cùm ſint decem prædicamenta, ergo etiam erunt decem modi prædicandi ſeu decem prædicabilia.

Reſpondetur diſtinguendo majorem. modus prædicandi ſequitur modum eſſendi abſolutè, negatur major. comparativè in ordine ad aliud conceditur major, & ſic diſtincta minori, negatur conſequentia. Licèt ergo modi participandi ipſum ens ſint decem abſolutè loquendo, ſi tamen loquamur de modo eſſendi in inferioribus, tunc ſunt tantùm quinque, quia tantùm ſunt quinque modi connexionis prædicati cum ſubjecto, adeoque tantùm erunt quinque vniverſalia ſeu prædicabilia, eſtò ſint decem prædicamenta.

Notandum hîc quòd ſubſiſtentia & exiſtentia non conſtituant diſtincta prædicabilia, quia non ſunt naturæ ſed modi.

Quæres quomodo vniverſalia ſint perpetua & æterna?

Reſpondetur quòd univerſalia ſint perpetua & æterna ſecundùm eſſentiam, non quidem poſitivè, ſed negativè ſolùm, eò quod negativè ſint ingenerabilia & incorruptibilia.

Ratio primæ partis eſt. quia ſi vniverſalia eſſent perpetua & æterna poſitivè, tunc ab æterno deberent habere aliquod eſſe exiſtentiæ reale extra DEUM, ſed vniverſalia ab æterno non habent aliquid eſſe reale exiſtentiæ extra Deum, ergo non ſunt æterna poſitivè. Probatur minor, quia fides docet, quòd omnia in tempore ſint producta. ergo.

Ratio ſecundæ partis eſt. quidquid eſt incorruptibile negativè, hoc eſt etiam perpetuum negativè, ſed vniverſalia ſunt negativè incorruptibilia, ergo etiam ſunt æterna negativè. probatur minor, id eſt incorruptibile negativè, quod ex ſe non habet principium corruptionis, ſed vniverſalia ex ſe non habent principium à quo corrumpantur, quia generatio & corruptio ſolùm exercentur circa ſingularia ergo.

QUÆ-

QVÆSTIO IV.

De prima specie universalis, scilicet genere.

ARTICVLVS VNICVS.

Quomodo definiatur genus, & quid sit definitum in definitione generis?

CONCLVSIO I.

Genus bene definitur, quòd sit id, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid.

EXplicatur definitio. Ly id ponitur loco generis, & per illam particulam intelligitur natura denominata â secunda intentione generis, & quia illa natura debet esse una & completa hinc excluduntur â definitione generis, ens quod non est univocum, & anima quæ est quid incompletum, relinquæ particulæ ponuntur loco differentiæ; nam species prædicatur solùm de pluribus numero differentibus, differentia autem prædicatur in quale quid, proprium verò & accidens prædicantur in quale.

CONCLVSIO II.

Definitum in definitione generis non est natura denominata secundùm se considerata, vel ut connotans secundam intentionem, sed est ipsa secunda intentio in concreto significata, ita ut secunda intentio sit res definita, natura autem ex modo significandi importetur.

PProbatur prima Pars. Definititio est de essentia definiti, & intrinseca eidem, sed prædicari de pluribus specie differentibus non convenit intrinsecè & essentialiter naturæ denominatæ præcisè & secundùm se sumptæ (verbi gratia) naturæ animalis, ergo de-

finitum in definitione generis non est natura secundùm se considerata. Prob. minor, quidquid est essentiale naturæ denominatæ animalis, hoc etiam est essentiale homini & ejus individuis (verbi gratia) Petro & Paulo, sed nec homini, nec Petro nec Paulo est essentiale prædicari de pluribus specie differentibus, ergo nec est essentiale naturæ animalis prædicari de pluribus specie differentibus.

Probatur 2. Pars. Illud est definitum in definitione generis quod nomine generis primariò & per se importatur, sed hoc est secunda intentio, non autem natura denominata connotando secundam intentionem, ergo. major & minor patet, sicut enim concreta realia accidentalia primariò significant formas (verbi gratia) album albedinem, ita etiam concreta rationis primariò significant ipsam formam, ut genus genereitatem.

Probatur 3. Pars. Quodlibet concretum accidentale per se & principaliter significat formam, sed genus est quoddam concretum accidentale, ergo per se primò significat formam genereitatis, & consequenter secunda intentio in concreto est res definita, consequentia patet, quia id tantùm definitur in præsenti, quod per se & primariò significatur. major similter constat, quia concretum accidentale non significat subjectum primariò, sed tantùm formam, ut (verbi gratia) album tantùm primariò significat albedinem.

Probatur ultima Pars. Quia concreta realia accidentalia secundariò connotant ipsum subjectum, ergo etiam concreta rationis secundariò important naturam denominatam, & consequenter natura denominata ex modo significandi importatur.

Arguitur primò contra primam, definitio generis convenit alteri â definito, ergo non est bona, probatur antecedens, quia illa difinitio convenit enti, quod ptædicatur de homine, equo leone & alijs specie inter se differentibus, ergo.

Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguitur antecedens: ens prædicatur de pluribus specie differentibus univocè sicut requiritur ad rationem generis negatur antecedens,

prædi-

prædicatur analogicè conceditur antecedens & negatur consequentia, quòd autem genus debeat prædicari univocè, provenit ex eo, quia est species universalis, de ratione autem universalis est, quòd debeat esse unum nomine & re significata in multis, consequenter etiam debet prædicari univocè de multis.

Dices: species subalterna (verbi gratia) vivens prædicatur de pluribus specie differentibus univocè, ergò adhuc definitio generis convenit alteri â definito, probatur antecedens, quia vivens prædicatur de animali, homine, bove &c.

Respondetur distinguendo antecedens, vivens tanquam species subalterna prædicatur de pluribus specie differentibus negatur antecedens, vivens ut habet rationem generis conceditur antecedens & negatur consequentia. Species itaque subalterna ut subalterna non prædicatur de pluribus specie, sed tantùm subjicitur suo generi, ut (verbi gratia) vivens corpori: eadem autem species subalterna comparata ad sua inferiora habet rationem generis, & sic prædicatur de pluribus specie.

Arguitur secundò, contra secundam, definitio generis convenit naturæ denominatæ, ergo natura denominata est definitum in definitione generis. probatur antecedens, quia genus definitur esse id quod prædicatur de pluribus, sed natura denominata est id, quod prædicatur de pluribus, secunda autem intentio, non est id quod prædicatur de pluribus, ergo.

Respondetur negando antecedens, ad probationem distinguitur antecedens, genus est id quod prædicatur de pluribus, ut quod subjectivè, & materialiter negatur major, est id quod prædicatur de pluribus ut quo, seu ut ratio referendi conceditur major, seu natura denominata est id quod prædicatur de pluribus subjectivè ut quod & materialiter conceditur minor, est id quod prædicatur ut quo, seu, ut ratio formalis referendi negatur minor & consequentia.

Dico itaq; quòd secunda intentio sit id quod prædicatur ut quo, sitquè ratio formalis referendi naturam denominatam ad plura specie differentia.

Arguitur ultimò. Logica agit de secundis intentionibus adjunctis primis, ergo illud aggregatum ex natura denominata & secunda intentione erit definitum in definitione generis.

Respondetur distinguendo antecedens. agit de secundis intentionibus adjunctis primis æquè primariò negatur antecedens, de secundis intentionibus primariò, de alijs autem secundariò, conceditur antecedens, ergo illud aggregatum est definitum, ita ut utrumq; primariò importetur negatur consequentia, ita ut secunda intentio importetur primario, natura autem denominata solùm secundariò seu denominativè conceditur consequentia.

Quæres an natura generica prædicetur de specie ut totũ vel ut pars?

Respondetur quòd prædicetur ut totum potentiale, ita S. Thomas c. 3. de ente & essentia. ante probationem.

Notandum: quod genus ut totum potentiale dicat solùm naturam animalis ut contrahibilem per suas differentias, id est, per rationale & irrationale, genus autem ut totum actuale, (v. g.) animal, tantùm dicit suas partes essentiales, ex quibus actu componitur, quæ sunt vivens sensibile. Deniq; genus per modum partis significatum, vel potest sumi tanquam pars actualis, in quantum actu conjunctum est cum differentia & componit speciem; vel tanquam pars potentialis, in quantum non actu componit, sed cum differentia potest componere. Non est autem sermo hic de prædicatione materiali & identica, sic enim genus, ut pars actualis potest prædicari de specie, sed est sermo de prædicatione formali. hoc supposito.

Ratio responsionis datæ est, quia ut aliquid prædicetur de altero, debet saltem confusè & in potentia continere illud de quo prædicatur, sed pars non continet, imo essentialiter excludit partem, ergo genus prædicatur ut totum potentiale, & non ut pars.

Dices: partes physicæ nimirum materia & forma prædicantur ut partes, ergo etiam partes metaphysicæ, scilicet genus & differentia prædicantur ut partes.

Respondetur negando consequentiam, disparitas est, quia circa singularia, ergo. & hæc de universalibus in communi dicta sufficiant.

QUÆ-

partes physicæ prædicantur tantùm in obliquo, non enim dicitur, homo est materia & forma, sed solùm dicitur, homo est compositus ex materia & forma: at verò partes metaphysicæ prædicantur in recto, ut (verbi gratia) dum dico: homo est animal rationale: & ideo partes metaphysicæ non possunt prædicari ut partes.

Quæres secundò: vnde in substantijs desumatur genus & differentia?

Respondetur. quòd in substantijs Angelicis, utpote compositione ex materia & forma carentibus, tam genus quàm differentia sumantur ab eadem essentia diversimode considerata; nam ratio generis desumitur à tota essentia Angeli considerata ut indeterminata & perfectibili, ratio autem differentiæ sumitur ab eadem essentia considerata ut determinata & perfecta. Et ratio hujus est; quia in Angelis solùm est compositio ex essentia & existentia, sed existentia non potest esse radix differentiæ, quia existentia est extra essentiam rei, differentia autem est intra essentiam rei, ergo in Angelo ab eadem essentia sumitur ratio generis & differentiæ.

Cæterum in substantijs corporeis ratio generis desumitur â materia, quia materia est prima potentialitas, ratio autem differentiæ desumitur à forma, quia hæc est prima actualitas.

Quæres tertiò. quodnam sit immediatum generis correlativum?

Respondetur, quòd species sit immediatum generis correlativum, quod patet ex eo, quia genus immediatè definitur per ordinem ad species. Nihilominus species non sunt adæquatum, generis correlativum, cùm genus non solùm possit prædicari de speciebus, sed etiam de individuis speciei.

Quæres ultimo, an genus ut totam potentiale possit salvari in unica specie? ante resolutionem.

Nota quòd genus possit dupliciter considerari, primò ut totum potentiale, secundò ut totum actuale. genus ut totum potentiale dicit naturam aliquã contrahibilem per plures differentias sibi oppositas ut (verbi gratia) animal potest considerari quatenus est contrahibile per rationale, & irrationale. Genus autem ut totum actuale dicit naturam jam contractam per certam differenti-

am

am ſpecificam, ut ſi natura animalis ſolùm eſſet contracta per ratio nale. hoc prænotato.

Reſpondetur ad quæſitum, quòd genus ut totum potentiale non poſſit conſervari in unica ſpecie.

Ratio hujus eſt, quia genus ut totum potentiale dicit naturam contrahibilem per plures differentias eſſentiales, ſed genus ut contrahibile per plures differentias eſſentiales non poteſt ſalvari in unica ſpecie, ergo genus ut totum potentiale non poteſt ſalvari in unica ſpecie. Probatur minor. quia in unica ſpecie non expletur ejus potentialis, nec ſatiatur illius appetitus, cùm non ſolùm appetat unam differentiam ſpecificam, ſed plures, ergo. pro complemento.

Nota quod genus ſupremum ſit id, quod ſupra ſe non habet aliud genus, genera autem intermedia (quæ etiam vocantur ſpecies ſubalternæ) ſunt illa quæ ſupra ſe habet aliud genus, & reſpectu illius generis ſupremi comparantur ut ſpecies, eſtò habeant rationem generis, prout comparantur ad alia inferioria.

Vt autem ſcias quodnam ſit genus ſupremum & quænam ſint genera intermedia, inſpice ſequentem tabulam.



Genus


GENUS
Differentiæ pro-
priæ
SUPREMUM
Differentiæ impro-
priæ.
Substan-
tia
Corpus
Vivens
Animal
Homo
Subijcibile
Subijcibile
Subijcibile
Subijcibile
Prædicabile
Prædicabile
Prædicabile
Prædicabile
Diuisiua
Constitutiua
Corporea
Diuisiua
Constitutiua
Animatum
Diuisiua
Constitutiua
Sensibile
Diuisiua
Constitutiua
Rationale
Diuisiua
Constitutiua
Incorporea
Repugnans
Diuisiua
Inanimatum
Repugnans
Diuisiua
Insensibile
Repugnans
Diuisiua
Irrationale
Repugnans.
Petrus
Hic homo
Titij filius.

QUÆ-

QVÆSTIO V.

De secundo universali, nimirum de specie.

ARTICVLVS I.

Quid sit species?

CONCLVSIO.

Species est id quod prædicatur de pluribus numero differentibus in quid. Et hæc definitio convenit speciei prædicabili, qua consideratur species secundùm quod respicit inferiora.

PAtet bonitas hujus definitionis ex eo, quia nullum aliud universale habet talem modum prædicandi, sicut species, ergo est bona.

CONCLUSIO II.

Species subjicibilis seu prout respicit genus, bene definitur esse id, quod immediatè subjicitur generi.

EXplicatur. Quia licèt individua etiam subjiciantur generi, non tamen immediatè subjiciuntur illi, sed mediante specie.

Arguitur primò contra primam, in his definitionibus generis & speciei committitur circulus vitiosus, quia genus definitur per ordinem ad speciem, & species subjicibilis definitur per ordinem ad genus, ergo definitio speciei non est bona.

Respondetur negando antecedens. Dico enim, quòd ibi non sit circulus vitiosus, eò quod sint correlativa, inter quæ debet intercedere mutuus respectus, hoc ipso quod sint mutua correlativa, & consequenter in definitione utriusque debet includi alterum sine vitio circuli.

Arguitur secundò. Anima, manus, punctum, caput, &c. prædicantur de pluribus numero differentibus, & tamen non sunt species,

cies, ergo malè definitur species, esse id, quod prædicatur de pluribus numero.

Respondetur, quòd species prædicetur de pluribus numero completè, illa autem adducta solùm sunt entia incompleta, & ideo non sunt species.

Arguitur tertiò. Sol, luna, phœnix, solùm habent unicum individuum, & de facto prædicantur de uno individuo, & tamen sunt veræ species, ergo falsum est, quòd species sit id, quod prædicatur de pluribus numero.

Respondetur, quòd licet prædicta solùm habeant unicum individuum defacto, possunt tamen habere plura individua, & ita prædicari de illis, quod sufficit, ut sint veræ species.

Quæres: an species possit salvari in unico individuo?

Respondetur affirmativè: nam defacto species solis & lunæ salvatur in unico individuo, & defacto species humana fuerat salvata in unico homine, scilicet Adamo, ergo species potest salvari in unico individuo.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS II.

An species subjicibilis reduplicativè ut subjicibilis sit universalis logicè.

CONCLUSIO.

Species subjicibilis quà talis non est universalis logicè.

Talis non est prædicabilis ergo ut talis nō est universalis. Probatur minor, in tantùm species est prædicabilis, in quantùm est aliquid superius respiciens inferiora, sed in quantùm subjicibilis non est aliquid superius respiciens inferiora, ergo. Minor probatur, quia in quantùm subjicibilis subjicitur generi tanquam suo superiori, ergo ut subjicibilis non est aliquid superius respiciens inferiora.

Arguitur primo, nihil potest subjici generi nisi sit universale;

sed species subjicibilis immediatè subjicitur generi, ergo species subjicibilis erit universalis.

Respondetur distinguendo majorem, nihil subjicitur generi immediatè nisi sit universale, vel logicum vel metaphysicum, conceditur major: semper logicum, negatur major, & concessâ minori distinguitur consequens; ergo species subjicibilis erit universalis logicè, negatur consequentia; universalis metaphysicè, conceditur consequentia, vel

Respondetur secundò distinguendo majorem; nihil subjicitur generi nisi sit universale ob præcisum respectum ad genus, negatur major, nisi sit universale ob alium respectum ad inferiora sua, conceditur major; & concessâ minori distinguitur consequens, ergo species subjicibilis erit universalis ob hunc respectum, ad genus præcisè, negatur consequentia, ob alium respectum ad inferiora conceditur consequentia.

Arguitur secundo. Species subjicibilis est correlativa generis, ergo cùm genus sit universale, etiam species subjicibilis erit universalis. Probatur consequentia, quia correlativa debent poni sub eodem genere, sed genus & species sunt correlativa, ergo debent poni sub eodem genere, nimirum sub universali.

Respondetur negando consequentiam, ad probationem distinguitur major. Correlativa debent poni sub eodem genere semper proximo, negatur major; vel proximo vel remoto, conceditur major, & concessâ minori negatur consequentiâ. Unde sicut licet individuum sit correlativum speciei, non tamen sequitur, quòd individuum sit universale sicut est species, sed sufficit quòd individuum & species simul sint sub eodē genere remoto nimirum sub relatione rationis, ita etiam genus & species subjicibilis solùm continentur sub eodem genere remoto nimirū sub relatione rationis.

Quæres quid sit individuum?

Respondetur, quòd individuum sit illud, quod immediatè ponitur sub specie, vel de quo species prædicatur, sicut verbi gratia. Petrus, Paulus, & cætera individua humana immediatè ponuntur sub homine, & homo prædicatur de illis.

Est

Est autem individuum duplex: unum indeterminatum & vagum, ut aliquis homo, aliud verò determinatum & certum, ut Socrates.

Quæres secundò: quænam sint proprietates individui primò intentionaliter sumpti?

Respondetur cum Beato Alberto magno: quòd illæ proprietates sint septem, quæ continentur sequentibus versibus.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet unus & alter.

Explicantur hi versus. Per formam intelligitur temperies qualitatum & singularis complexio. Per figuram intelliguntur delineamenta, & proportio partium corporis. Per locum denotatur civitas aut locus, in quo quis est natus. Per tempus designatur ipsum generationis momentum, & constellatio syderum, sub quâ quis nascitur. Per nomen denotatur illud nomen, quod quis in baptismo, vel ex stemmate trahit.

Sanguis designat parentes, & cognatorum propaginem. Per patriam designatur provincia, in quâ quis nascitur.

Et hæ septem proprietates simul duobus vel pluribus individuis naturæ humanæ non conveniunt.

QVÆSTIO VI.

De differentiâ.

ARTICULUS VNICVS.

Quid & quotuplex sit differentia?

NOtandum: quòd differentia in communi nil sit aluid, quàm forma quædam faciens unum differre ab alio, sicut rationale, quod constituit hominem, facit eundem hominem ab omni alio differre.

Notandum secundò: quòd differentia sit triplex nimirum communis, propria & proprijssima. Differentia communis est, quæ facit differre penes accidentia aliqua communia, sicut homo

ſedens per ſeſſionē differt ab homine ſtante. Differentia propria eſt, quâ quis differt ab alio accidente quodam inſeparabili, ſicut eſt cicatrix in facie, vel aliud accidens proprium alicujus. Differentia proprijſſima eſt, quâ quis eſſentialiter differt ab altero, ſicut homo eſſentialiter differt ab equo per rationalitatem. Porrò diviſum in hac diviſione eſt ipſa differentia primò intentionaliter ſumpta, quia ſubſtractum differentiæ ſecundò intentionaliter ſumptæ benè dividitur in ſubſtractum differentiæ communis, propriæ & proprijſſimæ.

CONCLUSIO I.

Diviſio differentiæ in communem, propriam & proprijſſimam non eſt univoca ſed analoga.

PRobatur: tunc diviſio non eſt univoca, quandò membra dividentia non participant æqualiter rationem diviſi, ſed hic membra dividentia non participant æqualiter rationem diviſi, ergo diviſio non eſt univoca. Probatur major, quia ſolum differentia proprijſſima ratione ſui participat rationem differentiæ ergo. Probatur antecedens, quia eo modo facit aliquid differre, quomodo conſtituit, ſed tantùm differentia proprijſſima conſtituit ſimpliciter, differentia autem propria & communis ſolùm conſtituunt ſecundùm quid, ergo etiam differentia proprijſſima ſolùm participat ſimpliciter rationem differentiæ.

CONCLVSIO II.

Differentia benè definitur quod ſit id, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in quale quid.

HÆc definitio quoad priores particulas jam eſt explicata in præcedentibus. Per ultimas autem particulas differentia diſtinguitur ab alijs univerſalibus: nam genus & ſpecies ſolùm prædicantur in quid, proprium autem & accidens ſolùm prædicantur in quale, differentia autem prædicatia in quale quid.

CON-

CONCLVSIO III.

Hæc definitio solùm convenit differentiæ subalternæ non autem differentiæ infimæ. ita S. Thomas 1. post. sect. 13.

PRobatur. Quia solùm differentiæ subalternæ non autem differentiæ infimæ convenit prædicari de pluribus specie differentibus, ergo solùm convenit. &c. Prob. ant. nam modus prædicandi sequitur modum essendi, sed tantùm differentia subaltena inest pluribus specie differentibus, non autem differentia infima. ergo.

Confirmatur. sensibile verbi gratiâ est differentia subalterna, rationale autem est differentia infima; sed sensibile verbi gratiâ tantùm inest pluribus, specie differentibus, non autem rationale, ergo tantùm differentia subalterna potest prædicari de pluribus specie differentibus non autem differentia infima.

Arguitur imò contra primam conclusionem. Ratio differentiæ ut constituit hoc tertium prædicabile, est facere differre, sed non solùm differentia propriissima, sed etiam differentia communis & propria faciunt differre, ergo omnes hæ differentiæ conveniunt in ratione faciendi differre, consequenter divisio est univoca.

Resp. dist. maj. est facere differre essentialiter, conceditur major; est facere differre accidentalier, negatur major; sed etiam differentia communis & propria faciunt differre essentialiter, negatur minor; accidentaliter conced. mi. & neg. consequentia. Licet autem risibilitas, quæ est differentia propria faciat differre essentialiter in secundo modo dicendi per se (in quo ponuntur proprietates) non tamen facit differre essentialiter in primo modo dicendi per se per modum essentiæ.

Arguitur secundò. universale est genus ad quinque prædicabilia, dividiturque univocè in illa, & tamen aliqua prædicabilia prædicantur essentialiter, aliqua accidentaliter, ergo similiter non obstante, quòd differentia propriissima faciat differre essentialiter, & reliquæ duæ accidentaliter, erit tamen divisio univoca.

Resp.

Resp. neg. consequentiam, disparitas est : quia si tolleretur differentia propriissima, tunc non esset aliquid quod posset facere differre simpliciter, & ita tolleretur ratio hujus prædicabilis, quod pro materiâ substratâ supponit naturam simpliciter constitutam. At vero natura universalis solùm petit quòd aliquid univocè dicatur de inferioribus, abstrahendo ab hoc utrum ex parte rei prædicatæ sit prædicatio essentialis vel accidentalis, & ita quia prædicari univocè de inferioribus tam benè potest convenire substantiæ quam accidenti, hinc divisio universalis in quinque membra est vnivoca. Divisio autem in differentiam communem, propriam, & propriissimam non est univoca sed solùm analoga, quæ analogia consistit in hoc, quod sicut differentia propriissima facit differre essentialiter ita secundùm proportionem etiam faciat differrentia communis & propria.

Quæres an differentia infima, sit universalis in ordine ad speciem quam constituit, vel in ordine ad inferiora speciei.

Resp. quòd sit universalis in ordine ad individua.

Ratio hujus est. nam species non est quid inferius ad differentiam, sed convertuntur ad invicem & per consequens differentia non est universalis & superior respectû speciei quam constituit, sed respectû inferiorum speciei.

Dices. differentia est universalis in quantum est differentia, sed etiam est differentia per ordinem ad speciem quam constituit, ergo etiam est universalis per ordinem ad speciem.

Resp: disting. maj. in quantum est differentia methaphysicè spectata, seu prout præcisè dat esse specificum, negatur major, prout est differenria logicè spectata, & ut est superior conceditur major, sed est differentia methaphysicè & primò intentionaliter spectata per ordinem ad speciem conceditur minor, est differentia logicè spectata in ratione superioris, negatur minor, & consequentia. Unde cùm differentia solùm sit superior respectu, individuorum speciei, hinc etiam solùm erit universalis per ordinem ad inferiora speciei.

QUÆ-

QVÆSTIO VII.

De proprio, quod est quartum prædicabile.

ARTICULUS UNICUS

An proprium quarto modo, constituat hoc quartum prædicabile?

NOtandum. quod proprium quatuor modis possit summi. Primò aliquid est proprium speciei, sed non convenit omni individuo, sicut esse Philosophum convenit soli homini, sed non omni homini; secundò accipitur proprium pro eo quod convenit omni homini, sed non soli homini. 3tiò accipitur proprium pro eo quod convenit omni & soli, sed non semper, ut canescere convenit omni & soli homini, sed non semper, sed solùm in senectute, canes autem potiùs dicuntur crisescere quàm canescere. Quarto accipitur proprium pro eo, quod convenit omni soli, & semper, ut v. g. risibilitas convenit omni & soli homini & semper.

CONCLVSIO.

Proprium quarto modo acceptum constituit hoc quartum prædicabile, aliæ autem tres acceptiones proprij solùm pertinent hùc reductivè.

PRobatur. illud proprium constituit hoc quartum prædicabile, quod dimanat ex principijs essentialibus, & habet necessariam connexionem cum illis, sed tantùm proprium quarto modo acceptum dimanat â principijs essentialibus, ergo proprium quarto modo, &c. Maj. prob. quia per hoc distinguitur proprium â genere specie & differentia & accidente, quod nimirùm dimanet â principijs necessarijs & intrinsecis. minor autem probatur: quod habet necessariam connexionem cum principijs intrinsecis, debet reperiri in omnibus & solis illis & semper, in quibus

reperiuntur talia principia essentialia. sed hoc tantùm convenit proprio quarto modo, nam esse philosophum non convenit omni, esse bipedem non convenit soli, canescere autem non convenit semper, risibile autem convenit omni soli & semper, ergo.

CONCLVSIO II.

Proprium dicitur universale in ordine ad inferiora speciei, cui convenit, v. g. risibile dicitur universale in ordine ad Petrum Paulum, &c.

PRobatur breviter; in ordine ad illa dicitur proprium universale, ad quæ comparatur tanquam aliquid superius, ad inferiora in quale essentialiter, sed proprium solùm respicit tanquam superius inferiora speciei in quale essentialiter, ergo per ordinem ad illa erit universale.

Arguitur primò, contra primam. Proprium quarto modo potest separari à subjecto, ergo non convenit ei semper. antecedens prob: quia possum concipere hominem sine risibilitate, sed risibilitas est proprium quarto modo ergo.

Resp: distinguendo maj: possum hominem per primam mentis operationem concipere sine risibitate, conc: maj: possum hominem per secundam mentis operationem concipere sine risibilitate, negatur major, & concessâ minori, negatur consequentia.

Contra Ex hac solutione sequitur, quod quartum & quintum prædicabile se habeant eodem modo, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. sequela probatur, quia etiam accidens inseparabile, verbi gratia, nigredo in corvo potest separari à subjecto per primam mentis operationem, ergo.

Resp: negando sequelam. ad probationem dicitur, quod accidens inseparabile, non solùm per primam, sed etiam per secundam mentis operationem separari possit, dicendo corvus non est niger, id est nigredo non dimanat ab essentiâ corvi, quod verissimum est. At verò non possum dicere, homo non est risibilis, id est risibilitas non dimanat ab essentia hominis. Quod si autem Deus de potentia

tiâ suâ absolutâ separaret risibilitatem ab homine sicut separavit virtutem combustivam ab igne in fornace Babylonis, quoad tres pueros ibi inclusos, tunc homo quidem non diceretur formaliter risibilis, diceretur tamen radicaliter risibilis, quia risibilitas, nisi à Deo supernaturaliter impediatur, semper dimanat ab essentia hominis tanquam à radice.

Arguitur secundò. Aliæ tres acceptiones proprij habent specialem modum prædicandi, ergo pertinent ad hoc prædicabile.

Resp: distinguendo conseq: ergo pertinent ad hoc prædicabile reductivè & secundum quid conc: conseq:, pertinent huc directe & simpliciter negatur consequentia. & ratio hujus est, quia non dimanant à Principijs essentialibus.

Arguitur tertio. Proprium comparatur ad sua propria interiora tanquam superius ad multa, v. g. risibile potest comparari ad hoc & istud & illud risibile, ergo per ordinem ad hæc sua inferiora, non autem per ordinem ad inferiora speciei erit universale seu quartum prædicabile.

Resp: distinguendo antecedens. comparatur ad sua propria inferiora tanquam proprium & superius ad multa in quale, negatur antecedens, tanquam essentia & ut superius ad multa in quid, conceditur antecedens & neg: consequentia. Dico ergo, quod risibile v.g. aut hinnibile prædicentur de hoc & illo risibili aut hinnibili, tanquàm essentiæ per se primo, non autem prædicantur de illis tanquàm aliquod proprium. At verò de hoc & illo homine, prædicatur risibile tanquam proprium, id est tanquam aliquid dimanans à principijs essentialibus, & ideo respectu horum risibile prædicatur in quale essentiale.

Dices: etiam accidens prædicatur in quale, ergo propriũ & accidens habeat eundem modũ prædicandi, quod non debet admitti

Resp: distinguendo antecedens. etiam accidens prædicatur in quale essentiale dimanans à principijs intrinsecis, negatur antecedens; prædicatur in quale accidentale non dimanans à principijs intrinsecis, & essentialibus conceditur antecedens, & negatur consequentia.

QUÆSTIO VIII.

De accidente seu quinto prædicabili.

ARTICVLVS VNICVS.

Quidnam sit accidens, & per ordinem ad quid sit universale?

NOtandum hìc, quòd accidens sit duplex, vnum inseparabile, sicut est nigredo in corvo, & albedo in nive. Aliud est accidens separabile, sint v. g. sessio vel statio vel pulchritudo potest tolli ab homine. Accipitur autem accidens hic non solùm pro illo, quod est entis ens, & opponitur substantiæ, sed accipitur potiùs pro omni eo, quod non est essentia nec dimanans ab essentia rei. Et hoc modo accidens ut prædicabile logicum opponitur omni illi, quod est prædicatum necessarium vel essentiale.

CONCLVSIO. I.

Accidens bene definitur, quòd sit id, quod potest adesse vel abesse sine subjecti corruptione, quæ tamen definitio intelligenda est de præsentiâ & absentiâ non reali, sed solùm per intellectum.

PRobatur prima pars. Quia hæc definitio explicat naturam definiti illudq; ab alijs distinguit, nam omnia alia prædicabilia vel dicunt aliquod prædicatum essentiale rei, de quâ prædicantur, vel ad minùs dicunt proprietatem necessariò consecutam. ergo definitio est bona.

Probatur secunda pars. Nam dicta definitio debet omni accidenti ad hoc prædicabile spectanti convenire, sed non conveniret omni accidenti huc spectanti, si sumeretur pro reali præsentiâ vel absentiâ, ergo solùm debet intelligi de absentiâ vel præsentia per intellectum. Probatur minor, quia non conveniret accidenti inseparabili, quod nullo modo potest realiter abesse, sed tantùm per intellectum ergo.

CON-

CONCLVSIO II.

Accidens constituitur in ratione universalis, per ordinem ad subjecta quæ accidentaliter denominat, & non in ordine ad propria inferiora, quibus potest essentialiter inesse.

PRobatur. De ratione hujus quinti prædicabilis est posse adesse vel abesse, ergo constituitur in ratione universalis per ordinem ad ea quibus adesse vel abesse potest, sed hoc non habet accidens respectu propriorum inferiorum, quibus convenit essentialiter, benè autem per ordinem ad subjecta, quæ accidentaliter denominat, ergo respectu talium subjectorum erit universale, non autem respectu propriorum inferiorum. major probatur. nam albedo, huic vel illi albedini convenit essentialiter, imò de illis essentialiter prædicatur, potest tamen albedo separari â Petro v. g. pariete, chartâ, &c. quæ accidentaliter denominat, ergo.

Arguitur primò contra primam conclusionem. Existentia est accidens, & tamen non adest vel abest sine subjecti corruptione, ergo malè definitur accidens quod sit id, &c.

Resp. quod existentia possit adesse vel abesse per intellectum, quia potest affirmari & negari de subjecto salvâ rei essentiâ, sive enim dicatur homo existit, sive non existit, semper est verum dicere, homo est animal rationale, *Vnde non existentia realis, tollit hominem in exercitio, non autem tollit conceptibiltatem ipsius hominis*

Arguitur secundò. Mors est accidens, & tamen corrumpit subjectum vivens quò ad esse substantiale ergo adhuc definitio est mala.

Resp. aliqui primò hanc prædicationem *homo est mortuus* non esse propriè hujus quinti prædicabilis quia ad hoc ut aliquid sit prædicatum propriè alicujus prædicabilis, debet esse conveniens subjecto, mors autem non est prædicatum conveniens, sed destruens.

Resp. secundò: quòd mors in fieri, non autem in facto esse sit prædicatum hujus quinti prædicabilis, sive enim dicatur *homo moritur, sive homo non moritur*, semper salvatur essentia hominis.

Resp. tertiò. Hoc prædicatum *homo est mortuus*, pertinere ad hoc quintum prædicabile respectu corporis, quia mors adest vel abest præter corporis corruptionem, intellige quoad materiam.

QUÆSTIO IX.

De anteprædicamentis, atq; de libro Categoriarum.

CAtegoria (quæ idem est ac enunciatio aut prædicatio) est quædam series prædicabilium, in quâ superiora de inferioribus prædicantur. Tria autem in hoc libro tractantur, primò de anteprædicamentis. id est, de vnivocis, æquivocis, & denominativis. Secundò de prædicamentis,& & tertiò de postprædicamentis, seu de illis quæ consequuntur ad prædicamenta.

Æquivoca sunt, quorum nomen commune est, ratio autem per nomen importata omnino diversa, ut canis respectu canis terrestris, cælestis & marini.

Univoca autem dicuntur, quorum nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accomodata omnino eadem, ut animal univocè dicitur de homine & equo, quia tam benè homo quàm equus, sunt vivens sensibile.

Denominativa denique dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, & solùm differunt casu, seu in terminatione ultimæ syllabæ, ut verbi gratiâ grammatica, grammaticus.

Porrò, quia Aristoteles de analogis non est hic expresè locutus, sed ea intermiscuit sub æquivocis, hinc pauca solùm de analogiâ dicam,

ARTICVLVS I.

In quo explicatur, quid & quotnplex sit analogia, quæq; Conditiones sint utriusque analogiæ?

QUæres primò: quid sint analoga?

Respondetur: quòd analoga sint illa, quorum nomen est commune, ratio autem substantiæ secundùm illud nomen, partim est eadem & partim est diversa. Quæ-

Quæres secundò, quotuplex sit analogia?

Respondetur: quòd analogia sit duplex. Nimirùm analogia attributionis, & proportionalitatis.

Analoga attributionis sunt illa, quorum nomen est commune ratio autem substantiæ secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum & diversa secundùm habitudinem ad illum: ut sanum est nomen commune respectu animalis, urinæ & medicinæ, in quibus est eadem ratio secundùm terminum respectû omnium, id est sanitas; habitudo tamen ad illum terminum, id est ad sanitatem, est diversa: nam animal respicit sanitatem ut subjectum, urina ut signum, medicina ut causa.

Analoga autem proportionalitatis sunt illa, quorum nomen est commune, ratio autem substantiæ secundùm illud nomen, est similis secundùm proportionem, ut v. g. videre corporalii visione & videre intellectualiter, communi nomine vocantur videre, quia sicut visio corporalis rem corpori animato ostendit, ita intellectio rem animæ repræsentar, & ita sicut se habet visio ad potentiam visivam corpoream, ita se habet intellectio seu visio intellectualis ad intellectum.

Quæres tertiò. Quænam sint conditiones analogiæ attributionis?

Resp. Quòd sint tres. Prima est, ut ratio significata per nomen analogum tantùm sit intrinsecè & formaliter in primo & principali analogato, in alijs autem per extrinsecam denominationem, ut verbi gratiâ sanum intrinsecè per terminum respectum id est per sanitatem, est in animali, in medicina autem & in urinâ solùm est extrinsecè, ut patet.

Secunda conditio est, ut ratio significatâ per nomen analogum attributionis sit una non solùm ratione, sed etiam numero saltem negativè, id est, quòd non multiplicetur realiter in analogatis, sicuti multiplicatur ratio significata per nomen univocum.

Tertia conditio est quòd primum seu præcipuum analogatorum ponatur in definitione cæterorum. Nam si velis definire medicinam in quantum est sana, oportebit dicere hoc modo,

medicina

medicina est causa sanitatis animalis, & urina est signum sanitatis animalis: ubi vides quod animal tanquam præcipuum & principale analogatum ponatur in definitione cæterorum. Et ex hac conditione dimanavit illud axioma dialecticum, analogum absolutè prolatum stat pro famosiori significato, ut v. g. si absolutè proferas, hoc nomen sanum, quod est nomen analogum, tunc per ly *sanum* intelligitur animal, quod est *famosius* id est *principalius significatum per ly sanum*.

Quæres ultimò: Quænam sint conditiones analogiæ proportionalitatis?

Resp. quòd sint etiam tres. prima est, quod res significata intrinsecè & secundùm quandum proportionem inveniatur in omnibus analogatis, ut v.g. *ly videre*, quòd est analogum proportionis respectu visionis corporeæ & intellectualis, intrinseeè non solùm reperitur in oculo corporeo, sed etiam inintellectu, quia visio est intrinsecè in intellectu per intellectionem, & in oculo corporeo est intrinsecè per visionem.

Secunda conditio est; quòd ratio significata per nomen analogum non sit una numero, sed habeat tot rationes diversas, quot sunt membra dividentia nomen analogum, ut patet in exemplo adducto.

Tertia conditio est: quòd neutrum analogatorum definiatur per ordinem ad alterum. Pes enim montis v. g. vel sedis, non definitur per pedem animalis, vel è contra.

ARTICVLVS II.

Vtrum ens sit univocum vel æquivocum vel analogum

Vtrum ens sit univocum vel æquivocum vel analogum

respectu suorum inferiorum?

NOtandum hìc quod ens primò dividatur in ens reale & rationis, secundò dividitur ens reale, in Deum, & creaturas. tertiò ens creatum dividitur in substantiam & accidens, his præmissis sit.

CON-

CONCLVSIO I.

Ens respectu entis realis & rationis, Dei & creaturarum, substantiæ & accidentis nec est purè univocum nec purè æquivocum.

PRobatur prima Pars. Vnivoca sunt, quorum nomen commune est, ratio autem per nomen importata omninò eadem sed ens reale & ens rationis, Deus & creatura, substantia & accidens, non habent rationem omninò eandem, ergo ens respectu illorum non est univocum. Prob. min. nam ens reale vel habet esse reale, extra intellectum, vel est in intellectu subjectivè, & realiter, ens autem rationis non habet esse extra intellectum, sed solùm habet esse objectivè & intra intellectum: deinde Deus est ens per se continens omnem plenitudinē perfectionis, creatura autem est ens dependens & per participationem non continens omnem perfectionem, tandem etiam substantia subsistit per se, accidens autem est solùm ens in alio, & subsistit in alio tanquam in subjecto, ergo ens reale & rationis, Deus & creatura &c.

Prob. 2. Pars, æquivoca sunt, quorum nomen nomen commune est, ratio autem significata per nomen est omninò diversa, sed ens reale & rationis, Deus & creatura, substantia & accidens non habent rationem omninò diversam, ergo ens respectu illorum non est purè æquivocum. Prob. min. quia ens in omnibus istis intrinsecè reperitur secundùm quandam proportionem, ut in conclusione sequenti dicetur. ergo.

CONCLVSIO II.

Ens est analogum proportionis respectu entis realis & rationis, Dei & creaturæ, substantiæ & accidentis.

PRobatur quia sicut ens reale, Deus & substantia se habent ad suum esse, ita ut ratio entis ipsis conveniat intrinsecè, sic etiam ens rationis, ens creatum & accidens proportionabi-

liter se habent ad suum esse; sed quæ habent talem proportionem inter se, sunt analoga proportionalitatis, ergo ens respectu suorum inferorum, &c.

Dici etiam potest, ens esse analogum respectu suorum inferiorum analogia attributionis. Et ratio hujus est; quia ens rationis tam in sui cognitione quàm in sui formatione dependet ab ente reali, & ad instar seu similitudinem entis realis cognoscitur; ens item creatum dependet in suo esse à Deo, qui est ens per essentiam: & accidens tanquam entis ens dependet in suo esse â substantia. Et præterea etiam Deus in definitione creaturarum substantia in definitione accidentis, & ens reale in definitione entis rationis possunt poni, ergo ens potest dici analogum attributionis respectu Dei & creaturarum, &c.

Arguitur primò, contra primã. ens significat immediatè substantiam & accidens, Deum & creaturas, ens reale & rationis, ergo respectu illorum est æquivocum. Probatur consequentia, quia ideo canis est æquivocum respectu canis terrestris, cælestis & marini, quia immediatè illos significat, ergo si ens immediatè significet substantiam, &c. etiam respectu illorum erit æquivocum.

Resp. dist. ant: ens immediatè significat substantiam & accidens, &c. absque ulla convenientia proportionis neg. ant. cum tali convenientia conced. ant. & neg. conseq. ad prob. dicitur hoc nomen canis esse purè æquivocum ad canem cælestem & marinum, quia canis marinus & cælestis, prout significantur hoc nomine canis, nullam habent convenientiam proportionis.

Arguitur secundo, plus differunt ens reale & rationis, substantia & accidens, quàm canis latrabilis, cælestis, & marinus sed nomen canis respectu horum est æquivocum, ergo etiam ens respectu illorum, Major patet. Quia canis cælestis & latrabilis ponuntur in eodem prædicamento, non autem substantia & accidens, Deus & creatura, &c. ergo.

Resp. dist. Majorẽ Plus differunt, quàm canis latrabilis & marinus, secundum se conced. Maj. secundùm quod significantur hoc nomine entis & canis neg. Maj. & concessa min. negatur consequen-

sequentia. nomen enim canis significat marinum & latrabilem absque consideratione alicujus convenientiæ, ideoque est purè æquivocum, nomen autem entis significat substantiam & accidens, &c. ex consideratione alicujus proportionis, adeoque est analogum respectu suorum inferiorum.

Arguitur tertiò, quando ens prædicatur de substantia & accidente, tunc non prædicatur ut aliquid diversum, ergo prædicatur ut aliquid unum, ergo ut aliquid univocum.

Resp. dist. ant. non prædicatur ut aliquid simpliciter diversum conced. ant. non prædicatur ut aliquid secundùm quid diversum, neg. ant. ergo prædicatur ut aliquid simpliciter unum negat. conseq ut aliquid secundùm quid unum conced. conseq.

Arguitur ultimò. Illa sunt univoca quorum nomen commune est, ratio autem per nomen importata est eadem: sed ens prædicatur de substantia & accidente, Deo & creaturis, &c. eodem nomine & eadem ratione: nomine quidem, quia tam substantia quàm accidens, Deus & creatura dicuntur entia; ratione autem seu res per nomen importata, quia esse, quod est ratio entis seu res significata per nomen ens, in omnibus illis reperitur, ergo ens prædicatur univocè de substantia & accidente, Deo & creaturis, entereali & rationis.

Respond. Majorem esse veram, si natura illa vel ratio fuerit æqualiter participata à suis inferioribus, ut patet in animali, quod ideo est univocum ad hominem & equum cæteraque bruta, quia æqualiter natura animalis participatur ab omnibus inferioribus, sine dependentia unius ab altero. At verò natura entis nequit esse univoca, quia non æqualiter participatur ab inferioribus, nam tam accidens respectu substantiæ, quàm creaturæ respectu Dei inæqualiter participant naturam entis, & non nisi dependenter ab ipsis ut paulò ante dictum est pro quo.

Nota, quod licèt inæqualitas, quæ oritur ex differentijs *actu non inclusis in naturâ participatâ*, non obstet univocationi, inæqualitas tamen quæ oritur ex differentijs *actu inclusis in naturâ participatâ* obstat univocationi. Unde quia rationale & irrationale sunt differentiæ

solùm in potentia inclusæ in animali, hinc homo & brutum participant naturam animalis univocè: quia autem esse *per se*, & *in alio* sunt differentiæ, vel potiùs modi *actu* inclusi *in ente*, hinc inæqualitas orta ex istis modis *actu in ente inclusis*, obstat, quò minùs ens sit univocum.

ARTICVLVS. III.

Utrum ens habeat conceptum simpliciter præcisum ab inferioribus suis?

SEnsus tituli est. An ens perfectè possit concipi & intelligi secundùm rationem aliquam communem, non intellectis inferioribus, sicut possumus perfectè intelligere animal secundùm aliquam rationem communem, absque hoc quod intelligatur homo & brutum?

CONCLVSIO.

Ens non habet conceptum aliquem simpliciter præcisum à suis inferioribus. Ita Aristoteles 8. Metap. tex. 16.

SEnsus conclusionis est. Quòd ens non significet immediatè gradum aliquem vel perfectionem distinctam, ab inferioribus & abstractam eisque communem, sed significat immediatè substantiam & accidens & omnia alia inferiora secundùm proprias ipsorum rationes, quatenus dicunt unitatem proportionalem in esse entis.

Prob. Conclusio. Nullum transcendens potest dicere conceptum aliquem objectivum communem & simpliciter præcisum ab inferioribus: sed ens est transcendens, ergo ens non habet, &c. Maj. prob. omnis gradus verè communis & præcisus, est potentialis & determinabilis per alios; ut patet in animalitate, quæ contrahitur per inferiores gradus, nimirum rationalitatem & irrationalitatem; sed nullum transcendens potest dicere talem gradum potentialem & determinabilem per alios. Ergo. min. prob.

omnis

omnis gradus potentialis ac verè communis & determinabilis debet excludere ea, per quæ determinatur, & debet esse aliud ab illis; sed id quod est transcendens non excludit ea quibus determinabile est, sed potiùs in illis includitur, cum in ultimis suis differentijs includatur, ita ut nil reale in illis reperiatur, de quo ens non prædicatur ergo nullum transcendens potest dicere gradum potentialem & determinabilem per alios.

Confirmatur, ideo animal v. g. significat naturam aliquam communem præcisam ab homine brutis, quia non est actu inclusum in ultimâ differentiâ substantiæ & accidentis, ergo econtra ens non potest habere conceptum simpliciter præcisum à suis inferioribus, quia est actu iucluſum in illis. Min. Prob. quia differentiæ substantiæ & accidentis, sunt *esse per se* & *esse in alio*, sed ens actu includitur in modo essendi *per se* & *in modo essendi in alio* ergo. Prob. min. quia tam modus essendi *per se* quàm modus essendi *in alio*, necessariò est ens. ergo

Arg. primo, habere aliquid, conceptum præcisum simpliciter, nil est aliud, quàm intelligere unum non intellecto altero, sed potest ens perfectè intelligi non intellectis inferioribus, ergo ens habet conceptum simpliciter præcisum. Prob. min. quævis res potest perfectè intelligi sine his, quæ non sunt intrinseca & essentialia ipsi, sed inferiora entis non sunt ipsi intrinseca & essentialia ergo. Prob. m. nam si accidens v. g. esset de essentia entis, tunc etiã esset de essentia substantiæ participantis ens, sed consequens est falsum ergo & ant. seq. prob. quidquid est de essentia superioris, hoc etiã est de essentia inferioris. ergo, si accidens sit de essentix entis &c.

Resp. dist. min. ens potest intelligi non intellectis inferioribus sub expresso conceptu illorum, transeat min. sub communi ratione entis, & secundùm quandam proportionẽm neg. min. & conseq. ad prob. etiam dist. min. sed inferiora entis non sunt ipsi intrinseca ut modi intrinseci & determinationes neg. min. ut prædicata essentialia conced. min. & neg. conseq. pro quo

Nota, dupliciter posse aliquid esse de ratione alterius, imo modo ut prædicatum essentiale, alio modo ut intrinseca determi-

natio. modi ergo entis non ingrediuntur essentiam & conceptum entis ut prædicata essentialia, sed ut determinationes rationis formalis illius. Quod sufficit ad hoc, ut ens non possit perfectè concipi sine illis; Et hoc patet in relationibus divinis, quæ quidem sunt de ratione essentiali conceptuq; essentiæ divinæ, non ut prædicata essentialia, sed ut modi & determinationes illius, sine quibus tamen Deus non potest perfectè & adæquatè intelligi; ita etiam dicendum est de essentia entis, de cujus essentia ut prædicatum essentiale est, *habere esse*, habere autem *esse per se* vel *in alio*, convenit enti solùm ut determinatio quædam, sine quibus perfectè & adæquatè non potest intelligi.

Dices. Licèt animal includatur in homine tanquam prædicatum essentiale, potest tamen animal concipi perfectè sine homine, ergo similiter, licèt ens includatur in inferioribus tanquam aliquid essentiale, poterit tamen perfectè concipi sine illis.

Resp. neg. conseq. disparitas est, quia animal ita essentialiter includitur in homine, ut dicat gradum seperabilem à gradu rationalitatis, vnde licèt animal inciudatur in homine quatenus homo est animal, non tamen includitur animal in differentiâ hominis scilicet in rationalitate, ac proinde animal perfectè potest intelligi sine homine, quia homo præter animal etiam dicit rationalitatem, quæ est extranea rationi seu quidditati animalis: at verò ens ita est de essentia suarum differentiarum, & modorum, ut non sit aliquid extraneum ipsis, sed aliquid intrinsecè imbibitum in illis; & ideo differentiæ, inferiores entis, cum nil includant quod non sit ens, non possunt concipi sine ente, nec ens sine ipsis.

Arg: 2do. potest aliquis esse certus, quòd aliquid sit ens, & tamen dubitare utrum sit substantia vel accidens, sed in tali casu ens habebit conceptum præcisum ab inferioribus, ergo ens habet conceptum simpliciter præcisum ab inferioribus.

Resp. dis. mi. sed in tali casu habebit ens conceptum simpliciter præcisum ab inferioribus neg. mi. secundùm quid tantùm præcisum sicut dum auditur hæc vox *ens* conced. min. itaque quando concipio ens, concipio omne id quod essentialiter est ens, ac proinde

inde cùm tam accidens, quàm substantia essentialiter sint ens, hinc implicitè & in confuso actu concipio substantiam & accidens, licèt neutrum distinctè repræsentetur.

Dices. si ens implicitè actu includat substantiam & accidens seu modum essendi *per se* & *in alio*, sequeretur quod ista propositio sit falsa, substantia est ens, sed consequens est falsum, ergo & ant. prob: seq. tunc propositio est falsa, quando prædicatum aliquid includit repugnans subjecto, sed ens includeret aliquid subjecto repugnans ergo mi. prob. quia ens includit etiam accidens seu modum essendi *in alio*, qui modus essendi *in alio*, repugnat substantiæ, ergo.

Resp. neg. seq. ad prob. dist. mi. quando prædicatum includit aliquid repugnans subjecto, illud de subjecto enunciando & prædicando, tunc propositio est falsa, conced. mi. si includat illud solùm materialiter vel in significando, neg. mi. & sic dist. mi. neg. conseq. Ens autem solùm includit modos essendi *per se* & *in alio*, in repræsentando & significando, non autè includit ea in enunciando & prædicando, cum non contineat ea tanquã prædicata essentialia & explicitè, sed solùm ut determinationes & implicitè, pro quo.

Notandum. quòd quando dicitur *substantia est ens*, tunc licet prædicatum scilicet *ens* dicat implicitè omnia sua analogata, id tamen, quod prædicat ens de substantia, non sunt omnia illa, quæ ens materialiter & implicitè includit, sed solùm est ratio illa explicita entis, nimirum aptum esse existere, in quo omnia analogata entis proportionabiliter conveniunt, & confunduntur, ita ut ad substantiam solùm descendat ratio explicita entis, non autem ratio explicita accidentis.

Resp. 2do. quod *ens tanquam prædicatum* se se accomodet capacitati subjecti, unde si subjectum petat, ut ens solùm prædicet modũ essendi substantiæ, tunc solùm prædicat modum essendi substantiæ, si autem subjectum petat, ut ens tantùm prædicet modum essendi accidentis, tunc etiam tantùm prædicabit modum essendi accidentis; sicut sol se se accomodat materiæ in quam diffundit suum calorem, nam si materia sit apta indurationis, tunc illam indurat, sicut dum sol indurat lutum, si autem materia sit capax liquefactionis

tunc

tunc eam liquefacit & non indurat, ut quando sol liquefacit ceram.

Arg. ultimò. Non potest dari vnus conceptus entis repræsentans plura ut plura, sic enim æquivocatio daretur in mente, ergo debet dari unus conceptus entis præcisus à suis inferioribus.

Resp. Non posse dari unum conceptum repræsentantem plura secundùm proprias rationes, quas formaliter explicant, benè tamen potest dari conceptus unus repræsentans plura secundùm quandam proportionalem convenientiam & habitudinem unius ad alterum.

QUÆSTIO X.

De numero prædicamentorum & conditionibus requisitis ad hoc, ut aliquid ponatur in prædicamento,

ARTICULUS UNICUS.

Quid, & quotuplex sit Prædicamentum?

NOtandum. quòd prædicamentum variè sumatur â Logcis, aliquando enim significat idem, quod prædicatum; aliquando sumitur pro genere generalissimo cuiuscunque prædicamenti. Tertio sumitur pro aggregato quodam ex genere generalissimo, generibus intermedijs, specie infima, & individuis. Hic ergo sumitur prædicamentum pro omnibus quæ in recta linea prædicamentali collocantur, non autem pro sumo genere tantùm v. g. pro substantia, quantitate &c. hoc prænotato sit.

CONCLUSIO. I.

Prædicamentum in tertia acceptione benè definitur, quod sit quidditativa coordinatio prædicabilium & subijcibilium, in qua superiora de inferioribus essentialiter prædicantur à summo genere usque ad individua inclusivè.

PRob. Cum enim prædicamentum ordinetur ad sciendum, scientiæ autem medijs præmissis & propositionibus habeantur, ideo ex se prædicamentalis series ordinatur ad hoc, ut sciamus

sciamus veras de rebus propositiones formare & falsas evitare: ut autem omnium rerum numerum habeamus ad formandas propositiones, hinc prædicamenta vocãtur series vèl coordinatio prædicabilium, id est quasi sedes omnium rerum, ad quas ferè omnes res mundi reducuntur & collocantur, ex quibus eas adducere possumus ad rerum scientias comparandas.

Pro formali autem prædicamentum est relatio rationis, cum præcisè dependeat à nostro intellectu ordinante ista prædicabilia inter se per modum superiorum & inferiorum, quod magis inde patet, quia etiam ipsa prædicabilia formaliter à parte rei non reperiuntur. Pro materiali autem dicunt prædicamenta ipsas naturas collocabiles in linea prædicamentali.

Additur autem in linea prædicamentali, quod debeant superiora de inferioribus quidditativè prædicari; ad excludendas propositiones accidentales, in quibus prædicatum non est de essentia subjecti, quia in serie prædicamentali sola genera & species, quæ quidditativè prædicantur, collocantur.

CONCLUSIO II.

Decem sunt tantum prædicamenta, nimirum substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs, & habitus, ita ut non sint plura nec pauciora.

PRobatur. Omne ens collocabile in aliquo prædicamento vel *per se* subsistit, vel *in alio*, si primum erit substantia, si autem subsistat *in alio* tanquam in subjecto, tunc vel est in illo absolutè, ut consequens materiam, & sic est quantitas, vel est in illo, ut consequens formam, & sic est qualitas; vel est accidens respectivum & sic est relatio, & hoc adhuc diversimodè contingit, nam vel activum respicit passivum vel econtra, & tunc constituuntur prædicamenta actionis & passionis, vel respicit aliud tanquam mensurans ipsum secundùm tempus & sic erit, quando, vel per modum loci, & erit ubi, vel respicit mensurans corpus secundùm ordinem partium, & sic est situs, si autem id quod respicit non dicat ratio-

nem mensuræ sed tantùm ornamentum erit habitus. sed nullus alius modus essendi in prima substantia aut prædicandi de ea videtur posse excogitari. ergo.

Porro ut numerus horum 10. prædicamentorum facilius capiatur notandi sunt sequentes versus

In campo magno pugnabat fortiter olim
Filius Ernesti, stans & calefactus in armis.

In quibus singula verba certum prædicamentum significant & denotant, nam ly *Ernesti*, denotat substantiam; *magno*, quantitatem; *fortiter* qualitatem, *filius*, relationem; *pugnabat* actionem; *calefactus*, passionem, *olim* quando, *stans* situm, *in campo* ubi, *in armis* habitū.

Arg. 1. contra primam. Individua ponuntur in recta linea prædicamentali & tamen eis non convenit definitio prædicamenti, ergo definitio prædicamenti est mala. mi. prob. prædicamentum est prædicabilium ordinatio, sed individua non sunt prædicabilia. ergo.

Resp. quod licèt individua non sint prædicabilia, sunt tamen subjectum prædicabilium omnium & hoc sufficit ut in prædicamento collocentur. vel Resp. 2. Dist. Ma: individua ponuntur terminativè in prædicamento per modum terminorum prædicabilium conced: secundum se & ratione sui neg. major. nam individua solùm ponuntur in prædicamento, quia sunt subjectū speciei infimæ.

Arg: 2. contra 2. tot sunt prædicamenta quot sunt prædicabilia, sed hæc sunt quinq; ergo & prædicamenta.

Resp: neg: Maj: quia numerus prædicabilium debet peti ex numero inferiorum, de quibus universalia prædicantur, & quia sunt tantum quinq; genera inferiorum, de quibus universalia prædicantur, ideo sunt tantùm etiam quinq; universalia; numerus autem prædicamentorum sumitur ex diverso modo prædicandi de prima substantia, & quia decem sunt modi, quibus aliquid potest prædicari de prima substantia, ideo etiam sunt decem prædicamenta.

Quæres, quot requirantur conditiones ad hoc, ut aliquid directè ponatur in prædicamento? ante responsionem,

Nota

Nota. Quod illa dicantur directè & per se poni in prædicamento, quæ habent omnes conditiones requisitas, ad hoc ut in recta linea sub supremo genere ponantur: Illa autem ponuntur indirectè & reductivè, quæ non habent omnes conditiones requisitas, sed solùm sunt affectio vel modus de quibus supremum genus non prædicatur, pertinent tamen vel tanquàm pars vel aliquo alio modo ad ea, de quibus enunciantur, hoc præmisso.

Resp: quinq; conditiones requiri ad hoc, ut aliquid directè ponatur in prædicamento. Prima conditio est, ut sit ens per se, & ratione hujus excluditur ens per accidens, quod non importat unam naturam, sed plures, & consequenter nec importat unum genus & differentiam sed plures, ideoque non ratione sui, sed potius ratione diversarum naturarum, in diversis prædicamentis collocatur.

Secunda conditio est, quod sit ens completum. vocatur autem hîc ens completum illud, quod significatur ut totum constitutum, & per modum *quid*, licet existentiam actu non habeat: & hoc modo accidentia etiam in suo genere sunt entia completa, licèt comparativè ad substantiam reputentur & sint entia incompleta, id est non per se subsistantia. & ratio hujus conditionis est, quia in recta linea prædicamentali ponuntur inferiora, quæ constituuntur ex suo superiori & differentia contrahente, & sic sunt aliquid completum.

Porro ob hanc conditionem excluditur primò differentia, quæ non significat ut *totum* & *ut quid*, sed ut pars & forma. 2. excluduntur partes physicæ ut materia & forma, quæ non nisi reductivè possunt huc spectare, adeoque reducuntur ad sua tota, quorum sunt partes, materia prima quidem ad prædicamentum substantiæ, formæ verò ad ea, in quibus eorum tota inveniuntur. Et eodem modo dicendum est de existentia. Privationes autem & negationes ad illud prædicamentum reducuntur, in quo reperitur forma, qua negant vel qua privant. similiter entia quædam incompleta, quæ sunt in via & tendentia ad perfectiorem terminum, ut embrio respectu animalis. Et ratio hujus est, quia tales imperfe-

ctæ naturæ quatenus sunt in statu imperfecto, & in via ad suas perfectiones, reputantur tanquam partes non quidem in componendo, sed in tendendo ad perfectionem.

Tertia conditio requirit, quòd sit finitum id, quod ponitur in prædicamento, ad excludendum infinitum simpliciter, uti est Deus, non autem excludendo id, quod tantùm est infinitum iu aliquo genere, hoc enim nihilominus potest esse finitum secundum essentiam, & componi ex actu & potentia. & consequenter cum infinitum simpliciter tale, nec generis nec speciei intentionem subire possit, ideo meritò â prædicamentis excluditur.

Quarta conditio est, ut ens prædicamentale sit incomplexum & per hanc conditionem excluduntur tam complexa accidentalia, quàm substantialia, ut sunt definitiones v. g. anima rationalis, & hujus ratio est, nam aliàs quævis natura bis poneretur in prædicamento, semel per se ut est species seu quoddam totum, secnndò autem ratione suarum partium, quæ exqlicantur per complexum.

Quinta & ultima conditio est, quod sint univoca, quæ directè ponuntur in prædicamento. Et ratio hujus est: quia æquivoca significant plures naturas, & sic non dicunt aliquod unum ponibile in prædicamento. Excluduntur etiam analoga, quæ non habent rationem omninò unam & eandem contrahibilem, sicut genus est contrahibile. cum ergo omnia quæ ponuntur in prædicamento vel debeant esse genera, species vel individua, analoga autem nec sint genera, nec species, nec individua, hinc non poterunt collocari inter prædicamenta.

QUÆSTIO XI.

De Prædicamento substantiæ

ARTICVLVS I.

Quænam sit ratio formalis constitutiva prædicamenti substantiæ?

NOtandum. quod primum quod reperitur in substantia, sit id, quod actu vel saltem aptitudine existit *per se*, non quidem

dem pro ut ly *per se* idem significat ac *â se* (sic enim solus DEUS subsistit *per se* id est *â se*) sed *per se* id est independenter ab alio tanquam à subjecto sustentante.

Dicitur autem substantia hoc modo subsistere *per se*, ad differentiam accidentium quæ existunt *in alio* tanquam in subjecto sustentante. Porro ex eo, quod substantia subsistat *per se*, oriuntur duo, nimirum quod substantia dicat negationem existendi *in alio* tanquam in subjecto inhæsionis, & secundò, quod substantia substet seu sustentet accidentia. quæritur ergo quidnam ex his formaliter constituat substantiam.

CONCLUSIO I.

Ratio formalis constitutiva prædicamenti substantiæ non est mera negatio existendi in alio, neq; substare accidentibus.

PRobatur 1. Pars. nullum ens reale positivum potest constitui in sua essentia per solam negationem, nam aliàs sicut constitutivum est sola negatio, sic etiam ipsum constitutum esset sola negatio seu aliquid negativum, cum quævis res constituatur in suo esse per suam rationem formalem constitutivam: sed prædicamentum substantiæ est verum ens reale positivum, ergo illius ratio formalis constitutiva non est quid negativum.

Prob. 2. Pars & 1. Pars simul. Ratio formalis constitutiva rei debet omnium primò illi convenire, sed nec illa negatio nec substare accidentibus primò convenit substantiæ, ergo nec negatio existendi in alio, nec substare accidentibus est ratio constitutiva substantiæ. Prob: min: quia ideo substantia dicit negationem existendi in alio, quia existit per se, & ideo substantia sustentat accidentia, quia existit per se, non autem econtra ideo subsistit *per se*, quia sustentat accidentia. ergo.

Confirmatur prius est quod aliqua lux luceat in se ipsa, quàm quod illuminet alia â se, ergo similiter prius est, quod substantia existat *per se*, antequam sustentet accidentia.

CONCLVSIO II.

Ratio formalis constitutiva prædicamenti substantiæ est existere per se, non actu sed aptitudine, ita S. Thom. in Quarto dist. 12. q. 1. a. 1. quæstiuncula 1. ad 2.

PRrob. prima, p. quia existere actu per se seu actualis existentia non potest esse de essentia alicujus rei creatæ, cum hoc sit proprium solius Dei, qui essentialiter est suum esse, ita ut suum existere ab eo separari non possit, ergo actualis existentia non est ratio formalis prædicamenti substantiæ.

Probatur secunda pars, id est ratio formalis constitutiva prædicamenti substantiæ, per quod substantia essentialiter definitur, sed substantia essentialiter definitur per hoc, quod sit apta existere *per se*, ergo ratio formalis prædicamenti substantiæ est existere *per se* aptitudine. Prob. min. quia substantia definitur, quod sit ens aptum per se existere, sicut ècontra accidens definitur, quod sit ens aptum existere in alio.

Confirm. id est ratio formalis prædicamenti substantiæ, quod primò substantiæ convenit, sed substantiæ convenit, primò esse *per se* aptitudine ergo existere per se aptitudine est ratio formalis constitutiva substantiæ.

Confirm. secundò, differentiæ vel modi dividentes aliquid superius sunt rationes formales constitutivæ inferiorum sub tali superiori contentorum, sicut rationale & irrationale, quæ sunt differentiæ dividentes animal, constituunt hominem & brutum. Sed esse *per se* & *in alio*, sunt modi dividentes ens ergo sunt etiam rationes formales constitutivæ ipsorum, esse quidem *per se* ipsius substantiæ, & esse *in alio* ipsius accidentis.

Ex dictis colligitur, quod quia substare accidentibus non est primum, quod reperitur in substantia; hinc ad minus sit proprietas substantiæ secundariò eidem conveniens.

Arg. primò Contra primam, substantia constituitur per aliquid superadditum enti, sed illud superadditum solùm est aliquid nega-

negativum, & non positivum, ergo substantia constituitur per aliquid negativum. Prob. min. quia si superadderet aliquid positivum, tunc illud deberet esse aliquid reale, sed non potest superaddere enti aliquid positivum reale, ergo. Prob. min. quia sic nil superadderet enti, cum ipsum ens in quovis ente reali includatur, ergo.

Resp. dist. Maj. substantia constituitur per aliquid superadditum enti, ita ut illud superadditum sit aliquid extraneum enti, sicut differentia est extranea generi neg. Maj. per aliquid superadditum tanquam modum dicentem explicitè id, quod ens dicit implicite conced. Maj. sed substantia non superaddit enti aliquid positivum tanquam novam & distinctam entitatem ipsi enti extraneam conced. min. tanquam modum dicentem explicitè id, quod ens implicitè dicit neg. min. & consequentia. Contractio ergo entis ad sua inferiora substantiam v. g. & accidens non fit per additionem novæ alicujus entitatis, quæ sit extranea ipsi enti, sicut rationale supra animal addit novam aliquam realitatem, quæ est extra essentiam & conceptum formalem animalis, sed tantùm fit per majorem explicationem illius, quod in ente *implicitè* continetur.

Arg. secundò, Contra secundam, p. primæ conclusionis, id est ratio constitutiva substantiæ, à quo oritur potissima proprietas substantiæ, *sed à subsistere accidentibus* oritur potissima proprietas substantiæ ergo subsistere accidentibus est ratio formalis constitutiva substantiæ. Prob. min. quia potissima proprietas substantiæ est, quod sit susceptiva contrariorum, sed suscipere contraria oritur ex eo, quod substantia subsistet accidentibus ergo.

Resp. dist. Maj. à quo oritur potissima proprietas, tanquam à principio primo & radicali conced. Maj. tanquam à principio proximo neg. Maj. sed suscipere contraria oritur *à subsistere accidentibus* tanquam à principio proximo conced. tanquam à principio remoto neg. min. & conseq. itaq; à subsistere *per se*, oriuntur omnes proprietates tanquam à principio radicali, & ideo subsistere *per se*, est ratio formalis constitutiva substantiæ.

Argui-

Arg. 3. contra 2. existere per se etiam convenit quantitati, quæ in Sacramento Altaris per se subsistit sine subjecto inhæsionis ergo existere per se non est ratio formalis constitutiva substantiæ.

Resp. dist. ant. convenit in Sacramento Altaris quantitati ex naturâ sua & ab intrinseco neg: ant: ab extrinseco, & per manu tenentiam Dei extrinsecam concedo ant: ergo existere per se ab extrinseco non est ratio formalis constitutiva substantiæ conc: conseq: ab intrinseco & ex natura sua existere per se non est ratio formalis constitutiva substantiæ neg: conseq:

Dices: ergo humanitas Christi non est vera substantia. prob: conseq: quia humanitas Christi non subsistit per se, sed existit in alio & per Verbum Divinum, ergo.

Resp: neg· conseq: ad prob: dist. antec: humanitas Christi de facto non existit per se conced: ant: ita ut nec sit apta per se existere neg: ant: & conseq: Ad hoc ergo ut humanitas Christi sit vera substantia, sufficit quod sit apta existere per se, quia ut dictum est, ratio formalis constitutiva substantiæ est, quòd saltem aptitudine existat per se.

ARTICVLVS II.

Quotuplex sit substantia, & quænam ponantur in prædicamento substantiæ?

NOtandum, quòd prima substantia bene definiatur quod sit illa, quæ propriè, primò & maximè dicitur (quæ particulæ ponuntur solùm tanquam aliqua encomia) quæque neque est in subjecto inhæsiònis, sicut accidentia, neque de subjecto aliquo dicitur aut prædicatur prædicatione formali & artificiosâ, esto possit prædicari de altero identicè & materialiter, & per has ultimas particulas distinguitur à secunda substantia, quæ potest de altero prædicari prædicatione formali & artificiosâ.

Secundæ autem substantiæ bene definiuntur, quòd sint genera & species in quibus insunt primæ. Explicatur definitio: dicuntur secundæ substantiæ esse genera & species non formaliter sed fundamentaliter, quia nimirum sunt tales naturæ, quæ possunt

suscipere

ſuſcipere intentionem ſeu relationem generis & ſpeciei, cum nulla poſſit dari, quæ non ſit hoc modo genus vel ſpecies. Per ly in quibus inſunt primæ, denotatur quòd ſecundæ ſubſtantiæ contineant primas, non continentiâ actuali, cum taliter potiùs ſecundæ inſint primis, ſed continentiâ potentiali, ſeu quia continentur tanquam partes ſubjectivæ, & in potentiâ in ſecundis. his præmiſſis ſit.

CONCLUSIO I.

Subſtantia completa directè ponibilis in prædicamento rectè & adæquatè dividitur in ſubſtantiam primam & ſecundam.

PRobatur hæc concluſio communi omnium Philoſophorum conſenſu. nam omne ponibile in recta linea prædicamentali ſubſtantiæ, vel ſunt genera, vel ſpecies, vel individua, ſed ſecundæ ſubſtantiæ ſunt genera & ſpecies, primæ autem ſubſtantiæ ſunt individua, ergo ſubſtantia completa directè ponibilis in prædicamento bene dividitur in ſubſtantiam primam & ſecundam, maximè quia hæc diviſio habet omnes conditiones requiſitas ad bonam diviſionem.

CONCLUSIO II.

Omnia corpora mixta, Angeli, & Chriſtus in quantùm homo directè ponuntur in hoc prædicamento.

PRob: 1. Pars. quia ſubſtantia finita & completa conſtans genere & differentiâ directè ponitur in hoc prædicamento, ſed omnia corpora mixta ſunt finita & completa, cum habeant propriam exiſtentiam, ſuntque compoſita ex genere & differentiâ, cùm conſtent ex materia & forma, à quibus genus & differentia in ſubſtantijs corporeis deſumuntur, ergo corpora mixta verè ponuntur in hoc prædicamento.

Prob: 2. Pars. quia etiam Angeli sunt substantiæ completæ, & finitæ cùm etiam habeant existentiam quandam participatam, sunt etiam compositi ex genere & differentia, id est, ex actu & potentia, ex natura & existentia, ergo etiam angeli ponuntur &c.

Prob. 3. Pars. quia res ponuntur in prædicamento ratione essentiæ seu naturæ, sed natura humana Christi Domini in toto rigore & proprietate est ejusdem speciei cum nostrâ, ergo verè & propriè ponitur in hoc prædicamento. Vbi tamen.

Notandum, quod quia naturæ substantiales non ponuntur in prædicamento in abstracto significatæ, sed in concreto, & ut connotant suppositum, quod in Christo Domino est ipsum suppositum Verbi Divini. ideo hoc ponitur in isto prædicamento non absolutè, sed præcisè ut sustentat humanitatem Christi Domini, ut expressè docet S. Th. in 3. sent. dist. 6. q. 1. a 1. q. 1. ad 2.

CONCLVSIO III.

Deus non ponitur directè in hoc prædicamento, nec reductivè.

PRob: 1. Pars. quia id quod directè ponitur in hoc prædicamento debet esse ens per se constans genere & differentiâ, sed Deus, tanquam ens simplicissimum non est compositus ex genere & differentia, ergo Deus, non ponitur directè in hoc prædicamento. Maj: pat: quia id solùm ponitur directè in hoc prædicamento de quo gradus generici & specifici superiores enunciantur, & consequenter id solùm directè ponitur in hoc prædicamento, quod constat ex genere & differentia. Major similiter constat, quia Deus est actus purus, qui non est compositus ex actu & potentiâ, sed omnem potentialitatem excludit, cum sua essentia sit ipsum suum esse per se, ergo Deus non potest componi ex genere & differentiâ.

Prob. 2. Pars. quia id solùm ponitur in hoc prædicamento indirectè & reductivè, quod quodammodo pertinet ad constitutionem ejus, quod directè in eo collocatur sive tanquam pars, sive ut

differen-

differentia, sive alio modo; sed Deus nullo modo pertinet ad constitutionem intrinsecam substantiæ creatæ, quæ sola directè, in hoc prædicamento collocatur, ergo Deus non ponitur reductivè in hoc prædicamento, sed est supra omnia prædicamenta, ut pote causa & principium effectivum, finale & exemplarè illorum omnium.

Arg. 1. contra 2. concluſ. Angeli cum non sint compositi ex materia & forma, etiam non videntur esse compositi exgenere & differentia, ergo non possunt poni in hoc prædicamento.

Confirmatur primò: Angeli dicuntur esse formæ simplices, ergo Angeli non sunt compositi ex genere & differentiâ.

Confirmatur secundò: Angeli non subsțant accidentibus, sed substantiâ prædicamentalis subsțat accidentibus, ergo Angeli non ponuntur in linea prædicamentali.

Resp. ad 1. quòd in rebus corporeis solùm sumatur genus â materia, & differentia â forma, in rebus autem spiritualibus sumitur genus â tota essenria consideratâ ut determinabili, & forma ab eadem tota essentia consideratâ ut determinatâ.

Resp. ad 2. quod Angeli dicantur formæ simplices in esse physico, in quantùm nimirùm non sunt compositi ex materia & formâ, inesse tamen methaphysico non sunt formæ simplices, quia sunt compositi ex actu & potentia, item ex essentia & existentia, hoc autem sufficit ut directè in hoc prædicamento ponantur.

Resp. ad 3. quod Angeli non sint subjecti accidentibus corruptivis, bene tamen accidentibus perfectivis concernentibus intellectum & voluntatem, in quantùm nimirum modò hunc, modò alium actum intellectûs & voluntatis (qui actus accidentia quædam sunt) eliciunt, eos que in se recipiunt.

Arg. 2. contra eandem: Deus non ponitur in hoc prædicamento, ergo nec Christus. prob. conseq. quia Christus est Deus, sed Deus non ponitur in hoc prædicamento, ut in concluſ. 3. dixi, ergo nec Christus.

Resp. neg. conseq. quia ad est hîc vitium syllogismi, cum varietur appellatio de formali in materialem. nam ly poni in prædi-

camento appellat in majori super humanitatem Christi, & in conclusione appellat super personam, & super ipsum Deum in se. Claritatis tamen gratiâ.

Resp. in formâ neg. conseq. ad prob. dist. maj. Christus ratione naturæ humanæ est Deus neg. maj. ratione naturæ divinæ conc. maj. sed Deus non ponitur in hoc prædicamento conced. min. ergo nec Christus, dist. conseq. ratione naturæ divinæ conc. cons. non ponitur in hoc prædicamento ratione naturæ humanæ neg. cons.

Arg. 3. in hoc prædicamento ponitur solùm substantia creata, sed Christus nō est substantia creata, ergo Christus non ponitur &c.

Resp. dist. maj. in hoc prædicamento ponitur solùm substantia creata, ita ut tam natura quàm suppositum semper sint creata neg. maj. ita ut saltem natura sit creata conced. maj. sed Christus quoad suum suppositum non est quid creatum conced. min. quoad suam naturam humanam non est aliquid creatū nego min. & cons. ad hoc ergo ut Christus ponatur in hoc prædicamento sufficit, quod sit aliquid creatum ratione naturæ humanæ, ratione cujus ponitur in prædicamento substantiæ.

Dices: Christus non potest dici absolutè creatura, ergo nec potest dici absolutè poni in prædicamento substantiæ.

Resp. neg. conseq. disparitas est, quia hæc propositio: Christus est creatura, absolutè prolata ponit imperfectionē in personā, cujus est fieri, quod non convenit personæ divinæ, utpote quæ nullo modo fieri aut creari potest, poni autem in prædicamento solùm importat imperfectionem & limitationem in naturâ humana Christi, quod non implicat.

Quæres: quot sint proprietates substantiæ?

Resp. quòd sint sex.

Prima est, quòd nec prima, nec secunda substantia sit in alio tanquàm in subjecto inhæsinè.

Secunda est, quòd secundæ substantiæ utpote genera & species univocè prædicentur de prima substantia.

Tertia est, quòd prima substantia significet hoc aliquid, & non solùm aliqualiter. & ratio hujus est, quia prima substantia semper habet

habet in propositione rationem subjecti, ergo debet significare hoc aliquid, idest naturam aliquam.

Secundæ autem substantiæ semper habent rationem prædicati, & quia prædicatum est forma subjecti, hinc secundæ substantiæ dicuntur prædicari in aliquo sensu in quale quid. Nec tamen dicas quod secunda substantia tali modo prædicabitur in quale quid sicut prædicatur differentia, quia secunda substantia non habet se per modum alteri adjacentis, sicut se habet differentia.

Quarta est, quòd substantiæ nil sit contrarium. Explicatur hæc proprietas, illa enim dicuntur contraria quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto se mutuò expellunt, cùm autem substantia non sit in aliquo subjecto, à quo possit expelli, hinc manifestum est, quòd substantia ratione sui non habeat contraria, esto ratione qualitatum una substantia sit contraria alteri substantiæ.

Quinta est, quòd non suscipiat magis & minùs: quæ proprietas intelligi debet de suscipere magis & minus rigorosè dicto, scilicet quòd substantia non suscipiat magis & minus secundùm intensionem, quæ fit per majorem radicationem formæ in subjecto, cui inhæret, non autem debet intelligi quòd substantia non suscipiat magis & minus secundùm extensionem; vel etiam perfectionem, cum una habeat majores partes, quàm alia, & una alterâ possit esse perfectior, dico ergo, quod cum substantia non sit in subjecto, hinc etiam non possit magis, & minus in subjecto radicari, adeoque nec magis, vel minus suscipere.

Sexta proprietas est, quòd eadem numero manens sit susceptiva contrariorum; quæ proprietas sic intelligenda est, quòd substantia secundùm diversitatem temporis diversas & contrarias qualitates possit recipere, eadem enim manus modò potest esse calida, modò frigida, non autem quòd simul possit recipere duo contraria saltem in gradu intenso, unde in gradu intenso eadem manus simul non potest esse calida & frigida. Item hæc proprietas intelligenda est, quòd ut aliquid sit substantia, debeat ut quod & non solùm ut quo esse receptivum contrariorum, aliàs quantitas, quæ

est subjectum quo receptivum contrariorum accidentium, esset substantia.

Quòd autem hæc proprietas ipsis substantijs verè competat, probatur ex eo, quia in primis omnia corpora sublunaria, id est sub cælo existentia tales qualitates contrarias in se recipiunt. Idem patet, in elementis. Et deniqúe corpora cælestia recipiunt motum naturalem, & raptum seu violentum.

QVÆSTIO XII.

De Prædicamento Quantitatis.

ARTICVLVS I.

Quid sit quantitas, & quænam sit ratio formalis constitutiva illius?

NOtandum primò. quòd quantitas nil sit aliud quàm accidens quoddam extensivum substantiæ in partes integrantes v. g. quantitas est accidens extensivum substantiæ hominis in manus, pedes, caput &c.

Notandum secundò. quòd in quantitate diversæ sint formalitates, ut esse mensuram (id est id quo quantitas rei cognoscitur) esse divisibilem in partes, item esse extensionem partium in ordine ad se, vel in ordine ad locum.

CONCLVSIO I.

Ratio formalis quantitatis nec est ratio mensuræ, nec ratio divisibilitatis proximæ.

PRob. quia nec mensura, nec divisibilitas proxima primò conveniunt quantitati, ergo. prob. antec. quia tam divisibilitas proxima quàm ipsa mensura jam supponunt extensionem partium, & oriuntur ex eâ, ideo enim quantum mensurari & dividi potest, quia habet partes, ergo.

CON-

CONCLUSIO II.

Ratio formalis quantitatis est extensio partium in ordine ad se, non autem in ordine ad locum. ita S. Th. 1. p. q. 14. a. 12. ad 1

PRob. quia extensio partium in ordine ad se est primum quod convenit quantitati, & vnde reliquæ proprietates oriuntur, ergo extensio inordine ad se &c. prob.antec. nam ab extensione partium in ordine ad se oritur æqualitas, vel inæqualitas, item divisibilitas proxima & ratio mensuræ, item extensio partium in ordine ad locum, ideſt quòd manus v. g. alium locum obtineat quàm pes &c. ergo.

Arg. 1. Aristot. definivit quantitatem per divisibilitatem, ergo divisibilitas proxima est ratio formalis constitutiva quantitatis.

Resp. quòd definierit solùm quantitatem per divisibilitatem tanquam per passionem nobis magis notam, non autem tanquam per rationem formalem.

Arg. 2. illa est ratio formalis & constitutiva quantitatis penes quam diversificantur species quantitatis, sed species quantitatis diversificantur penes diversam divisibilitatem, ergo ratio divisibilitatis est ratio formalis quantitatis. min. pat. nam linea, superficies & corpus, quæ sunt species quantitatis, differunt penes hoc, quòd linea sit divisibilis secundùm longitudinem, superficies secundùm latitudinem, & corpus secundum profunditatem, ergo.

Resp. dist. maj. penes quam tanquam per rationem à priori diversificantur, conced. maj. tanquam per rationem à posteriori neg. maj. sed species quantitatis diversificantur penes diversam divisibilitatem tanquam per rationem à priori neg. min. tanquam per rationem à posteriori conced. min. & neg. conseq.

Arg. tertiò. Ratio formalis quantitatis debet convenire omni speciei quantitatis, sed extensio non convenit omni speciei quantitatis, ergo extensio non est ratio formalis. min. prob. quia extensio non convenit numero, ergo.

Resp. neg. min. ad prob. dist. antec. extensio continua non convenit

convenit numerō conc. antec. discreta neg. antec. & conseq. licet enim partes numeri non sint unitæ termino aliquo communi, sunt tamen unitæ termino quodam discreto, id est unitate ordinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum substantia ablata quantitate habeat partes integrantes?

NOn est quæstio hic, an homo ablatâ quantitate adhuc habeat partes physicas, id est materiam aut formam, vel Metaphysicas, id est genus & differentiam, sed est quæstio an homo v. g. sine quantitate adhuc habeat partes integrantes v. g. caput, manus, pedes, &c.

CONCLUSIO.

Substantia ablatâ quantitate nullas habet partes integrantes. Ita S Th. quodlib. 9 a 6.

PRob. effectus formalis alicujus formæ nequit haberi sine formâ, sed tribuere extensionem partium integrantium est effectus formalis quantitatis, ut patet ex ipsius definitione, ergo ablatâ quantitate non habet substantia extensionem partium.

Prob. secundò, si substantia ante quantitatē haberet extensionem partiū, tunc etiam ante quantitatem haberet partes suas unitas aliquo termino communi, sed ante quantitatem substantia non habet suas partes unitas aliquo termino communi, ergo ante quantitatem non habet extensionem partium. Maj. pat. nam aliàs non esset unio partium integrantium, sed potius materiæ & formæ. Min. autem prob. termini communes unientes partes, sunt ipsa indivisibilia, sed substantia ante quantitatem non habet ista indivisibilia unientia, ergo. Min. prob. quia ista indivisibilia sunt puncta, quæ sunt terminus communis respectu lineæ, & linea, quæ est terminus communis respectu superficiei, & superficies, quæ est terminus communis respectu corporis, sed substantia ante quantitatem non habet lineam aut superficiem, cum hæ sint species quantitatis ergo substantia ante quantitatem non habet, &c. Prob.

Prob. tertiò, conclusio. si substantia ante quantitatem haberet partes, maximè haberet partes entitativas adhoc ut posset recipere partes formales quantitativas a quantitate, sed propter hoc substantia non debet habere partes entitativas, ergo substantia sine quantitate nullam habebit extensionem partium. Probat. min. quia adhoc ut substantia possit recipere quantitatem sufficit, quod substantia radicaliter sit divisibilis, & quod habeat potentiam passivam ad recipiendam quantitatem, ergo.

Confirm. ridiculum est distinguere quoddam esse quale entitativè, & aliud esse quale qualitativè, & asserere substantiam secundùm se esse qualem entitativè, non autem rem qualem qualitativè, ergo etiam absurdum est distinguere unum quantum entitativè, & aliud quantum quantitativè, & dicere, quòd substantia secundùm se sit quanta entitativè, non autem quantitativè.

Arg. primò, si Deus aufferret quantitatem à Petro v. g. tunc non tolleretur à Petro caput & pes, ergo ablatâ quantitate Petrus adhuc haberet partes.

Resp. dist. antec. non tolleretur caput, pes, manus &c. quoad entitatem suam substantialem conc. antec. quoad rationem formalem partis negatur antecedens. & conseq.

Contra: hujusmodi partes non possunt provenire à quantitate, ergo ablatâ quantitate adhuc manerent ut partes. Probatur antec. quia partes illæ sunt aliquid substantiale, ergo non possunt provenire à quantitate, quia hæc solùm est aliquod accidens.

Resp. dist. antec. partes illæ sunt aliquid substantiale quoad suam entitatem conc. antec. quoad rationem formalem partis neg. antec. ergo quoad suam entitatem non possunt provenire â quantitate conc. conseq. quoad rationem formalem partis neg. conseq.

Contra tota substantia est prior totâ quantitate, ergo etiam pars substantiæ erit prior parte quantitatis, & consequenter etiam ante quantitatem datur in substantia formalis ratio partis.

Resp. dist. antec. tota substantia est prior totâ quantitate, si sit sermo de totalitate substantiæ essentiali, quæ constat ex materia & forma conc. antec. si sit sermo de totalitate integrali & ex-

tensionis neg. antec. & conseq. unde sicut substantia ante albedinem non est formaliter alba, ita ante quantitatem non est formaliter extensa aut habens partes integrantes.

Arg. secundò, ex posita sententia sequitur primò, quod si Deus â cælo & à pullice aufferret quantitatem, tunc cælum non esset majus pullice. Sequitur secundò, quòd si Deus â toto mari aufferret quantitatem, tunc mare conflueret in aliquod punctum, & uno tractu sic posset ebibi. Sequitur tertiò, quòd substantia ablatâ quantitate esset indivisibilis, sicut angelus & punctum, sed hæc omnia sunt absurda, ergo & id unde sequuntur.

Resp, negando omnes istas sequelas, & ad 1. dico quòd cælum in tali casu non esset formaliter majus pullice, esset tamen radicaliter majus, in quantum ex se exigeret majorem quantitatem quàm pullex.

Resp. ad 2. quod mare in tali casu non conflueret in punctum, quia punctum est negativè indivisibile, mare autem solùm esset privativè indivisibile, nec sequitur quòd mare tunc uno tractu bibi possit, tum quia non haberet guttas, tum quia mare seclusâ quantitate nullibi esset tanquam in loco, sed solùm esset in universo tanquam pars universi.

Resp. ad 3. quod substantia non fieret indivisibilis sicut punctum & angelus, quia punctum & angelus sunt negativè indivisibilia, substantia autem illa solùm esset privativè indivisibilis.

ARTICVLVS III.

Quot sint species quantitatis continuæ?

NOtandum, quòd quantitas continua sit, cujus partes copulantur aliquo termino communi, id est cujus partes copulantur aliquo indivisibili, quod ita est terminus unius partis, ut etiam sit initium alterius partis; & ob id vocatur terminus communis, quia utramque partem terminat & terminando copulat & unit. Explicatur hoc. nam in linea hic terminus communis est punctum, quia puncto connectuntur partes lineæ, linea autem respectu superficiei est terminus communis, quia linea terminat

minat & unit partes superficiei, & denique superficies est terminus communis uniens partes corporis, in tempore autem terminus communis est instans, & in motu mutatum esse.

Quantitas autem discreta est, cujus partes non copulantur termino communi, sed separatæ à se existunt, dicunt tamen inter se aliquam unitatē ordinis. Porro species quantitatis discretæ sunt duæ, scilicet numerus (qui nihil est aliud quā multitudo numerata per unum, seu ens compositum ex pluribus unitatibus quarum una non unitur alteri aliquo termino communi) & oratio, cujus partes cum quantitate brevi, aut longâ prolatæ sibi invicem succedunt absque intrinsecâ continuatione & unione unius cum alterâ.

Notandum secundò, quòd species quantitatis continuæ sint quinquè, scilicet linea (cujus partes copulantur punctis tanquam termino cōmuni) superficies (cujus partes copulantur lineis,) corpus, cujus partes copulantur superficiebus, tempus, cujus partes copulantur instanti, & locus cujus partes eodem termino communi secundùm proportionem copulantur, quo ipsum locatum: cum enim locus circumscribat locatum eique commensuretur, v. g. vas ipsi aquæ, hinc cuilibet puncto locati nimirum aquæ correspondet punctum loci v. g. vasis, & cuilibet superficiei locati correspondet superficies loci, & sic de reliquis, his præmissis sit.

CONCLVSIO. I.

Quantitas bene dividitur in quantitatem continuam & discretam.

PRob. nam quantitas consistit in habere partes extra partes, ergo si hæ partes sint connexæ aliquo termino communi, erit quantitas continua, si autem partes non sint connexæ termino communi, sed tantùm ordine quodam se ad invicem habeant, uti fit in numero & oratione, sic erit quantitas discreta, ergo quantitas bene dividitur, &c.

CONCLVSIO. II.

Linea superficies & corpus sunt veræ species quantitatis continuæ, ab alijs distinctæ.

PRob: quia quantitas continua debet habere partes unitas aliquo termino communi, sed linea habet partes unitas punctis, & superficies lineis, & corpus superficiebus, ergo linea, superficies, & corpus sunt species quantitatis continuæ.

CONCLVSIO III.

Motus, locus & tempus non sunt veræ species quantitatis continuæ.

PRob. 1. Pars. nam motus est ens incompletum non participans quantitatem & extensionem ratione sui, ergo per se non est species quantitatis continuæ. Prob: ant; ideo enim motus est quantus, quia est inter duos terminos, inter quos est realis distantia ergo.

Prob: 2. Pars. nam locus non dicit extensionem â superficie distinctam, sed solùm super superficiem addit aptitudinem ad circum scribendum, & continendum corpus locatum, quæ aptitudo non est particularis quantitas & extensio, sed potius relatio continentiæ corporis locantis ad corpus locatum, ergo locus non erit distincta species quantitatis à superficie, considerando rationem essentialem quantitatis, quæ in extensione consistit. Si autem in quantitate rationem accidentalem mensuræ consideremus, tunc locus erit vera species quantitatis, quia locus est mensura extrinseca, superficies autem est mensura intrinseca.

Prob. 3. Pars. tum quia tempus solùm est extensum ratione motûs, sed motus non est per se species quantitatis continuæ, ergo nec tempus. Maj: pat: quia tempus nihil est aliud quàm extensio durationis motûs secundùm prius & posterius, ergo.

Arg. 1. contra 2. concluſ. Vna species non debet includi in

aliâ

aliâ, sed linea & superficies includuntur in corpore, quod est extensum secundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem, ergo linea & superficies non sunt species quantitatis continuæ.

Resp: dist: Maj: Vna species formaliter non potest includi in aliâ con. maj: materialiter neg: maj: sed linea & superficies includuntur in corpore materialiter, & ut sunt indivisibiles con: min: formaliter, & ut sunt species divisibiles neg. min. & conseq.

Notandum hîc, quòd linea sit quantitas extensa secundùm longitudinem tantùm, superficies autem est quantitas extensa secundùm longitudinem & latitudinem, non autem secundùm profunditatem, corpus autem uti hîc sumitur, est quantitas extensa secundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem.

Contra superficies est formaliter extensa secundùm longitudinem, ergo linea est formaliter inclusa in superficie.

Resp: dist: ant: est formaliter extensa secundùm longitudinem tantùm neg. ant. secundùm longitudinem & latitudinem conc. ant. & neg. conseq. formalitas itaque lineæ consistit in hoc, quod sit divisibilis secundùm longitudinem tantùm, & cum præcisione omnis ulterioris extensionis sive secundùm latitudinem, sive secundùm profunditatem, & ideo materialiter in superficie includitur.

Dices: ergo linea solùm formaliter in aliquo negativo consistet, nimirùm in illa præcisione ulterioris extensionis secundùm latitudinem & profunditatem.

Resp: neg: conseq: quia est aliquid positivum in linea, nimirum positiva extensio secundùm longitudinem terminata, versus latitudinem. Vnde illa negatio ulterioris divisionis, solùm est aliquid consequens, sicut negatio essendi in alio solùm est aliquid consequens ad esse per se, & ideo in re linea in aliquo positivo consistit: sæpe autem fit quòd res positiva per aliquid negativum explicetur, ut patet in ratione formali prædicamenti substantiæ, quæ licet sit aliquid positivum, per negationem tamen non essendi in alio à nobis explicari solet.

Arg. 2. contra 3. concluſ. illud quod essentialem rationem

quantitatis participat est vera illius species, sed locus participat essentialem rationem quantitatis, ergo. Prob: min. ratio essentialis quantitatis est extensio partium, sed hanc extensionem participat locus, nisi enim extensionem partium haberet, locatum, quod etiam extensum est, circumscribere non posset, ergo.

Resp. neg. min. ad Prob. dicitur. quòd licet locus habeat rationem superficiei quæ essentialiter includit extensionem partium, non tamen superaddit novam aliquam & distinctam extensionem partium à superficie, sed solùm addit connotationem & respectũ ad aliquid extrinsecum, scilicet rationem continentiæ & circumscriptionis ad locatum, quæ continentia non est aliqua extensio, sed est quid extra rationem quantitatis, adeoq; locus non est distincta species â superficie, quia ut dictum est, locus non dicit aliam extensionem ab extensione superficiei, sed dicit eandem extensionem solùm cum alio modo apto ad extrinsecùs mensurandum, hoc autem non facit aliam speciem quantitatis, sed tantùm dicit novam applicationem.

Dices: distinctæ proprietates designant diversas essentias à quibus dimanant, sed mensura est proprietas quantitatis seu extensionis, ergo diversa mensura diversam essentiam designat, & consequenter quæ distinguuntur in ratione mensuræ, etiam distinguuntur essentialiter, sed locus & superficies distinguuntur in ratione mensuræ, ergo.

Resp. illas proprietates inferre diversas essentias, quæ procedunt à diversis essentijs ut v. g. risibile respectu hominis, & hinnibile respectu equi, illæ autem proprietates quæ ab una tantùm essentia procedunt, inferunt tantùm unam essentiam, unde hæ diversæ proprietates nimirum esse risibile, esse discursivum, esse capacem disciplinæ &c. Inferunt unam solum essentiam hominis, & tales proprietates sunt mensura intrinseca respectu superficiei, & mensura extrinseca respectu loci. cum quo tamen stat, quòd superficies & locus distinguantur in hoc, quòd superficies primariò dicat mensuram, locus autem dicat continentiam actualem, vel potentialem locati, quod primariò superficies non dicit.

Arg.

Arg. tertiò, tempus est per se extensum, ergo est vera species quantitatis. Prob. antec. quia de intrinseca ratione temporis est habere partes divisibiles & extensas, cum per hoc distinguatur tempus ab instanti, quod est indivisibile, ergo.

Resp. quod ly per se possit dupliciter sumi seu intelligi, semel prout distinguitur contra per accidens, & secundò ut distinguitur contra per aliud. Licèt ergo motus & tempus sint continua & extensa per se, prout ly per se distinguitur contra per accidens, id est licet tempus non sit extensum per accidens, non tamen est extensum per se, prout ly per se distinguitur contra per aliud, quia tempus habet à motu quòd sit extensum & divisibile, motus autem à quantitate continuâ, scil. ratione magnitudinis, spatij vel termini, habet, quòd sit divisibilis.

ARTICVLVS IV.

Utrum numerus & Oratio sint veræ species quantitatis discretæ?

NOtandum, quòd cùm numerus componatur ex unitatibus inter se ordinem quendam habentibus, hinc numerus nil est aliud, quàm multitudo numerata per unum. Est autem duplex numerus scil. numerus numerans, & numerus numeratus. numerus numerans est ipsa ratio numerandi, seu id quo aliud numeramus, & hæc ratio actualiter mensurandi, vel numerandi est ab intellectu apprehensa, & rebus alijs applicata, ut v. g. duo, tria, quatuor &c. dixi actualiter numerandi, quia certum est nullo intellectu cogitante dari à parte rei v. g. tres homines. Numerus autem numeratus sunt illæ res, quæ mediante numero numerante numerantur, ut v. g. tres homines, vel tres lapides numerati.

Notandum secundò quòd oratio hîc non sumatur prout fuit definita in summulis, sed est sermo hîc de oratione quæ ex pluribus syllabis cum ordine & successione prolatis constat, secundùm quod oratio nil est aliud quàm realis multitudo syllabarũ seu pronunciationum discretarum ordine quodam sibi succedentium, quæ etiam in unicâ dictione reperiri potest.

CON-

CONCLVSIO I.

Oratio non est per se species quantitatis discretæ, sed tantùm per accidens.

PRob. quia nil eorum, quæ sunt in oratione vocali, reperitur, quòd importet distinctam aliquam extensionem ad quantitatem spectantem, ergo oratio non est vera species quantitatis discretæ. prob. antec. nam in oratione vocali primò reperitur aër verberatus, in quo est sonus, & hic non est quantitas, sed substantia. Secundò reperitur ipse sonus, & hic est qualitas. tertiò reperitur pronunciatio, & hæc non est quantitas, sed est motus quidã seu actio. quartò est tarditas vel velocitas pronunciationis, item longitudo & brevitas, & hæc consequuntur motum & tempus, nec aliam ab ipsis extensionem habent: vnde sicut motus & tempus non constituunt speciem quantitatis, ita nec longitudo & brevitas syllabarum. Quintò reperitur morula inter pronunciationem unius & alterius syllabæ intercedente, & hæc morula non est distincta ab ipsomet tempore intercedente seu à duratione motûs, ergo in oratione nil est assignabile quod constituit distinctã speciẽ quantitatis.

CONCLVSIO II.

Numerus est species quantitatis discretæ, estq; ens per se. ita S. Th. 1. p. q 30. a. 3.

PRob. 1. p. numero convenit definitio quantitatis discretæ, ergo est species quantitatis discretæ. antec. prob: quia numerus habet veram extensionem partium non unitarum aliquo termino communi, sed solùm ordine quodam se adinvicem habentium, sed in hoc consistit essentia quantitatis discretæ, ergo.

Confirm. numerus mensurat per ratiorem æqualis & inæqualis, paris & imparis, quæ sunt proprietates quantitatis, ergo etiam ei convenit ratio quantitatis. conseq: patet, quia proprietas non potest alicui convenire, nisi etiam ei conveniat talis rei essentia.

Prob. 2. p. ad hoc ut aliquid sit ens per se, sufficit quòd partes illius

illius habeant inter se unitatem compositionis & ordinis, sed numerus habet talem vnitatem ordinis, ergo numerus est ens per se. major patet in artefactis v. g. in horologio vel domo, quæ sunt entia per se ex eo, quia partes ipsorum sunt debito modo ordinatæ sub formâ & figurâ domûs, aut horologij. Minor similiter constat, quia omnes unitates numeri inter se dicunt ordinem ad unicam & determinatam speciem numeri constituendam, ergo.

Confirm: numerus est objectum scientiæ realis, nimirùm Arithmeticæ, ergo numerus est ens per se. conseq. pat. quia de ente per accidens non datur scientia, nec de illo determinatæ passiones demonstrari possunt.

CONCLVSIO III.

Vltima Vnitas est veluti forma physica numeri dans ei speciem, eumq; in ratione entis per se constituens. ita S. Th. 8. met. lect. 3.

EXplicatur conclusio. Ultima Unitas non est forma Metaphysica numeri, hæc enim prædicatur in recto de toto, ultima autem unitas non prædicatur de toto numero in recto, nam ternarius numerus non est ultima unitas. Neque ultima unitas est forma physica totalis; sicut est humanitas respectu hominis, hæc enim in numero ternario est ternitas, respectu cujus se omnes tres unitates habent per modũ materiæ. Est ergo ultima unitas forma quasi physica partialis eo, fermè modo sicut anima est forma corporis. Differt tamen ultima unitas ab anima in hoc, quod anima sit forma intrinsecè informans corpus, ultima autem unitas solùm est forma physica partialis extrinseca respectu aliarum unitatum, & esto cùm alijs componat numerum, non tamen intrinsecè informat priores unitates, sed solùm priores unitates per modum ultimæ claudit & terminat. hoc supposito.

Prob: conclusio: illa est forma alicuius rei, quo posito ponitur res, & quo ablato auffertur, sicut rationale est ratio formalis hominis, quia eo posito ponitur homo, & eo ablato aufferrur, sed etiam positâ ultima vnitate ponitur numerus, & illâ ablatâ auffer-

tur numerus, ergo ultima unitas est forma numeri. prob. min: nam positis tribus unitatibus, si ponatur ultima constituitur quaternarius, & rursus si hæc ultima unitas aufferatur, tollitur numerus quaternarius, & fit ternarius, ergo.

Quòd autem ultima unitas sit veluti forma physica patet, nam sicut homo constat & componitur ex partibus, scilicet ex materia & formâ, in quibus forma determinat materiam, ita in numero ultima unitas tanquam forma cũ cæteris componit aliquod totum, & reliquas unitates determinat.

Arg. 1. ens per se non potest fieri ex pluribus entibus in actu & completis, sed numerus componitur ex pluribus entibus in actu & completis, ergo numerus non est ens per se. prob. min. quia numerus v. g. ternarius componitur ex tribus v. g. lapidibus, quorum quivis est ens actu completum, ergo.

Resp. dist: maj: expluribus entitatibus in actu non potest fieri unum per se unitate substantiali & per se subsistendi conc. maj. non potest fieri per se unum unitate ordinis seu unum accidentale neg. maj. & concessâ minori dist. conseq. ergo numerus non est ens per se perfeitate substantiali, & per se subsistendi conc. conseq. non est ens per se accidentale & unitate ordinis neg. conseq. dantur itaque diversi gradus unitatis, ita ut aliqua sint unũ per se substantiale, & unitate subsistendi; quædã autẽ solùm sunt unũ unitate ordinis, sicut est numerus, & hoc sufficit ut numerus sit ens per se accidẽtale.

Resp. secundò concessâ maj. neg. min. ad cujus prob. dist. antec. numerus ternarius componitur ex tribus lapidibus ut unitates sint conc. antec: ut corpora quædam sunt neg. antec. tres autem lapides v. g. sunt entia completa non ut unitates, sed ut corpora quædam sunt. Unde dico qnòd lapides sint aliquid completum in ratione substantiæ, in ratione tamen unitatis, & qnatenus unitates sunt, sic inquam, sunt aliquid incompletum & imperfectum in genere quantitatis discretæ, & ita componunt numerum.

Dices: plura entia in actu & completa sunt ejusdẽ rationis, & unum non est magis materia vel forma quàm aliud, ergo etiam ex pluribus entibus completis non potest fieri unũ per se accidentale.

Resp.

Resp. plura entia completa sine ordine considerata esse ejusdem rationis, si tamen illa plura entia completa ex ordine quodam considerentur, uti fit in numero, sic non sunt ejusdem rationis, siquidem sola ultima unitas se habet ut forma, reliquæ autem, quatenus stant sub ultimâ unitate se habent ut materia.

Arg. secundò, quod non est quantum, nequit esse species quantitatis discretæ, sed numerus non est quantus, ergo numerus non est species quantitatis discretæ. Min. prob. quod componitur ex indivisibilibus, hoc non est quantum, sed numerus componitur ex indivisibilibus ergo. Maj. pat. quia indivisibile additum indivisibili non facit quantum. Min. autem prob. quia quod componitur ex unitatibus hoc componitur ex indivisibilibus, sed numerus componitur ex unitatibus, ergo componitur ex indivisibilibus. Maj. pat. quia unum nihil est aliud, quàm ens indivisum in se, & divisum à quolibet alio.

Resp. neg. maj. ad prob. dist. maj. quod componitur ex indivisibilibus hoc non est quantùm continuum conc. maj. discretum nego maj. & concessâ min. neg. conseq. dico ergo quòd numerus componatur ex indivisibilibus seu unitatibus, & ideo numerus non est quantus quantitate continuâ, bene tamen quantitate discretâ.

Dices: numerus debet componi ex ijs quæ possunt facere quantum, sed indivisibilia non possunt facere quantum, ergo numerus non est quantus etiam quantitate discretâ.

Resp. dist. maj. quæ possunt facere quantum secundùm magnitudinem neg. maj. secundùm multitudinem conc. maj. sed indivisibilia non possunt facere quantum secundùm magnitudinem conc. min. secundùm multitudinem neg. min. & conseq.

Dices: quòd nullo modo est quantum non potest facere quantum etiam secundùm multitudinem, sed indivisibilia seu unitates nullo modo sunt quanta, ergo hæc etiam secundùm multitudinem nequeunt &c.

Resp. dist. maj. quod nullo modo &c. non potest facere quantum &c. si sumatur secundùm se conc. maj. non potest facere unâ cum alio neg. maj. & concessâ min. dist. conseq. ergo indivisibilia

non possunt facere quantum, si unumquodque indivisibile sumatur secundùm se conc. conseq. si sumatur unà cum alio neg. conseq.

Arg. tertiò, Ens per se debet habere partes unitas, sed numerus non habet partes unitas, ergo numerus non est ens per se. Maj. pat. quia ideo acervus lapidum v. g. non est ens per se, quia non habet partes unitas. Min. autem prob. quia omnes partes numeri sunt divisæ, separatæ & discontinuæ, ergo.

Resp. ex dictis quòd sint varij modi & gradus unitatis & unionis, scil. unitas formæ, unitas compositionis, unitas continuationis, & unitas ordinis, & hæc unitas ordinis etiam reperitur in numero, qui ordo sufficit ad hoc ut numerus sit ens per se unitate ordinis, & unum accidentale, seu unum unitate accidentali discretâ, sicut domus v. g. est unicum artefactum; & prandium ex pluribus cibis compositum est unicum convivium propter unionem & unitatem ordinis in eisdem repertam. In acervo autem lapidum non est unitas ordinis, & ideo non est ens per se.

Dices. si numerus habeat partes unitas unitate ordinis, sequeretur, quod idem accidens sit simul in diversis subjectis, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Prob. sequela, quia idem numerus ternarius in omnibus tribus unitatibus realiter inter se distinctis subjectaretur.

Resp. quòd idem accidens bene possit esse in pluribus subjectis partialibus, non autem potest esse in pluribus subjectis totalibus & adæquatis. Et ita respectu numeri ternarij quævis unitas est subjectum partiale, omnes autem tres unitates sunt subjectum adæquatum & totale ipsius numeri ternarij.

Arg. quartò. Contra tertiam conclusionem. ultima unitas numeri non est forma totalis, quia non afficit omnes unitates; nec etiam est forma partialis, quia non afficit intrinsecè materiam scilicet priores unitates, ergò absolutè falsum est, quod ultima unitas sit forma numeri.

Respondetur, quòd ultima unitas non sit forma totalis numeri propter rationem positam, sed est forma partialis non physica absolutè, sed quasi physica, quia sub ipsa physicè & realiter priores

priores partes ordinantur, ut ante probationem tertiæ conclusionis explicui.

Dices: esse ultimam unitatem est aliquid rationis, quia quod aliqua unitas ultimo loco numeretur, hoc dependet à nostro intellectu ergo ultima unitas nec est forma quasi physica.

Respondetur, quod ultima unitas sit independens ab intellectu quoad formalitatem ultimatæ terminationis (quia etiamsi nullus intellectus detur, semper tamen ex tribus unitatibus solùm consurget numerus ternarius) quoad designationem tamen subjecti materialis hujus formalitatis, est dependens à nostro intellectu, tanquam à conditione sine quâ non in actu exercito ultimam unitatem numeri cognoscimus. Unde sicut intellectus noster in circulo vel annulo potest quamcunque partem designare pro initio, medio, vel fine annuli, ita intellectus noster in numero v. g. ternario, quamcunque unitatem potest assignare pro primâ vel ultimâ; ultima unitas tamen quoad formalitatem ultimatæ terminationis ab intellectu nostro non est dependens.

Quæres, quot sint proprietates quantitatis? Respondetur, quod sint quatuor. Prima est quod quantitati nihil sit contrarium, una enim linea non contrariatur alteri lineæ, nec bicubitum bicubito.

Dices, magnum & parvum sunt quanta & tamen videntur sibi esse contraria.

Respondetur non esse propriè contraria, cum sese non expellant mutuò ab eodem subjecto, cum idem possit esse magnum respectu unius, & parvum respectu alterius.

Secunda proprietas est, quod quantitas non suscipiat magis & minus, quia unus ternarius non est magis ternarius quam alius.

Tertia proprietas, quæ maximè convenit quantitati est, quod secundùm eam res dicantur æquales vel inæquales, nam unum corpus dicitur æquale alteri, & similiter unus numerus dicitur æqualis alteri; quod tamen non invenitur in alijs prædicamentis: qualitas enim non dicitur æqualis esse alteri, sed tantùm similis.

Quarta proprietas est, quod quantitas sit proximè divisibilis in

lis in partes, cui adjungitur ratio mensuræ, & impenetrabilitatis, id est incompossibilitas quædam, ut duo corpora simul sint naturaliter in eodem loco, cum non possint sese naturaliter loquendo penetrare.

QUÆSTIO XIII.

De prædicamento relationis.

ARTICVLVS. I.

Quid sit relatio, an detur relatio realis â parte rei, quotque sint fundumenta relationis realis prædicamentalis?

NOtandum, quod relatio sit duplex, scilicet relatio secundùm esse, & relatio secuudùm dici; relatio secundùm esse, est accidens reale, cujus totum esse est ad aliud se habere tanquam ad terminum, ita ut totum esse hujus relationis sit respicere & termini terminare. Et hæc relatio de primario suo significato importat aliquid relativum, non autem aliquid absolutum, ut v. g. hoc nomen Pater vel dominus de suo primario significato non importat aliquid absolutum sed aliquid relativnm, scilicet ordinem & respectum ad filium vel servum.

Relatio autem secundùm dici de primario suo significato importat aliquid absolutum pertinens ad alia prædicamenta, ad quod tamen secundariò sequitur quidam ordo seu respectus ad aliud, non quidem tanquam ad purum terminum, sed solum ordo ad aliud tanquam ad subjectum, principium, vel causam, objectum &c.

Et hoc modo scientia dicit relationem secundùm dici ad suum objectum, qnia hæc vox scientia, non est imposita ad primariò significandam habitudinem, vel ordinem ad objectum, sed ad significandam qualitatem habitualem absolutam intellectui inhærentem, ad quod tamen secundariò sequitur ordo & respectus ad objectum.

Relatio secundum esse alio nomine vocatur relatio prædicamentalis. relatio autem secundum dici vocatur relatio transcentalis.

talis. Hic non inquiritur de relatione transcendentali, sed solùm de prædicamentali.

Notandum secundò. quòd omne accidens dicat ordinem ad subjectum, aliqua tamen accidentia ita dicunt ordinem ad subjectum, ut in eo sistant ultimatè, nec ad aliud extrinsecum ordinentur, ut v. g. quantitas, qualitas &c. alia autem sunt accidentia quæ ita ordinantur ad subjectum, ut tamen ordinentur ad aliquid extrinsecum tanquam ad terminum, & tale accidens est relatio prædicamentalis.

Notandum tertiò. quòd quinque conditiones requirantur ad relationem prædicamentalem, 1. est ut subjectum, cui inhæret relatio sit reale. 2. quòd in subjecto illo reali reperiatur fundamentum, quòd sit causa vel ratio, quare subjectum illud, quod secundùm se est absolutũ, ad aliud referatur item quòd terminus relationis sit realis realiter existens; Quarta est, quod extrema inter quæ versatur relatio, sint realiter etiam quoad rationes formales distincta, ejusdem enim ad seipsum, non est relatio prædicamentalis. Quinta est. quòd extrema sint ejusdem ordinis, id est quod sint ad se mutuò ordinabilia, & â se invicem dependentia. Et hæc conditio solùm requiritur pro relationibus mutuis, de quibus in sequentibus tractabo.

CONCLVSIO I.

Relatio secundùm esse constituit distinctum prædicamentum.

PRob. quia prædicamenta distinguuntur secundùm diversum modum afficiendi primam substantiam, sed relatio habet distinctum modum afficiendi primam substantiam, quia nimirum refert subiectum ad aliquod extrinsecum, quod nulli alteri accidenti convenit, ergo constituit distinctum prædicamentum.

CONCLVSIO. II.

Relatio tam secundùm communem rationem *in quàm etiam secundùm propriam* rationem *ad, est verum ens reale,*

Probatur.

PRobatur. quia relatio tam secundùm communem *rationem in*, quàm secundùm propriam *rationem ad* inhæret subjecto, sed quidquid inhæret subjecto, est ens reale, ergo relatio est verum ens reale. prob. min. quia relatio secundum *esse ad*, est verum accidens ex novem prædicamentis, sed accidens contentum sub novem prædicamentis realiter inhæret subjecto, ergo relatio secundum *esse ad*, verè inhæret subjecto.

Confirmatur. Ens divisum in decem genera prædicamentorum est verum ens reale, sed relatio secundùm *esse ad* continetur sub ente diviso in decem genera prædicamentorum, ergo relatio secundùm *esse ad* est verum ens reale.

CONCLUSIO III.

Ad hoc prædicamentum spectant solæ relationes reales creatæ.

PRob. quia hæ solæ relationes creatæ possunt distincto modo afficere primam substantiam, â quâ distinguuntur, ergo ad hoc prædicamentum, &c.

Ex hac conclusione colligitur, quòd licet relationes increatæ & Divinæ sint veræ relationes, quia tamen realiter identificantur cum naturâ Divinâ, hinc non sint accidentia sed substantiæ, adeoque in hoc prædicamento non sunt ponibiles, in quo solùm relationes illæ, quæ accidentia sunt distincta â substantia, collocantur.

CONCLUSIO IV.

Tria tantùm sunt genera fundamentorum, seu rationes fundandi relationem prædicamentalem, scilicet unitas & numerus, actio & passio, mensura & mensurabile. Ita Aristoteles 5. Metaph. c. 15. & S. Th ibid. lect. 17.

PRob. Tot sunt fundamenta relationum, quot modis contingit unam rem â parte rei ordinari ad aliam, sed hoc tantùm potest fieri tribus prædictis modis, ergo tria tantum sunt &c. Major patet quia relatio nihil est aliud, quam ordo & respectus unius rei ad aliam, minor autem probatur. nam una res potest ad aliam

aliam ordinari, vel secundùm esse, prout scilicet esse unius dependet ab alio tanquam â mensura suæ perfectionis. & hoc modo consurgit tertium genus relationis, scilicet mensura & mensurabile. Vel una res ordinatur ad aliam, ut dependens ab illa secundùm virtutem activam aut passivam, in quantùm nimirum una res ab aliâ aliquid recipit, vel alteri aliquid confert, ut Pater & filius; & ita habetur secundum fundamentum scilicet actio & passio. Vel tandem una res ordinatur ad aliam & dependet ab illa, quatenus quantitas (puta virtutis) habet convenientiam cum altera, & ita habetur primum fuudamentum scilicet unitas & numerus. nam ea quæ conveniunt, quatenus conveniunt dicuntur quasi *esse unum*; in quantùm autem disconveniunt videntur facere numerum: Sed præter hos modos ordinandi unam rem ad aliam, non dantur alij modi, ergo tantum tribus modis contingit, unam rem â parte rei ordinari ad aliam.

Arguitur primo contra primam & secundam conclusionem simul. quodlibet prædicamentum accidentis debet participare secundùm propriam rationem, formalitatem accidentis, sed relatio secundùm propriam rationem non participat formalitatem accidentis, ergo relatio nec est ens reale, nec constituit distinctum prædicamentum. prob. min. quia formalitas accidentis est inesse subjecto, sed relatio secundùm propriam *rationem ad* non dicit inesse subjecto, sed tantùm dicit ordinem ad terminum, ergo.

Resp. neg. minorem. ad probationem distinguitur min. sed relatio secundum propriam rationem non dicit inesse subjecto secundùm conceptum suum explicitum, conceditur min. secundùm conceptum suum implicitum, neg. min. ergo non participat communem rationem accidentis, eam explicite exprimendo, conceditur consequentia. ita ut illam nec implicitè includat, negatur consequentia. Dico ergo, quòd quia *esse ad* est verum accidens, hinc verè relatio secundùm suum *esse ad*, inest subjecto, in isto tamen conceptu *ad* non exprimitur communis ratio accidentis, quod est inesse subjecto.

Contra. relatio est cujus totum suum esse est ad aliud se habere, sed id cujus *totum esse* est ad aliud se habere, nec implicite dicit

ineſſe ſubjecto, ergo relatio nec implicitè includit ineſſe ſubjecto.

Reſp. definitionem relationis intelligendam eſſe, quod relatio ſecumdum ſuum conceptum explicitum totum ſuum eſſe ad aliud habeat, cum quo tamen ſtat, quod implicitè adhuc dicat ordinem ad ſubjectum cui ineſt.

Dices: ergo etiam ſcientia erit relatio. prob. conſeq. quia etiam ſcientia ineſt ſubjecto & dicit reſpectum ad aliud ſcil. objectum.

Reſp. neg. conſeq: ad prob. Reſp. quòd ſcientia dicat reſpectum ad objectum non tanquam ad purum terminum, ſed cum ſit qualitas, ordinat ſubjectum ad objectum, non purè illud in ratione termini reſpiciendo, ſed illud cognoſcendo, adeoq; totum eſſe ſcientiæ non eſt ad aliud tanquam ad terminum, adeoque nec eſt relatio. ubi tamen.

Nota. quod hæc ſolutio intelligenda ſit de ſcientia ſecundùm ſuam rationem eſſentialem & ſpecificam conſideratâ, ſic enim eſt accidens abſolutum dicens tantum ordinem tranſcendentalem. Poteſt tamen ſcientiæ in ſua ratione eſſentiali conſtitutæ ſupervenire quidã ordo accidentalis ſeu relatio prædicamentalis ad ſuum objectum; ita ut juxta hanc rationem non reſpiciat ſcibile tanquam cauſam vel objectum, ſed præcisè ut terminum. & ita etiam ſcientiæ poterit competere relatio realis prędicamentalis, quando illius objectũ erit reale *actu realiter exiſtens*, cum ſit relativum tertij generis.

Arg. ſecundò. relatio non dicit aliquam realitatem diſtinctam ab alijs, ergo non eſt ens reale conſtituens diſtinctum prædicamentum. prob. antec. quia duo homines albi omni relativo remoto dicuntur ſibi ſimiles, ergo.

Reſp. quòd tales homines ſolùm dicerentur ſine relatione ſimiles fundamentaliter, non autem dicerentur formaliter ſimiles; quod patet exinde: quia cum albedines ſint formæ abſolutæ reales, ſimilitudo autem realis duorum ſit relativa, hinc neceſſarium eſt, quòd illi duo homines albi fiant formaliter ſimiles per relationem aliquam realem ſuperadditam.

Dices. primum album per relationem ſimilitudinis, quæ ei de novo advenit ad productionem ſecundi albi, non mutatur, ergo relatio ſimilitudinis non eſt aliquid diſtinctum.

Confirm.

Confirm. quia non videtur esse causa assignabilis hujus realis relationis similitudinis, ergo relatio non est realis.

Resp. ad primum, quòd licet primum album non mutetur mutatione physicâ strictè tali (cum ad relationem non detur perse motus, ut dicitur in physica) mutatur tamen subjectum mutatione metaphysicâ, vel etiam mutatione physica largè tali, quia ad hoc sufficit, quod illud primum album aliter nunc se habeat ac prius, quod in præsenti fit, primum enim album per resultantiam novæ realitatis similitudinis aliter se habet jam, quàm prius, cùm nunc referatur ad alterum, quod antea non habuit. Adde quod sicut passiones non producuntur physicè per actionem directè & primariò ad se terminatam, ita etiam relatio non producatur directè & per se, sed resultet ad productionem fundamenti & termini.

Resp. ad secundum. quòd causa producens relationem similitudinis inter duo alba v. g. sit is qui produxit primum album tanquam fundamentum similitudinis; & licet actio producentis primum album formaliter jam transierit, mansit tamen adhuc virtualiter, puta in virtute effectûs â se producti, scil. fundamenti seu primi albi, ad cujus positionem vnà cum termino postmodum resultat relatio, eo fermè modo, quo passiones resultant ab essentia.

Arg. 3. Relatio vagatur per alia prædicamenta, ergo nõ est distinctum prædicamentum. prob. antec.; nã relatio invenitur in substantia, (v.g.) in homine est relatio paternitatis, item in quantitate est relatio æqualitatis, & in qualitate relatio similitudinis, ergo.

Resp. quòd relatio solùm ratione sui fundamenti vagetur per alia prædicamenta, quia scil. fundamentum relationis quandoque est substantia, quandoq; quantitatis &c. ratione autem suæ intrinsecæ formalitatis spectat solùm ad unicũ prædicamentũ relationis.

ARTICVLVS II.

Utrum relatio realis prædicamentalis distinguatur realiter à suo fundamento?

TItulus non procedit de relatione transcendendi, quia hæc est ipsamet res ut ab alio dependens, idem autem â se ipso realiter distingui nequit. quæritur etiam hîc specialiter de fundamen-

damento proximo & non de fundamento remoto, quia etiam certum est relationem distingui à fundamento remoto.

CONCLVSIO.

Relatio prædicamentalis distinguitur realiter à suo fundamento proximo. Ita S. Th. 1. p. q. 28. a. 2. ad 2.

PRob. ea quæ spectant ad diversa prædicamenta, distinguuntur realiter; sed relatio & fundamentum spectant ad diversa prædicamenta ergo distinguuntur realiter. major patet ex dictis, quia omnia prædicamenta, cùm habeant distinctum modum afficiendi primam substantiam, debent distingui realiter. Prob. min. quia quodvis prædicamentum (si induat unam rationem ex tribus fundamentis positis) potest esse fundamentum relationis, exceptâ solâ relatione, quarum vna ratione suæ minimæ entitatis, & ne detur maximus processus, non potest fundari super aliam. ergo.

Confirm. relatio potest produci aut corrumpi, non producto de novo, vel corrupto fundamento, ergo dist. realiter à fundamento. Consequentia patet, quia realis separatio duorum est signum realis distinctionis. antec. autem prob. quia posito primo albo tanquam fundamento, si ponatur secundum album, statim consurgit relatio, & tamen non producitur de novo primum album. Similiter si corrumpatur secundum album, destruitur relatio, & tamen non destruitur fundamentum, ergo.

Arg. primò. ex hac sententia sequeretur quòd Deus possit separare relationem à fundamento, & consequenter Deus à duobus albis posset separare relationem similitudinis, sed hoc est falsum, ergo & antecedens. sequela prob. quia Deus potest separare ea, quæ sunt realiter distincta; ergo.

Resp. neg. sequelam. ad probationem neg. antec., non enim omnia quæ sunt realiter distincta, à se separari possunt, sicut materia prima est realiter distincta â forma, & tamen non potest realiter separata existere sine omni forma. vnde licet realis separatio sit signum realis distinctionis, non tamen realis distinctio est signum semper realis separationis.

Resp.

Respondetur secundò concessa majore, neg. min. in tali enim casu illa duo alba solùm essent fundamentaliter, non autem formaliter similia, ut ante dictum est.

Arguitur secundò. si relatio sit realiter distincta â suo fundamento, sequitur, quod pullex per unum saltum acquireret plurimas relationes reales, & omnes res in mundo existentes mutarentur, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. sequela probatur. nam pullex per saltum diceret relationem distantiæ ad omnes res in mundo, & ècontra omnes res in mundo dicerent diversam relationem distantiæ ad pullicem, ergo.

Resp. pullicem in illo casu unam tantùm relationem dicere ob unitatem subjecti, cum quo tamen stat, quòd hæc unica numero relatio se se extendat ad plurimos terminos, sicut eadem scientia extendit se ad diversas conclusiones. Similiter etiam omnes res in mundo existentes dicunt diversam relationem distantiæ ad pullicem saltantem. Sicut enim in toto imperio vel regno ad productionem unius Regis vel Imperatoris multa millia hominum dicunt relationem realem ad illum Regem vel Imperatorem: ita similiter, non est inconveniens omnes res mundi dicere relationem realem ad illam distantiam pullicis saltantis, & consequenter nec implicat omnes res mundi mutari mutatione metaphysicâ ad saltum unius pullicis, quæ mutatio, licet sensibus non appareat, apparet tamen intellectui.

Arguitur 3. S. Thomas opusculo quadragesimo octavo, textu quinto capite secundo ait: similitudo Sortis non est alia res ab ipso Sorte, sed similitudo est relatio, & Sortes est fundamentum, ergo relatio non distinguitur à fundamento.

Resp. S. Thomã solùm velle, quòd similitudo Sortis non sit alia res producta per distinctam actionem per se terminatam ad ipsam relationem. Et hoc est verum, quia cùm ad relationem non detur per se motus, sed ad positionem termini in fundamento resultet, hinc non dicitur produci distinctâ actione â fundamento, sed potiùs dicitur comproduci seu resultare & fundamenti ad positionem termini, & ita saltem ad relationem datur motus per accidens.

Dices. si relatio est quid distinctum â fundamento, debet facere compositionem realem cum illo, sed hanc non facit, ergo non est aliquid distinctum â fundamento.

Resp. neg. min. quia relatio verè facit compositionem realem cum suo fundamento, ista tamen compositio non statim apparet in conceptu explicito relationis, secundùm quem conceptum relatio solùm dicit esse *ad*, facit tamen relatio compositionem realem secundùm conceptum suum implicitum & secundum esse *in*.

ARTICVLVS III.

Vtrum relatio terminetur ad aliquid absolutum vel relativum.

NOtandum, quòd duplex sit relatio prædicamentalis, una mutua, altera non mutua: relationes mutuæ sunt, quando illa duo extrema se se invicem mutuò per distinctas relationes reales respiciunt, sicut Pater realiter respicit filium, & econtra filius Patrem. relationes non mutuæ sunt, quando unum extremum alterum realiter respicit, illud tamen econtra non respicit alterum, sicut v. g. creatura respicit realiter Deum, non tamen econtra.

Notandum 2. quòd in illo quod respicitur scilicet in termino sunt duæ formalitates, nimirum absoluta ejus substantia, & etiam ipsius relatio seu formalis terminatio v.g. in filio est ipsius substantia, & etiam ipsa filiatio. quæritur ergo hic, an relatio paterntiatis terminerur formaliter ad absolutam substantiam v. g. filij, vel potiùs ad ipsam filiationem.

CONCLUSIO. I.

Relationes mutuæ terminantur formaliter ad aliquid relativum.

PRob. correlativa mutua sunt simul naturâ & cognitione (relativis enim mutuis solum convenit hæc proprietas) sed non possunt esse simul naturâ & cognitione, nisi unum relativum ter-

terminetur formaliter ad aliud relativum, ergo. Prob. min. relativum & absolutum non sunt simul naturâ & cognitione, cùm absolutum sit simplicer prius relativo, ergo ut relativa sint simul naturâ & cognitione, debet relativum formaliter terminari ad aliud relativum.

Confirm. relatio prædicamentalis refertur ad aliud tanquam ad purum terminum, sed purus terminus est aliquid relativum respiciens id cujus est terminus, ergo relatio mutua terminatur ad aliquid relativum.

CONCLVSIO II.

Relationes non mutuæ non terminantur ad aliquid, quod ante omnem operationem intellectûs sit formaliter relativum.

Ita S. Th. q. 7. de potent. a. 10 ad 4.

PRob. relatio creaturæ ad DEUM est relatio non mutua, sed hæc relatio non terminatur ad aliquid relativum, ergo. Probatur min. quia si relatio creaturæ ad DEUM terminaretur ad aliquid relativum, quod ante omnem operationem intellectûs sit aliquid relativum, tunc illud relativum vel est rationis, vel reale? non rationis, quia relativum rationis non datur ante operationem intellectûs. Nec est relativum reale, quia si in DEO respectu creaturæ daretur realis relatio, sequeretur, quod DEO adveniret aliquid reale in tempore, & ita DEUS mutaretur, quod admitti non potest. ergo relatio creaturæ ad DEUM non terminatur ad aliquid, quod sit ante omnem operationē intellectûs formaliter relativum.

Arg. primò, contra primam concluſ. Posito fundamento & termino resultat relatio, ergo sicut fundamentum est aliquid absolutum, ita terminus est aliquid absolutum, cùm sicut fundamentum, ita & terminus relationem præcedant.

Resp. dist. antec. posito fundamento & termino materialiter acceptis resultat relatio conceditur antecedens. Posito fundamento & termino formaliter in ratione termini accepto resultat relatio, negatur antecedens & consequentia. Dico ergo, quòd terminus materialiter acceptus sit aliquid absolutum, formaliter tamen in ratione termini acceptus, est quid relativum.

Dices

Dices fundamentum præcedit relationem formaliter, & completè in ratione fundamenti, ergo etiam terminus in ratione termini præcedit relationem.

Resp. negando consequentiam, disparitas est: quia fundamentum habet se tanquam causa respectu relationis, causa autem completè debet præcedere id, respectu cujus est causa, terminus autem solùm se habet per modum conditionis respectu relationis, adeoquè non est necesse, quòd terminus completè in ratione termini præcedat relationem, sed potiùs terminus in ratione termini constituit relationem.

Arg. secundò, si relatio terminaretur ad aliquid relativum, sequeretur quòd unum relativum non posset definiri per alterum, sed hoc est falsum, cùm Pater definiatur per ordinem ad filium, & è contra, ergo & id unde sequitur: sequela prob. quia definitum definitur per aliquid prius & notius se ipso, sed si relatio mutua terminarerur ad aliquid relativum, tunc unum relativum non esset prius & notius altero, cùm relativa sint simul naturâ & cognitione, ergo.

Resp. negando sequel. ad prob. dicitur, hoc esse speciale in relationibus mutuis, quòd definitiones ipsarum non constent ex notioribus & prioribus, sed ex æquè notis, cùm relativa sint simul naturâ & cognitione, unde magis illa relativa condefiniuntur, & nnum definitur in ordine ad aliud, quàm quòd unum definiatur per aliud. Neque per hoc quòd Pater definiatur per filium, & econtra, committitur circulus formalis aut uniformis, sed solùm fit circulus materialis & difformis, quia non secundùm eandem omnino formalitatem se invicem definiunt & definiuntur. Nam pater definitur per filium, quatenus filius habet rationem terminandi, & è contra definitur filius per patrem, quatenus filius habet rationem respiciendi patrem tanquam fundamentum hujus relationis.

Arg. tertiò, contra secundam concluf. relativa sunt simul naturâ & cognitione, sed si relativa non mutua terminarentur ad aliquid absolutum, tunc non essent simul naturâ & cognitione, ergo relationes non mutuæ terminantur ad aliquid relativum. minor probatur, quia absolutum est prius relativo, ergo. Resp

Resp. cum S.Thoma q.7. de pot. art. 8. ubi ait. quòd illa relativa sint simul naturâ, quæ pari ratione mutuò referuntur, sicut pater ad filium, dominus ad servum, illa autem relativa, in quibus non est eadem ratio referendi ex utraque parte, illa inquam non sunt simul naturâ, sed alterum est prius materialiter; sicut patet in scientia & scibili, Deo & creaturâ. Hæ S. Doctor. in relationibus ergo non mutuis relativa non sunt simul naturâ, adeòque non est necesse, terminum illorum esse formaliter aliquid relativum; sed solùm est aliquid relativum materialiter, in quantum nimirum est extremum, ad quod aliquid relativum formaliter tale refertur. Potest tamen admitti, quòd illud extremum absolutum terminans relationem non mutuam sit simul naturâ, non quidem secundùm se, & secundùm suam entitatem consideratum, sed quatenus formaliter ab alio relativo est respectum. Nam scibile v.g. licèt secundùm se acceptum prius sit scientiâ, formaliter tamen sub ratione respecti seu attacti à scientia, sic inquam non est prius naturâ quàm ipsa scientia, sed est simul cum scientia, cum esse attactum seu respectum nequeat dari, nisi etiam detur attingens & respiciens. Sicut licèt mea manus sit prius flore hodie producto, mea manus tamen ut attingens florem hodie productum, non est prior flore hodie producto & ut à me attacto.

ARTICVLVS IV.

Vnde desumatur unitas numerica & specifica relationum?

SEnsus quæsiti est, unde habeat relatio, quòd sit unius speciei, & non alterius speciei? item unde relatio habeat, quòd tantùm sit una numero?

CONCLVSIO I.

Relatio habet unitatem specificam tum ex unitate specifica fundamenti, tum ex unitate specifica termini; à fundamento quidem tanquam à causa, radice & principio specificante, à termino autem formaliter ut complente & terminante rationem specificandi.

PRobatur, ab illis desumitur ratio specifica relationis, quæ necessariò ad rationem essentialem relationis concurrunt, sed tam fundamentum quàm terminus concurrunt essentialiter ad relationem, ergo relatio habet unitatem specificam, &c. mi. prob. nam. relatio est ordo unius ad aliud, cùm sit id, cujus totũ suum esse est ad aliud se habere, ergo tam fundamentum quàm terminus requiritur ad relationem, fundamentum quidem tanquam id, à quo incipit relatio, seu id cujus esse est ad aliud; terminus autem tanquam id ad quod refertur, & in quo ultimatè sistit.

CONCLUSIO II.

Relatio habet suam unitatem & distinctionem numericam à subjecto cui inhæret. Ita expressè S. Th. 3. p. q 35. a. 5.

PRobatur, ab eo aliquid habet unitatem numericam, à quo habet esse, sed relatio habet esse à subjecto, ergo etiam habet unitatem numericam à subjecto, maj. pat. nam unum & ens identificantur, idemq; est principium unitatis & entitatis ergo.

Confir. Omne accidens habet unitatem numericam à subjecto, sed relatio est accidens, ergo habet unitatem numericam à subjecto. prob. maj. nam sicut unitas formalis & specifica desumitur à forma, sic unitas numerica à materia (ob id enim vocatur unitas materialis) sed materia accidentium est ipsum subjectum, cùm accidentia aliam materiam intrinsecam, ex qua componantur, non habeant, ergo.

Arguitur primò, contra primam conclusionem. relationes paternitatis & maternitatis sunt specie distinctæ, sed hæ relationes terminantur ad unicum terminum, nimirum ad filium, ergo unitas & distinctio specifica relationis non sumitur ab unitate specifica termini.

Resp. dist. maj. relationes paternitatis & maternitatis sunt relationes completæ & adæquatæ neg. maj. Sunt relationes incompletæ & inadæquatæ conc. maj. & concessa minore, dist. conseq. ergo distinctio specifica relationum incompletarum non exigit terminos diversos conc. conseq.: relationum completarũ neg. conseq.

dico

dico ergo. quòd pater concurrat per modum principij activi, mater autem per modum principij passivi ad generationem, & ita pater & mater dicunt duas relationes partiales & inadæquatas, ex quibus ambabus vna integra relatio, & integrum filiationis correlativum coäleſcit.

Arguitur ſecundò. relatio ſimilitudinis & diſſimilitudinis, ſunt relationes completæ & ſpecie diſtinctæ, ſed hæ relationes poſſunt habere unicum terminum, ergo diſtinctio ſpecifica relationum non habetur à diſtinctione ſpecifica termini. prob. min. quia album A poteſt referri ad album B, item ad hoc album B etiam poteſt referri aliquod nigrum relatione diſſimilitudinis, ſed in tali caſu albũ B eſt unicus terminus relationis ſimilitudinis & diſſimilitudinis, ergo.

Reſp. conceſſa maj. diſt. min. ſed hæ poſſunt habere eundem terminum materialiter acceptum conced. min. formaliter acceptũ neg. min. & conſeq. album enim B. terminat relationem albi A. quatenus habet convenientiam cum illo, terminat autem nigrum, quatenus dicit diſconvenientiam cum illo. Unde album B. quatenus terminat relationem ſimilitudinis & diſſimilitudinis, eſt ſolùm materialiter unum, ſed tamen formaliter eſt diverſum.

Arguitur tertiò. Omne ſpecificativum eſt prius ſpecificato, ſed terminus non eſt prior relatione, ergo terminus non poteſt ſpecificare relationem. min. prob., quia terminus & relatio ſunt ſimul naturâ, ergo.

Reſp. quòd ſpecificativum per modum cauſæ ſeu cauſantis ſpecificationẽ, debeat eſſe prius re ſpecificatâ, & hoc modo fundamentum ſpecificat relationem, id tamen, quod ſolùm ſpecificat per modum termini complentis & terminantis formaliter ſpecificationem, hoc non eſt neceſsè, quòd ſit prius re ſpecificatâ, & hoc ſecundo modo terminus ſpecificat relationem.

Arg. quartò contra ſecundam concluſionẽ. in eodem patre habente plures filios datur relatio paternitatis, ſed illâ relatio paternitatis non eſt una, ergo relatio non accipit ſuam unitatem numericam à ſubjecto. prob. min. quia ſi in patre habente plures filios ſolùm eſſet una relatio paternitatis, ſequeretur, quòd ſi ſolùm unicus filius moriatur, ſtatim periret talis paternitas; ſed conſeq. eſt

falsum, ergo prob. sequela. quia pereunte termino relationis, perit relatio, ergo.

Resp. quòd pereunte termino adæquato relationis etiam pereat relatio, secus autem si solùm pereat terminus inadæquatus, qualis est unicus filius, qui moreretur.

Contra. pereunte termino adæquato relationis, perit etiam relatio, (ut dictum est) sed omnes filij simul sumpti sunt terminus adæquatus, ergo unico eorum pereunte, & non existentibus omnibus, etiam periret ipsa relatio.

R. dist. maj. pereunte termino adæquato specificationis & formali, etiã perit relatio, conce. maj. pereunte termino adæquato materiali & extensionis, quales sunt omnes filij, neg. maj. & sic dist. min. neg. conseq. quia ratio filij absolutè, sive se extẽdat ad unũ, sive ad plures filios, est termin' formalis specificationis ipsius paternitatis.

Arg. ultimò. Pater habens unum filium, refertur ad ipsum, & dum nascitur secundus filius advenit etiam patri nova relatio, ergo pater ille habet duas relationes paternitatis ad duos filios.

Resp. dist. antec. & dum nascitur secundus filius advenit ei nova relatio, quæ sit nova solùm secundùm extensionem conc. antec. quæ sit nova relatio entitativè distincta à priori relatione, neg. ant. & conseq. unde sicut lux modò plures modò pauciores homines illuminat, ita eadem numero paternitas, modò ad plures, modò ad pauciores filios se se extendit.

Dices. posito novo fundamento & termino, resultat nova relatio, sed genito secundo filio habetur novum fundamentum & novus terminus, ergo etiam nova relatio.

Resp. dist. maj. Si subjectum sit capax novæ relationis, conced. maj. si sit incapax neg. maj. , & concessa min. similiter dist. conseq. dico ergo, quòd cùm duæ paternitates non possint esse in eodem subjecto, (cùm duo accidentia solo numero distincta in eodem subjecto esse nequeant,) hinc genito secundo filio non producitur nova relatio paternitatis, sed solùm præcedens extenditur.

Quæres quot sint proprietates relationum ?

Resp. quatuor. prima est, habere contrarium, quod tamen non convenit relationi secundùm se, quia ad eam non datur per se motus,

tus, sed solùm ratione fundamenti, quod quandoq; habet contrarium & potest susci pere magis & minus.

Secunda est, susci pere magis & minus, nõ secundùm se, quia est indivisibilis, sed ratione fundamenti, in quo datur latitudo graduũ.

Tertia est. quòd relativa dicantur ad convertentiam, ut dominus alicujus servi est dominus, & servus alicujus domini est servus.

Quarta est. quòd relativa sint simul natura & cognitione, nam eo ipso quòd est Pater, etiam est filius, & econtra. Et cùm unum relativum specificetur ab alio, & definiatur per ordinem ad aliud, hinc dum cognoscitur unum relativum, cognosci debet & alterum, adeoq; sunt simul cognitione & natura, id est simul existunt. Et hæc proprietas relationibus mutuis solùm convenit, quamvis in sensu explicato in præcedenti articulo, etiam relativis non mutuis convenire possit.

QVÆSTIO XIV.

De prædicamento qualitatis.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit qualitas?

CONCLUSIO I.

Qualitas bene definitur; quòd sit accidens completum modificativum seu determinativum substantiæ in se ipsa.

PRob. concl., explicando singulas particulas; ly accidens habet locum generis. Per ly completum differt à modis; per reliquas particulas differt ab alijs accidentibus. nam quantitas non est motificativa substantiæ, sed potiùs eandem materializat, redditq; determinabilem per alia accidentia. reliqua autem accidentia prædicamentalia non modificant aut determinant substantiam in se ipsa, sed solùm in ordine ad aliquid extrinsecum, v.g. *relatio* in ordine ad terminum; *quando* in ordine ad tempus; *habitus* in ordine ad indumentum: *actio* transiens in ordine ad passum; *passio* in ordine ad effectum; *ubi* & *situs* in ordine ad locum, & ideo reliqua accidentia non dicuntur simpliciter esse qualitates.

CONCLUSIO II.

Quatuor sunt species qualitatis, nimirum habitus & dispositio, naturalis potentia & impotentia, passio & passibilis qualitas, forma & figura. Ita desumitur ex S. Th. 1 2. q. 49. a. 2.

EXplicantur hæ species. habitus nihil est aliud, quàm qualitas quædam ex natura sua difficilè (secundùm quam subjectum bene vel malè se habet) mobilis à subjecto, habens causas firmas suæ immobilitatis, v. g. scientia est habitus, quia ex natura sua est difficilè mobilis à subjecto, habens causas firmas, id est principia necessaria, certa & evidentia, exquibus immobilitas provenit.

Dispositio autem est qualitas ex natura sua facilè mobilis à subjecto, secundùm quam subjectum bene vel malè se habet, ut v. g. levis aliqua infirmitas.

Prima autem species qualitatis prout abstrahit ab habitu & dispositione, bene definitur, quòd sit qualitas secundùm quam res bene vel malè se habet in ordine ad suam naturam.

Naturalis potentia, nihil est aliud quàm principium proximum operandi, aut resistendi, sicut v. g. in homine principium proximum intelligendi & volendi est intellectus & voluntas. alij definiunt naturalem potentiam dicendo, quòd sit ordinata ad fortiter & perfectè operandum, sicut potentia visiva in juvene: naturalis autem impotentia est qualitas ordinata ad debiliter & imperfectè operandum, sicut potentia visiva in sene.

Secunda autem species qualitatis, prout abstrahit à naturali potentia, & impotentia, bene definitur, quòd sit qualitas per se ordinata ad simpliciter operandum.

Tertia species qualitatis ut sic definitur, quòd sit qualitas causans alterationem, vel causata sit ab illa. porro talis qualitas, si causet alterationem transeuntem, vel causetur ab alteratione citò transeunte, (sicut est rubor causatus ob iracundiam, vel pallor causatus ex metu) tunc vocatur *passio*. Si autem qualitas causet alterationem, vel causetur ab illa alteratione diuturnâ, permanente &

te & fixâ, ut rubor vel pallor conveniens alicui ex naturali complexione, vel fixâ & permanente infirmitate, tunc vocatur passibilis qualitas.

Quarta species qualitatis *ut sic*, est terminus extrinsecus quantitatis & definitur, quod sit qualitas ex terminatione quantitatis resultans: quod si autem ista qualitas ita resultet ex terminatione quantitatis, ut partibus tribuat aliquam speciem accidentalem farmositatis & decoris, eò quod partes debito modo in se sint dispositæ, sic habetur *forma*, quæ dat esse formale & specificum accidentale alicui rei debitè quoad suas partes dispositæ. & ab hac forma, denominatur aliquis formosus.

Si autem ista qualitas accipiatur prout præcisè & quasi mathematicè terminat extrinsecè quantitatem, absque eo, quod consideretur talis proportio debita & formositas, sic est *figura*, ut v. g. figura circularis vel triangularis.

ARTICULUS II.

Quomodo distinguantur istæ species qualitatis inter se?

CONCLUSIO I.

Habitus & dispositio distinguuntur inter se essentialiter. Ita S. Th. 12. q 49. a 3.

PRob. esse difficilè & facilè nobile *ex natura sua & principiis intrinsecis* differunt essentialiter, sed habitus ex *natura sua & principiis intrinsecis est* difficilè mobilis, econtra autem dispositio ex natura sua facilè mobilis. ergo. min. pat. ex definitionibus datis.

CONCLUSIO. II.

Naturalis potentia ab impotentia, passio à passibili qualitate, & forma à figura solùm differunt accidentaliter.

PRob. 1. & 2. Pars. quia quæ differunt penes magis & minus perfectum intra eandem speciem, vel penes magis & minus durare ex eadem causa, solùm differunt accidentaliter, sed naturalis potentia ab impotentia solùm differt penes magis & minus

minus perfectum intra eandem speciem v. g. penes magis & minus perfectè videre, passio autem & passibilis qualitas solùm differunt penes magis & minus durare, v. g. penes diu vel modicum rubere, ergo naturalis potentia ab impotentia, & passio à passibili qualitate solùm differunt accidentaliter.

Prob. 3. Pars. nam eadem figura v. g. triangelaris, quatenus dat speciem rei artificiatæ v. g. cathedræ, dicitur forma, quatenus autem absolutè intelligitur extrinsecè terminare quantitatem talis cathedræ, sic dicitur figura, ergo forma & figura prout hic sumuntur, solùm differunt accidentaliter.

Arguitur 1. contra primam. dispositio potest fieri habitus, ergo non distinguitur essentialiter ab habitu. conseq. patet, quia una species essentialiter distincta non potest fieri alia. ant. autem prob. febris est dispositio, & tamen successu temporis fit hectica fitquè difficilè mobilis â subjecto, ergo dispositio fit habitus. prob. conseq. quia habitus nihil est aliud quàm qualitas difficilè mobilis â subjecto, ergo si febris fiat difficile mobilis, fiet habitus.

Resp. dist. ultimum ant. habitus est difficilè ex natura sua mobilis à suo subjecto, conced. ant. est difficile mobilis solùm ab extrinseco & per accidens negatur ant. & conseq. Dico ergo, quòd licèt dispositio subinde per accidens & ab extrinseco ratione subjecti, in quo est, sit difficile mobilis â subjecto, ex *natura* tamen *sua* semper est facilè mobilis & ideo nunquam dispositio potest fieri habitus, vel econtra.

Dices. differentia essentialis nec per accidens potest alteri convenire ut patet in rationali, quod nec per accidens bruto convenit, ergo nec difficilè mobile per accidens convenire potest dispositioni.

Resp. quòd differentia essentialis, eo modo, quo differentia essentialis est, nec per accidens alteri convenire possit. unde quia difficile mobile *ex sua uatura solum*, est differentia essentialis habitus, hinc esse difficile mobile *ex natnra sua* nec per accidens dispositioni convenit, sed solum convenire potest dispositioni esse difficile mobile *per accidens ratione subiecti*, sub qua ratione non est differentia essentialis ipsius habitus.

Arg

Arg. 2. Actus immanens scientiæ logicalis est dispositio, sed ille actus non distinguitur essentialiter ab habitu scientifico, ergo habitus & dispositio non distinguuntur essentialiter. prob. min. quia illa nou distinguuntur essentialiter, quæ versantur circa idem objectum, sed habitus logicalis & actus logicalis versantur circa idem objectum, ergo.

Resp. dist. maj. quæ versantur circa idem objectum non distinguuntur essentialiter, si consideretur iste ordo ad objectum conced.maj. si consideretur ordo ad subjectum, quod mobiliter vel immobiliter qualificant neg. maj. & conces. min. distinguitur conseq. ergo habitus & dispositio non distinguuntur essentialiter si consideretur ordo ad objectum logicæ conced. si consideretur ordo ad snbjectum quod qualificant neg. conseq.

Arg. 3. Passio habet causas facile mobiles à subjecto, passibilis autem qualitas habet causas difficile mobiles à subjecto, ut patet in homine pallido ex natura, & in homine pallido ex metu, ergo passio & passibilis qualitas distinguuntur essentialiter, sicut habitus & dispositio.

Resp. quod passio ex natura sua non petat causam facile mobilem, nec passibilis qualitas causam difficile mobilem. sed hæc per accidens omnino se habent,&solùm proveniunt ex conditione subjecti.habitus autem & dispositio *ex natura sua* petunt causas intrinsecas & firmas suæ immobilitatis & mobilitatis,& ideo habitus & dispositio distinguuntur essentialiter, non autem passio & patibilis qualitas.

Quæres quot sint proprietates qualitatis?

Resp. Tres, prima est, habere contrarium, ut calori contrariatur frigus, quæ tamen proprietas non convenit omni qualitati quia lux non habet contrarium.

Secunda est suscipere magis & minus, quæ etiam non convenit omni qualitati, quia figura non suscipit magis & minus.

Tertia est, quæ maximè propriè qualitati convenit, quod sit fundamentum similitudinis & dissimilitudinis, sicut albedo est similis nivi, dissimilis autem corvo, illa autem quæ habent eandem quantitatem non dicuntur propriè similia, sed solùm dicuntur æqualia.

QUÆSTIO XV.

De sex ultimis prædicamentis.

ARTICVLVS. I.

An sex ultima prædicamenta consistant in denominatione extrinseca?

CONCLUSIO.

Sex ultima prædicamenta non consistunt in denominatione extrinseca; sed in modo quodam accidentali intrinseco ex aliquo extrinseco in subjecto relicto. Ita S. Thomas Opus. 48. tract. de 6. principijs.

PRob. 1. p. quia denominationes extrinsecæ non dicunt naturam realem distinctam à forma intrinseca, sicut esse visum non dicit naturam realem distinctam à visione intrinsecè existente in oculo, sed formæ illæ extrinsecæ, à quibus tales denominationes sex ultimorum prædicamentorum proveniunt, sunt aliquid spectans ad reliqua prædicamenta, vestis v. g. ad prædicamentum substantiæ, locus & tempus ad prædicamentū quantitatis &c. ergo si sex ultima prædicamenta consisterent in denominatione extrinseca, non dicerent naturas aliquas reales ab alijs prædicamentis distinctas, & ita destrueretur numerus prædicamentorum (quæ debent habere naturas diversas) quod tamen admitti non debet.

Prob. 2. p. quia *ubi* est aliquod accidens intrinsecum resultans in corpore ex eo, quod ambiatur ab aliquo extrinseco scilicet à loco. similiter *quando* non est ipsum tempus, sed est aliquid relictum in re durante ex applicatione temporis. & sic de cæteris: quia tamen hæc accidentia sunt ita minimæ entitatis, & à rebus extrinsecis *originativè* dependent, ut sine illis existere nequeant, ideo de ipsis loquuntur philosophi, ac si essent denominationes extrinsecæ.

CONCLUSIO II.

Sex ultima prædicamenta non sunt formæ relativæ, sed absolutæ.

Prob.

PRob. quia aliàs tantùm essent quatuor prædicamenta, quod tamen est falsum.

Confir. Relatio est, cujus totum esse est ad aliud se habere ut ad purum terminum, sed sex ultima prædicamenta, licèt dicant ordinem ad aliud tanquam ad *principium* vel *causam*, non tamen dicunt ordinem ad aliud ut *ad purum terminum*, ergo sex ultima prædicamenta non sunt formæ relativæ prædicamentales; esto relationem transcendentalem dicant.

Arg. 1. contra 1. Ex eo præcisè, quod aliquis habeat vestem extrinsecè sibi applicatam, dicitur vestitus, & ex eo quod aliquis sit circumscriptus à loco extrinseco, dicitur esse in loco, & sic de cæteris ergo malè dicitur, quod sex ultima prædicamenta, præter illud extrinsecum, dicant aliquem modum intrinsecum, qui intrinsecè & formaliter aliquid denominet.

Resp. Quod ex mensuratione vel adjacentia præcisè extrinseca loci, temporis, aut vestis, non dicatur homo esse in loco, tempore, aut vestitus formaliter, sed tantùm originativè vel radicaliter seu materialiter, & ideo ille modus intrinsecus requiritur ad hoc, ut aliquid formaliter dicatur esse locatum aut vestitum &c.

Arg. 2. contra 2. Relatio est, quæ dicit ordinem ad aliud, sed *ubi* dicit ordinem ad locum, *quando* ad tempus, *habitus* ad vestem, ergo *ubi quando* & *habitus*, sunt formæ relativæ.

Resp. ex dictis. quod relatio dicat ordinem ad aliud tanquam ad purum terminum, *ubi* autem, *quando* & *habitus* non sic dicunt ornem ad aliud tanquam ad purum terminum, sed solùm tanquam ad causam vel principium, & ideo ad summum sunt relationes transcendentales & non prædicamentales.

Dices sola relatio prædicamentalis requirit existentiã alterius extremi, sed *ubi*, *quando* & *habitus* etiam requirunt existentiam alterius extremi, quod respiciunt, ergo sunt relationes prædicamentales.

Resp. quod relatio requirat existentiam alterius extremi respecti per modum puri termini, licèt autem *ubi*, *quando* & *habitus* requirant existentiam loci, temporis, & vestis, non tamen hæc respiciunt per modum puri termini, & ideo non sunt relationes prædicamentales sed solùm transcendentales.

ARTICVLVS II.

In quo peculiaris ratio horum sex prædicamentorum explicatur.

QUær. 1. in quo consistat prædicamentũ actionis & passionis? Resp: actionem consistere in hoc, quod sit actus secundus operantis ut emittit & producit effectũ in materia externa, passio autem consistit in illa receptione, qua forma est in passo ex actione agentis & producentis, ut in manu ipsa receptio caloris, prout ab igne calefaciente infertur, dicitur formaliter passio. Ex quo fit quod supremum genus prædicamenti actionis consistat in hoc, quod sit emanatio & veluti egressus ab agente in passum seu in materiam externam, prædicamentum autem passionis non consistit in receptione cujuscunque, sed solùm est receptio formæ, seu actus ab agente producti, in materia externa. Solet etiam definiri actio, quod sit motus ut ab agente proveniens, passio autem quod sit motus ut receptus in passo.

Notandum hîc, quod actio sit duplex, nimirum actio immanens, quæ recipitur in eadem potentia, à quâ elicitur. ut v.g. visio, intellectio. volitio &c. & actio transiens, quæ non recipitur in subjecto eam eliciente, sed tolùm recipitur in passo, ut calefactio in ligno, vel manu. Ad hoc autem prædicamentum solùm spectant propriè loquendo actiones, transeuntes. Et ratio hujus est, quia actio quæ huc pertinet, in suo conceptu petit, ut sit emissio alicujus effectus, sed actio formaliter immanens hoc non habet, quia tantùm est actus secundus, quo fit formaliter potentia cognoscens, videns aut volens, cognoscere autem, videre, vel velle, propriè non est agere, cum non dicat ex se egressionem alicujus effectus. intellectio tamen producens *verbum mentis* seu speciem *expressam*, aliquomodo huc spectare potest.

Dividitur deinde actio ratione termini in substantialem, quæ scil. habet terminum substantialem & accidentalem, quæ nimirum habet terminum accidentalem.

Rursus dividitur in actionem successivam, quæ fit in tempore ut calefactio; & in instantaneam quæ fit in instanti ut generatio, illuminatio &c.

Propri-

Proprietates actionis & passionis sunt, habere contrarium, & susciperе magis & minus, quod eis convenit non ratione sui, sed solùm ratione terminorum, unde illæ actiones sunt contrariæ, quarum termini sunt contrarij.

Tertia est, quod actio *successiva* semper sit annexa motui.

Quarta est, quod actio semper inferat passionem & econtra, & hæc convenit soli actioni transeunti & prædicamentali.

Quær. 2. in quo consistat prædicamentū *ubi*? ante Resolutionē.

Notandum quod *ubi* sit duplex, unum circumscriptivum, & *ubi* definitivum. *Vbi* circumscriptivum est aliquod accidens intrinsecum resultans in re locata ex eo, quod à corpore extrinseco ambiente circumscribatur, ita ut totus locus correspondeat parti corporis locati. Ita colligitur ex Gilberto opusculo de sex principijs. *Vbi* autem definitivum est, quod non provenit â loco extrinseco ambiente, facit tamen rem aliquam ita esse in loco, ut ex modo essendi, quem habet in loco, repugnet eidem esse in alio loco, ita nimirum, ut res locata totaliter correspondeat toti loco, & tota cuilibet parti loci, ad eum modum, quo tota anima est in toto corpore, & tota in quavis parte corporis. & hoc *ubi* definitivum proprium est creaturarum spiritualium. Angelus enim, qui occuparet totam ecclesiam sancti Stephani, esset totus in tota ecclesia, & totus in quavis parte ecclesiæ, cum Angelus careat partibus & omnino sit indivisibilis. hoc præmisso.

Resp. ad quæsitum, quod supremum genus hujus prædicamenti sit solum *ubi* circumscriptivum, non autem *ubi* definitivum.

Ratio est. quia in hoc *ubi* circumscriptivo omnia corpora conveniunt, quæ sunt contenta ab ipso loco. Angelus autem licèt sit in loco, & habeat *ubi* definitivum, non tamen est in loco tanquam aliquid *contentum â loco* (cum Angelus quantitativus non sit) sed potiùs est in loco tanquam *continens locum seu ut agens in ipsum*, quia Angelus est in loco, quatenus circa illum aliquid efficit, v. g. motum, illuminationem & similia, ut docent Thomistæ.

Porro solet dividi hoc *ubi* circumscriptivum in sursum, deorsum, ante & retro, dextrorsum & sinistrorsum.

Proprietates ejus sunt duæ nimirum quod ratione sui (benè

tamen ratione corporis locati, cui repugnat esse in pluribus locis) nil sit contrarium, sicut *esse ubicatum in Schola* ratione sui non repugnat ipsi *esse ubicatum* in ecclesia. 2. est, quod ubi non suscipiat magis & minus, quia unum corpus non dicitur esse magis ubicatum, quàm alterum.

Quæres 3. in quo consistat prædicamentum *quando?*

Resp. quod *quando*, ut est supremum genus hujus prædicamenti rectè definitur, quod sit accidens in re durante ex adiacentia temporis, â quo rei illius duratio mensuratur relictum. Vnde sicut ubi circumscriptivum resultat ex loco extrinseco circumscribente, ita etiam *quando* resultat ex tempore extrinsecè mensurante durationem rei.

Dividitur autem *quando* ex ordine ad diversas partes temporis in præsens, præteritum, & futurum cæterùm proprietates hujus prædicamenti sunt tres. prima est quod *quando* ratione sui non habeat contrariũ, quia *cras* non contrariatur hodie. 2. est non suscipere magis & minus. 3. est, quod *quando* solùm conveniat corporibus mutabilibus & variabilibus quantitatem habentibus.

Quæres 4. in quo consistat prædicamentum situs?

Resp. quod situs sit accidens quoddam intrinsecum disponens partes rei locatæ in loco, id est situs est accidens quoddam intrinsecè inhærens corpori locato, secundùm quod corpus locatum habet certo modo partes inter se dispositas & ordinatas in ordine ad locum extrinsecum, ita ut ratione hujus dispositionis una pars sit sursum, altera retrorsum, una recta altera curva &c. & quia hanc dispositionem partium in loco non facit *ubi*, hinc *situs* meritò distinguitur ab *ubi*.

Notandum hìc quòd situs sit duplex, unus naturalis quem res habet à natura, sicut homo â natura habet caput erectum. alter accidentalis, ut sedere, stare, curvari, obliquari &c.

Proprietates autem hujus prædicamenti sunt duæ. prima est habere contrarium, quia situs v. g. rectus contrariatur curvo. 2. est suscipere magis & minus, nam inter hos qui stant recti, alij alijs sunt magis recti.

Quæres ultimò. in quo consistat prædicamentum *habitus?*

Resp.

Resp. quod *habitus* benè definiatur, quod sit accidens resultans in subjecto vestito ex adiacentia indumentorum. Vnde *habitus* non est ipsa *vestis*, sed est accidens quoddam ex adiacentia mutua vestis & corporis vestiti, in corpore vestito relictum, â quo aliquis dicitur formaliter esse vestitus.

Notandum hîc, quod ad hoc ut aliquid verè sit habitus, requiratur, quod id, quod habetur sit realiter distinctum ab ipso habente, imò non debet esse pars ipsius habentis, ratione cujus pellis ursi non dicitur esse vestis ipsius ursi, quia scilicet pellis ursi est pars illi intrinsecè unita. quod si tamen animalia vestibus extrinsecis induantur, poterunt dici habituata, ut equus phaleratus vel armatus.

Porro dividitur habitus in esse vestitum, & esse armatum, quæ iterum subdividuntur in esse tunicatum, calceatum, loricatum & cucullatum.

Proprietas autem habitus est suscipere magis & minus non secundùm intensionem, sed secundùm extensionem, habens enim plures vestes, dicitur magis vestitus, quam is, qui habet pauciores vestes.

QUÆSTIO XVI.

De post prædicamentis,

ARTICULUS VNICVS.

In quo numerus & quidditas post prædicamentorum explicatur.

NOtandùm hic. quod post prædicamenta sint affectiones quædam, seu modi quidam imperfecti omnia vel saltem aliqua prædicamenta consequentes. Vnde cum hæc entia incompleta ita divagentur per omnia, vel saltem per aliqua prædicamenta, hinc ad nullum determinatè spectant, sed solùm postprædicamenta dicuntur.

Sunt autem quinquæ postprædicamenta scilicet oppositio, prioritas, simultas, motus, & modus habendi seu habere.

Quæres

Quæres primò quid sit oppositio ?

Non inquiritur hic de oppositione terminorũ seu propositionum, nam de his egi in summulis, sed inqniritur hic de oppositione rerum. hoc præmisso.

Resp. ad quæsitum cum S. Th. q. 7. de pot: a 8. ad 4. quod oppositio sit repugnantia certa & determinata, & impossibilitas, quâ aliqua eidem simul adesse nequeunt. vel brevius: oppositio est repugnantia aliquorum quæ simul eidem convenire non possunt; ubi observa, quod per ly *repugnantia* oppositio differat â distinctione.

Porro oppositio sic definita est quadruplex, scilicet contradictoria, contraria, privativa, & relativa.

Oppositio contradictoria est inter ens & non ens, seu inter formam & negationem illius absolutè, absque eo quod connotet aptitudinem ad habendam illam formam, quam negat, qualis oppositio est inter Deum & non Deum, hominem & non hominem, sedentem & non sedentem negativè acceptum.

Oppositio contraria est repugnantia duarum (v. g.) qualitatum quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto se mutuò expellunt, sicut calor & frigus.

Oppositio privativa est repugnantia inter formam & carentiam formæ in subjecto apto nato habere illam, ut inter visum & cæcitatem respectu hominis.

Oppositio relativa est repugnantia duarum relationem ad se invicem, ut inter Patrem & filium. Ex his oppositionibus, oppositio contradictoria est prima & maxima, quia in contradictoriè oppositis nulla est convenientia, cum unum extremum sit ens, & alterum sit non ens *negativè* acceptum. Deinde sequitur oppositio privativa; deinde contraria, quæ in eodem genere conveniunt, sed se mutuò ab eodem subjecto expellunt. Deinde sequitur oppositio relativa, quæ est minima, nam ejus extrema & in eodem genere conveniunt, nec ab eodem subjecto se expellunt, sed dicuntur opposita, quia contra se ponuntur, & se invicem respiciunt.

Notandum hic quòd â privatione ad habitum possit dari naturaliter regressus, si subjectum æquè indifferenter respiciat formam

mam ac privationem formæ, sicut aër indifferenter respicit lucem & tenebras; si autem subjectum respiciat privationem non immediatè sed mediantè formâ, sicut homo respicit mortem, aut privationem vitæ, mediante formâ vitæ, quæ necessariò in homine debuit præcedere, tunc inquam â talibus privationibus non datur naturaliter regressus ad habitum, v.g. non datur naturaliter regressus â morte seu privatione hominis, ad habitū seu ad esse hominis.

Quæres secundò, quid sit prius?

Respondetur quod prius sit id quod est propinquius alicui principio. modi autem prioritatis sunt quinq; . nam primò potest aliquid esse altero prius tempore. 2. naturâ, sicut essentia est prior passione. 3. ordine, ut literæ sunt priores syllabis. 4. dignitate. 5. causalitate, sicut omnis causa est prior suo effectu.

Quæres 3. quod sit simultas?

Respondetur quod sit cöexistentia unius cum altero. sunt autem tres modi simultatis, nam primò aliqua sunt simul tempore, secundo aliqua sunt simul naturâ absque hoc quòd unum sit causa alterius, ita tamen ut unum inferat alterum, sicut relativa. Tertiò dicuntur aliqua simul, quæ æquè simul dividunt genus, sicut rationale & irrationale.

Quæres quartò quid sit motus?

Respond. quod motus sit modus quidem imperfectus, quo res aliter se habet nunc ac antea, unde motus definitur, quod sit actus entis in potentia prout in potentia, id est, motus est actus imperfectus alicujus entis adhuc tendentis ad ulteriorem terminum.

Hujus autem motûs sunt sex species, prima est generatio per quam acquiritur substantia; secunda est corruptio, per quam desinit substantia. Tertia est augmentatio per quam acquiritur major quantitas, quarta est diminutio, per quam deperditur major quantitas. Quinta est alteratio per quam aquiritur qualitas. Sexta est locatio seu motus localis, per quem acquiritur ubi seu præsentia localis.

Quæres ultimò quid sit habitus?

Respondetur quod habitus, ut est post prædicamentum, derivetur ab habendo, habere autem in præsenti idem est ac quomodocunq;

docunque rem aliquam possidere, sive per inhærentiam, sive per continentiam, sive per relationem, sive alio modo; ita ut nil mediet inter rem habitam, & habentem talem rem per modum actionis aut passionis habenti applicantis, sicut inter subjectum habens quantitatem aut qualitatem, aut habens socium, non mediat aliquid per modum actionis aut passionis. Sunt autem diversi modi habendi aliquid; ut habere qualitatem, (v. g. scientiam aut albedinem) habere quantitatē v. g. tripalmarē, habere vestem in corpore, annulum in digito, habere partem in corpore, (v. g. manus aut caput) habere aliquid per modum continentis, sicut vas continet vinum; habere aliquid possidendo illud v. g. agrum, habere aliquid per quamcunque relationem ad aliud, sive convivendo, aut amicabiliter conversando, ut habere amicum, vel uxorem; Et hæc de prædicamentis & postprædicamentis dicta sufficiant.

Liber Primus & Secundus posteriorum.

POst absoluta prædicamenta Aristoteles tractat duos libros Perihermenias, in quibus ea quæ ad primam mentis operationem spectant, examinat. Sed de his jam egi in Summulis. Post libros autem Perihermenias, Aristoteles quatuor libros scripsit de analysi, & primi duo libri ex his vocantur libri priorum, in quibus tractat Aristoteles de formâ syllogisticâ & speciebus argumentationis, sed de his in tertio libro summularum omnia explicata sunt. In duobus autem libris, (qui communiter libri posteriorum vocantur) tractat Aristoteles de syllogismo quoad materiam, unde ut hæc explicem; sit.

QVÆSTIO XVII.

De ijs quæ concurrunt ad demonstrationem.

NOtandum quod demonstratio nihil aliud sit, quàm syllogismus faciens scire, scire autem est rem per causam cognoscere, seu ut alij dicunt, demonstratio est syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, prioribus notioribus, causisque conclusionis. Prima definitio explicatione non indiget. Secunda

cunda autem definitio explicatur. Nam in primis demonstratio debet constare ex veris, quia ex præmissis falsis nihil sequitur. Debet etiam demonstratio constare ex primis & immediatis, quia præmissæ ex quibus constat demonstratio, sunt primæ respectu propositionum subsequentium, quæ per illas demonstrantur, sunt autem immediatæ, quia carent aliquâ priori, per quam demonstrantur. Reliquæ particulæ, scilicet, ex prioribus, notioribus, causisque conclusionis, denotant, quod cum præmissæ sint causæ conclusionis saltem in cognoscendo, hinc præmissæ sint notiores & priores ipsa conclusione, quæ ex dictis præmissis infertur.

Notandum secundò, quod demonstratio sit duplex scilicet demonstratio propter quid & demonstratio quia. demonstratio propter quid est illa, quæ demonstrat passionem convenire subjecto, adducendo causam ipsius propriam formalem & immediatam, ut patet in hac demonstratione, omne admirativum est risibile, sed omnis homo est admirativus, ergo omnis homo est risibilis, ubi pro causa immediata risibilitatis adducitur ly admirativum.

Demonstratio autem quia, est illa, quæ quidem demonstrat passionem convenire subjecto, non tamen assignat causam cur ei conveniat, ut verbi gratia dum dicis, omnis qui ridet est risibilis, sed homines actu rident, ergo sunt risibiles: ibi inquam ostendis risibilitatem convenire homini, non tamen adducis causam proximam, cur risibilitas seu potentia ad ridendum conveniat homini.

Notandum tertiò, quod in demonstratione prædicatum debet per se seu necessariò convenire subjecto. habet autem propositio per se, quatuor modos dicendi per se. Primus modus est quando prædicatum est de essentia subjecti, ut animal respectu rationalis. Secundus modus est quando prædicatum est propria passio subjecti, ut risibile respectu hominis. Tertius modus est potius modus essendi quam dicendi, ut cum dico, substantia est ens per se, ergo non in alio; quartus modus dicendi spectat ad causalitatem quando scilicet subjectum est causa per se prædicati, ut dum dicitur ædificator ædificat, & medicus medetur.

Notandùm quartò, quod ante demonstrationem necessariæ sint aliquæ præcognitiones, & aliqua præcognita. Præcognitio

autem nihil aliud est quàm anticipata cognitio; ac proinde cognitio præexistens ad discursum necessariò erit actus judicij vel apprehensionis, per quam tantùm duæ quæstiones possunt prægnoscì à subjecto. Et ratio est, quia cum in demonstratione concludatur aliquid de subjecto, necessariò debemus intelligere quid subjectum sit, seu an esse habeat, quodque habeat aliquam essentiam de qua tale prædicatum possit concludi. ergo *an est* & *quid est subjecti*, necessariò prægnoscuntur, & consequenter duæ tantùm erunt prægnitionis; nam *quia est* & *propter quid est*, ipsam demonstrationem sequuntur.

Notandum quintò, quod tria sint prægnita, nimirum principium, subjectum & passio, nam antequam in conclusione prædicatum tribuatur subjecto, jam debent esse cognitæ præmissæ ut de se patet, quæ quia unum integrum principium conclusionis efficiunt, non plura sed unum prægnitum appellantur.

Præterea debet esse cognitum *subjectum* conclusionis, & similiter *passio*, quæ de subjecto prædicatur: nam ante actualem prædicationem inter duo extrema supponitur necessariò simplex cognitio uniuscujusque. Restat ergo, quod ante actum intellectus, in quo formaliter consistit cognitio demonstrativa tria debeant esse prægnita, scilicet principium subjectum & passio. Porro de principio tantum prægnoscitur *an sit verum*: de subjecto verò, *an sit* & *quid sit*. De passione autem solùm prægnoscitur quid nominis.

ARTICVLVS I.

An assensus præmissarum necessitet intellectum ad assensum conclusionis, & an ad eundem concurrat efficienter?

NOtandum quod necessitas sit duplex, una est necessitas quoad specificationem, altera est necessitas, quoad exercitium. Necessitas quoad specificationem, dicitur necessitas objecti, quia licèt actus potentiæ possit non poni, si tamen ponatur, debet esse talis species objecti. v.g. licèt non sit necessarium quod videam, si tamen videam, necessariò debeo videre colocatum; necessitas autem quoad exercitium est necessitas talis ita ut potentia non pos-

sit

sit cessare ab actu, sicut v. g. dum de die habeo oculos apertos & objectum ritè est propositum, non possum cessare à visu. his præmissis est.

CONCLVSIO. I.

Assensus præmissarum est causa efficiens assensus conclusionis. Ita S. Th. 1. post. lect. 1.

PRob. quia discursus non consistit in hoc, quod unum cognoscatur post aliud, hoc enim etiam contingit in propositionibus disparatis, sed consistit in hoc quod unum causetur ex alio, ergo assensus præmissarum, &c.

Confirmatur, per species intelligibiles præmissarum, & per earundem assensum constituitur intellectus in actu primo ad assentiendum conclusioni; nam antea intellectus erat indeterminatus, ergo assensus præmissarum efficienter concurrit ad assensum conclusionis.

CONCLVSIO. II.

Posito assensu præmissarum, & cognitâ bonitate consequentiæ necessitatis intellectus ad assensum conclusionis, non solùm necessitate quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. Ita S. Th 2.2 q. 2. a. 9. ad 2.

HÆc conclusio intelligenda est de intellectu bene disposito, & aliunde per impedimenta extrinseca non impedito.

Prob. prima pars, quia posito assensu præmissarum, & cognita bonitate consequentiæ judicat intellectus præmissas se aliter habere non posse, & ex eis optimè inferri conclusionem veram. Ergo si intellectus velit elicere actum circa conclusionem, necessariò eliciet assensum circa conclusionem & non dissensum, & consequenter necessitabitur quoad specificationem. Prima consequentia patet, quia circa verum ut verum non potest intellectus dissentire, ergo cum cognoscat illam conclusionem ex veris præmissis esse bene illatam, non poterit illi conclusioni dissentire.

Prob. 2. Pars, quia potentia quæ non est formaliter libera sed

naturalis, objecto sufficienter applicato necessitatur ad operandum circa illud, sed intellectus non est potentia formaliter libera sed naturalis, & posito assensu præmissarum cognitâque bonitate consequentiæ, conclusio est sufficienter ei præsens & debitè applicata, ergo necessitatur intellectus etiam quoad exercitium ad assensum conclusionis. Major patet, nam quia potentia visiva non est potentia formaliter libera, sed naturalis, hinc si objectum sibi sufficienter applicetur, & oculi sint aperti, ita ut aliunde interna indispositio oculorum non adsit, debebit videre tale objectum, minor similiter constat. nam ut objectum intellectui sufficienter censeatur applicatum, nil aliud requiritur, quam cognoscere veritatem præmissarum & bonitatem illationis seu consequentiæ.

Arg. 1. contra primam concluſ. Secundùm Aristotelem 2. Phys. ad actionem non datur actio, ergo unus actus, ideſt assensus præmissarum non potest effectivè concurrere ad alium actum, id est ad assensum conclusionis.

Resp. dist. conseq. non potest concurrere effectivè ut *quod*, & ut causa principalis, conced. conseq. ut *quo* & ut causa instrumentalis, neg. conseq. nec Aristoteles loco citato hoc secundum fieri posse negat, sed solùm negat primum.

Dices, dum est assensus conclusionis, non adest amplius assensus præmissarum, ergo assensus præmissarum, nec ut quo potest concurrere ad assensum conclusionis.

Resp. dist. antec. non est amplius assensus præmissarum formaliter, conced. antec. non est amplius virtualiter, neg. antec. & conseq. dico ergo, quod assensus præmissarum virtualiter maneat, ratione modi alicujus relicti in intellectu, qui modus intellectum determinat ad assensum conclusionis. Vel dicitur, assensus præmissarum manere virtualiter, ratione speciei cujusdam ab ipso ascensu præmissarum in intellectu productæ, actumque præteritum præmissarum repræsentantis.

Arg. 2. Si assensus præmissarum esset causa efficiens, tunc maximè esset causa æquivoca respectu assensus conclusionis, sed assensus præmissarũ non potest esse causa æquivoca, ergo nullo modo potest esse efficiens assensus conclusionis. min. patet quia æquivoca est causa uni-

sa universalis & remota, sed assensus præmissarum non est causa universalis, sed particularis & proxima, ergo nō est causa æquivoca.

Resp. neg. min. ad prob. dicitur, quod causa æquivoca non semper sit causa universalis & remota, nam mulus generatur ab equo & asinâ, & tamen mulus & equa sunt causa æquivoca & proxima muli. Unde sufficit quod causa æquivoca producat effectum diversæ rationis seu speciei, quàm sit ipsa causa, quod in præsenti reperitur; assensus enim conclusionis est diversæ rationis ab assensu præmissarum.

Arg. 3. contra 2. Voluntas circa nullum bonum particulare necessitatur quoad exercitium, sed assensus conclusionis est bonum particulare, ergo voluntas vel intellectus non potest necessitari ad assensum conclusionis, estò consentiat prius præmissis. Major est S. Thomæ in diversis locis.

Resp. dist. maj. voluntas circa bonum particulare non potest necessitare necessitate absolutâ, conced. maj. necessitate conditionatâ seu ea suppositione aliqua factâ, neg. maj. & concesâ min. dist. conseq. ergo non necessitatur necessitate absolutâ ad assensum conclusionis conced. conseq. non necessitatur necessitate ex suppositione, quod jam consenserit præmissis, cognoscentq; bonitatem illationis, neg. conseq. Unde sicut homo non necessitatur absolutè ut transeat pontem, ex suppositione tamen quod velit transire dannubium siccus, & navis non adsit, debet transire pontem ne madeat; ita similiter licèt homo absolutè possit non consentire conclusioni, ex suppositione tamen, quod jam consenserit præmissis, viderit; bonitatem illationis, debet consentire conclusioni.

Contra. dum quis habuit assensum harum præmissarum; omne sensibile est vivens, sed omnis homo est sensibilis, adhuc manet intellectus indifferens ad inferendam conclusionem directam in barbara, vel ad inferendam conclusionē indirectam in Baralypton, ergo intellectus nullo modo necessitatur ad inferendā conclusione.

Resp. dist. antec. manet intellectus indifferens, ad inferendam conclusionem directam vel indirectam, æquè immediatè & connaturaliter, neg. antec. ad inferendam conclusionem directam immediatè & connaturaliter, indirectam autem mediatè & non

ita

ita connaturaliter conced. antec, & negatur consequentia. Ratio autem cur intellectus potius ex talibus principijs inferret conclusionem directam quàm indirectam, est hæc quod syllogismus in barbara habeat conclusionem directam, in qua major extremitas prædicatur de minori extremitate in conclusione, quod sine dubio magis connaturale est, quàm quod minor extremitas prædicetur de majori extremitate in conclusione, prout fit in conclusione indirectâ, v. g. in baralypton.

ARTICVLVS II.

An divisio demonstrationis in demonstrationem propter quid *& in demonstrationem* quia *sit bona.*

CONCLVSIO.

Divisio demonstrationis in demonstrationem quia *&* propter quid *est bona & univoca.*

PRob. 1. Pars. nam demonstratio *quia & propter quid* habent rationes essentialiter oppositas, nèc inter illas datur medium, cum nulla sit demonstratio, quæ huc reduci non possit, ergo est bona divisio. consequentia patet, antecedens autem probatur, nam ostendere veritatem adducendo propriam & immediatam ipsius causam, & ostendere veritatem non adducendo propriam & immediatam illius causam, sunt rationes contradictoriè oppositæ, sed demonstratio *propter quid* ostendit veritatem adducendo propriam & immediatam illius causam, demonstratio autem *quia* non adducit immediatam causam illius, cujus veritatem demonstrat, sed solùm procedit vel per effectum vel per causam remotam illius veritatis, ergo demonstratio *quia & propter quid* habent rationes essentialiter oppositas.

Prob. 2. Pars. quia demonstratio *quia* participat essentialem rationem demonstrationis independenter â demonstratione *propter quid*, ergo ista divisio est univoca. consequentia patet quia illa est divisio univoca, ubi membra dividentia essentialiter participant rationem divisi sine dependentia unius ab altero. antec. autem

prob.

prob. quia essentialis ratio demonstrationis consistit in hoc, quod sit generativa scientiæ, sed non tantum demonstratio *propter quid*, verùm etiam demonstratio *quia* generat scientiam, ergo. min. prob. tum quia Philosophi per demonstrationem *quia* seu ab effectu evidenter cognoverunt, quod sit Deus; tum quia demonstratio *quia* non generat sapientiam, nec prudentiam, nec artem, ut patet, nec etiam generat opinionem quæ est formidolosa, aut fidem, quæ est obscura, ergo generat scientiam.

Arg. 1. demonstrationes negativæ, nec ad demonstrationem *propter quid*, nec ad demonstrationem *quia* reducuntur ergo divisio illa non est sufficiens.

Resp. quod demonstrationes negativæ pertineant ad demonstrationem *propter quid*, si reddant propriam & proximam causam, cur passio negetur de subjecto, aliæ autem reducuntur ad demonstrationem *quia*.

Arg. 2. Scire est rem per causam cognoscere, sed demonstratio *quia* non facit rem per causam cognoscere, sed potius causam per effectum, ergo demonstratio *quia* non facit scire, & consequenter divisio non est univoca.

Resp. dist. maj. scire est rem cognoscere per causam, vel in essendo vel in cognoscendo, conceditur major, per causam semper talem in essendo, neg. maj. sed demonstratio *quia* non procedit semper per causam in essendo, conced. min. per causam in cognoscendo, neg. min. & consequentia.

Dico itaque quod id quod posterius est, seu effectus, bene possit esse causa in cognoscendo prioris; per effectus enim sæpe venimus in cognitionẽ causæ. Demonstratio autem in communi abstrahit ab hoc, quod est facere rem cognoscere per causam in essendo, vel per causam in cognoscendo.

QUÆSTIO XVIII. ET ULTIMA.

De effectu demonstrationis nimirum Scientia.

ARTICVLVS I.

Quid sit scientia, Solertia opinio, suspicio, & fides?

ADverte 1. quod Scientia nil sit aliud, quàm habitus certus & evidens per demonstrationem acquisitus.

Explicatur. *ly habitus* habet locum generis, per hanc enim particulam convenit scientia cum alijs habitus intellectualibus, reliquæ autem particulæ habent locum differentiæ. Nam per ly *habitus certus* differt scientia ab opinione, & suspicione, qui sunt habitus formidolosi. Per ly *evidens* differt scientia à fide, quæ licèt certissima sit, est tamen obscura. Per ly *per demonstrationem acquisitus* differt scientia ab habitu primorum principiorum, qui non est per demonstrationem acquisitus. Per easdem etiam particulas differt scientia ab arte & prudentia, quæ non per demonstrationem acquiruntur, cum non agant de necessarijs, sed de contingentibus. Differt etiam â Sapientia, quia sapientia non est habitus præcisè certus & evidens per demonstrationem acquisitus, sed per causas solùm altissimas suas infert conclusiones.

Adverte 2. quod solertia nil sit aliud, quàm bona conjectatio medij in tempore admodùm brevi, vel quod sit subtilitas quædam seu sagacitas inveniendi medium in non perspecto tempore, ut si quis videat, quod aliqui inimici sint facti amici, statim conjectoretur, quod ambo sint facti inimici alicujus tertij, vel amici illius. Ex quo patet, solertiam esse quandam vim facilè & de repentè inveniendi aliquod medium. Distinguitur autem solertia â scientia per hoc, quod scientia semper procedat ex propositionibus necessarijs, solertia autem quandoq; ex contingentibus, quod si tamen subinde ex necessarijs procedat, tunc processus ille non est ex necessarijs simpliciter, certò & evidenter cognitis, sed tantùm ex conjecturis.

ARTICVLVS II.

Vtrum habitus primorum principiorum sit distinctus â potentia intellectiva, & an sit acquisitus vel naturaliter congenitus.

NOtandum, quod habitus primorum principiorũ speculativus benè definiatur, quod sit habitus attingens propositiones universales necessarias, immediatas & speculativas. Habitus

bitus autem primorum principiorum practicorũ, bene definitur quod sit habitus, quo intellectus cognoscit propositiones universales, necessarias, & immediatas practicas. Porro prima principia dicuntur illa, quæ explicatis duntaxat terminis cognoscuntur, & in quibus alia principia atq; veritates fundantur. pro quo.

Notandum 2. quod ista prima principia sint in duplici differentia, quædam sunt purè speculativa, ut omne totum est majus sua parte, alia autem sunt principia practica, ut omne bonum est amplectendum, & malum fugiendum, & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. ad has autem propositiones cognoscendas necessarius est habitus primorum principiorum. In præsenti relicto habitu primorum principiorum practicorum solùm de habitu primorum principiorum speculativorum agam.

CONCLVSIO I.

Habitus primorum principiorum speculativorum est aliquid superadditum potentiæ intellectivæ.

PRob. potentia tam intellectiva quam volitiva est indifferens ad opposita, cum intellectus possit ferri in verum vel in falsum voluntas autem in bonum & malum, sed habitus primorum principiorum non est indifferens ad verum & falsum, sed determinatè inclinat ad id, quod re ipsâ verum est, ergo habitus primorum principiorum non est ipsa potentia intellectiva, sed est ipsi aliquid reale super additum.

CONCLUSIO II.

Habitus primorum principiorum est inchoativè naturalis completivè autem est acquisitus per acquisitionem specierum.

PRob. 1. Pars. habitus qui præcisè nostris actibus acquiritur, potest non acquiri, & acquisitus potest deperdi, ut patet in omnibus habitibus purè acquisitis, sed habitus primorum principiorum non potest non acquiri, nec acquisitus potest deperdi, ergo saltem inchoativè erit naturalis; minor patet: quia ex-

plicatis terminis, quid sit totum & quid sit pars, debet homo assentire huic principio, omne totum est majus suâ parte, nec hanc facilitatem in assendiendo tali principio explicato potest dependere, ergo.

Prob. 2. Pars habitus primorum principiorum non consistit in solo lumine intellect°, sed etiam petit species intelligibiles principiorum, atqui lumen intellectuale est â naturâ, species autem per sensus mediante intellectu agente acquiruntur, ergo habitus primorum principior um partim est â natura, id est inchoativè, & partim est acquisitus, puta completivè.

Arg. 1. contra 1. in intellectu non est aliqua difficultas ad attingenda prima principia, ergo intelellectus non eget habitu primorum principiorum â se distincto: prob. consequentia. quia habitus dantur ad superandas difficultates.

Resp. dist. antec. non est difficultas supposito in intellectu habitu primorum principiorum, conceditur non est difficultas, sine tali habitu primorum principiorum, negatur antecedens & consequentia.

Arg. 2. contra 2. Intellectus noster secundùm se est veluti tabula rasa, sed si habitus primorum principiorum non esset totaliter acquisitus, tunc intellectus noster non esset tabula rasa, sed jam esset depictus habitu primorum principiorum, ergo habitus primorum principiorum est totaliter acquisitus.

Resp. neg. sequelam minoris, quia ad hoc ut intellectus dicatur tabula rasa, sufficit quod habitus primorum principiorum sit completivè acquisitus, & consequenter intellectus *simpliciter* loquendo semper erit tabula rasa. Dicitur autem habitus primorum principiorum esse naturalis, non quasi nulla cognitio neque sensus, neque intellectus agentis præcedat, sed quia posita cognitione sensuum specierum acquisitiva, & positâ operatione intellectus agentis, naturaliter resultat habitus primorum principiorum ante quamcunque intellectûs possibilis operationem.

ARTI-

ARTICULUS ULTIMUS.

An scientia & opinio possint stare simul in eodem intellectu, de eodem formaliter objecto?

CONCLVSIO.

De eadem formaliter propositione in eodem intellectu nec actus opinionis cum actu scientiæ, nec habitus opinionis cum habitu scientiæ simul stare possunt. Ita S. Th. 22. q. 1. a. 5. ad. 4.

PRobatur prima pars. certitudo & incertitudo, evidentia & inevidentia, esse convictum & non esse convictum, non possunt simul stare, sed per actum scientiæ habetur evidentia, & certitudo, ita ut convincatur intellectus, per opinionem autem habetur inevidentia, ita ut intellectus non sit convictus, ergo actus scientiæ cum actu opinionis simul stare non potest.

Prob. 2. Pars quia habitus distinguntur per actus, sed actus scientiæ & opinionis non Possunt stare simul, ergo nec habitus.

Confirm. repugnat eundem intellectum esse inclinatum ad certitudinem & incertitudinem, evidentiam & inevidentitam &c. sed per habitum scientiæ inclinatur intellectus ad certitudinem & evidentiam, per habitum autem opinionis inclinatur ad incertitudinem & inevidentiam, ergo non potest in eodem intellectu simul stare habitus scientiæ & opinionis.

Arg. 1. Quia habet habitum Scientiæ, si faciat diversos actus opinativos, producet aliquem habitum, sed non producet habitum scientiæ, ergo producet habitum opinionis, & consequenter habitus opinionis stabit cum habitu scientiæ. Prob. maj. quia ex frequentatis actibus generatur habitus, sed talis habet frequentatas actus opininionis, ergo.

Resp. dist. ult. maj. per frequentatos actus generatur habitus, nisi jam inveniat habitum productum, Conceditur maj. si jam inveniat productum neg. maj. & concessâ minore similiter distinguitur consequens. Dico ergo, quod per tale medium probabile non producatur habitus opinativus, sed præexistens habitus sci-

entiæ quasi extenditur, ut pluribus medijs eandem conclusionem cognoscat, adeoq; novus habitus in tali casu non producitur, quia subjectum est impeditum per præexistentem habitum.

Arg. 2. Duo actus in gradibus remissis, v. g. calor & frigus possunt stare simul, ergo etiam actus scientiæ cum actu opinionis.

Resp. duos actus contrarios contrarietate physicâ (qualis oppositio est inter calorem & frigus) bene posse stare simul, in gradibus remissis, non autem duos actus contrarios contrarietate privativâ seu contradictoriâ, qualiter opponuntur actus scientiæ & opinionis. Unde sicut tenebræ non possunt stare simul cum luce, quia tenebræ dicunt privationem lucis, ita nec opinio potest stare cum scientia, quia opinio dicit privationem evidentiæ & certitudinis.

Dices. Lumen majus, & lumen minus sese simul compatiuntur, sed medium probabile se habet ut lumen minus, medium autem evidens ipsius scientiæ se habet ut lumen majus, ergo etiam scientia & opinio possunt stare simul.

Resp. neg. min. quia lumen minus non importat obscuritatē, sed solùm minorem intensionem, at vero opinio importat intrinsecam obscuritatē & formidinem, quam scientia omnino excludit.

Arg. 3. S. Thom. 3. p. q. 9. a. 3. ad 2. ait. opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur; quâ tamen acquisitâ potest manere cognitio, quæ est per syllogismum Dialecticum causata, quasi consequens scientiam, demonstrativam, ergo ex S. Thoma scientia & opinio possunt stare simul.

Resp. S. Thomam notanter ponere, quod remaneat *cognitio* per syllogismum dialecticum causata, ad insinuandum quod non remaneat opinio in ratione assensûs formidolosi, quâ ratione propter suam formidinem contrariatur scientiæ.

Arg. 4. Habitus fidei & scientiæ possunt esse in eodem subjecto simul respectu ejusdem veritatis, ergo etiam habitus scientiæ & opinionis possunt esse simul; antec. prob. Quia Philosophus Christianus scit per demonstrationem Deum esse, & tamen, ne talis Philosophus dicatur esse infidelis, tenetur etiam credere hanc

verita-

veritatem, quod Deus sit, juxta illud Apostoli: accedentem ad Deum oportet credere quia est, ergo.

Resp. talem philosophum circa illam veritatem non habere fidem nisi in præparatione animi, nec amittit fidem discredendo, sed amittit fidem accipiendo majorem claritatem & evidentiam, ita tamen ut retineat fidem circa alios articulos, quos non cognoscit evidenter.

Nec tamen per hoc perdit meritum fidei, quia ut dictum est, retiuet fidem in præparatione animi etiam circa illam propositionem à se scitam, ita nimirum, ut vellet talem propositionem credere, nisi aliunde eam sciret, quod sufficit, ut non amittat meritum fidei. In Sancto Paulo autem qui in raptu vidit Divinam Essentiam, mansit habitus fidei, quoad illos articulos fidei, quos nō vidit clarè in Divina essentia, quoad alios autem articulos fidei quos vidit, desinebat sese extendere habitus fidei in Sancto Paulo. sicut dum homini abscinditur digitus, non simul abscinditur anima, sed manet anima substantialiter, ita tamen ut desinat sese extendere ad talem digitum abscissum: ita etiam fides in paulo desinebat sese extendere ad articulum fidei clarè in Divina Essentia à se visum.

Addit Capreolus, quod dum S. Th. 22. q. 175. a. 3. ad 3. ait S. Paulum in raptu retinuisse fidē, solùm velit quod retinuerit fidē absolutè, sed non circa illas veritates, quas vidit in Essentiâ Divinâ. Licèt enim (inquit prædictus Author) in raptu viderit Essentiam Divinam, non tamen vidit in eadem omnes articulos fidei, nec omnia Divina mysteria, præsertim ea, quæ Deo liberè competunt, & quæ mysteria gratiæ appellantur: & ita respectu articulorum fidei, quos vidit S. Paulus solum retinebat *fidem in præparatione animi*. Huic explicationi favere videtur S. Thomas q. 13. de ver. a. 5. ad 5. & 6. ubi docere videtur, quod S. Paulus in raptu solùm aliqua mysteria fidei viderit.

Videri tamen de hac difficultate potest, Magister Gonet tract. 9. de virtutibus Theologicis, disp. 1. a. 6. §. 4. ubi ex professo defendit quod habitus fidei stare possit cum actu scientiæ seu clara Dei visione per modum transeuntis communicatâ, quia licèt (inquit

quit) inter fidem habitualem & inter habitualem ac permanentem visionem Dei sit immediata oppositio, sicut etiam est immediata oppositio, inter actualem scientiam & actum fidei, at verò inter habitum fidei & actualem visionem Dei, quam habuit S. Paulus per modum transeuntis, non est immediata & formalis oppositio sicut nec inter quemcunque alium habitum cum actu contrario est immediata & formalis oppositio, sed dispositiva solùm vel effectiva, quatenus habitus disponit ad actum appositum, vel quateuus habitus producit actum, qui alteri actui opponitur formaliter; inter se autem habitus & actus non opponuntur immediatè, quia habitus solùm dicit inclinationem ad aliquid, actus verò actualem tendentiam in illud, bene autem stat cum inclinatione ad unum, tendentia ad oppositum, sicut lapis stante gravitate, quâ inclinatur ad centrum, potest tendere sursum per impulsum violentum, & habens habitum mansuetudinis vel temperantiæ, potest actum iræ vel intemperantiæ exercere. Ex quibus proinde infert, quod cum inter fidem habitualem & actualem visionem Dei per modum transeuntis S. Paulo communicatam non sit immediata oppositio, etiam simul sese in S. Paulo per potentiam Dei compati potuerint. Sed de his plura dicenda relinquo Theologis, quibus uti & omnibus fidelibus claram Dei visionem non solùm per modum transeuntis, sed etiam per modum permanentis exopto.

O. A. M. D. G.

TRA-

TRACTATVS III.

CONTINENS OCTO LIBROS PHYSICORUM.

PROLOGVS.

QUemadmodum post tumidas nimbis tempestates serenitate majori Phoebus emicat, atq; post spinas & tribulos suas benignior parit natura rosas; sic etiam ars(quæ in multis imitatur naturam)à difficiloribus ad faciliora, ab asperis ad amæna cursum suum dirigit, dirigendoq; promovet. Atq; inde est quod absolutâ spinosâ Logicâ plurimis difficultatibus intextâ Theseũ per suavissimos Philosophiæ naturalis campos, indefessâ constãtiâ, ingenijq; vivacitate obambulandos, manuducturus sim. sit ergo.

QUÆSTIO UNICA PROËMIALIS.

De quidditate Physicæ.

ARTICULUS UNICUS.

An Physica sit scientia speculativa habens pro suo objecto ens radicaliter mobile?

NOtandum 1. quòd Physica nil sit aliud quàm habitus quidam speculativus entium naturalium; seu potiùs entis radicaliter mobilis contemplativus.

Not. 2. quòd licet ens mobile, corpus mobile, substantia mobilis, corpus naturale & substantia naturalis in re idem sint, si hæc largo modo sumantur; si tamē corpus mobile & ens mobile strictè sumantur, tunc corpus mobile & ens mobile non sunt idem; cujus ratio est. quia ens mibile latius patet, quàm corpus mobile, aut substantia naturalis. nam ens mobile se extendit tā ad ens mobile substantialiter (id est ad compositum substantiale) quàm ad ens mobile accidentaliter, seu ad compositū accidentale. ens naturale autē solùm se extendit ad id, quod est mobile substantialiter seu ad compositum substantiale. Unde corpus naturale vel substantia naturalis solùm est subjectum Physicæ partiale.

Dixi quod corpus mobile seu naturale & ens mobile differant, si strictè sumantur, si tamen ly *naturale* largè sumatur, tunc ens mobile, & ens naturale pro eodem sumi possunt, puta si *ly naturale* accipiatur pro eo, quod habet in se principium radicale motûs, abstrahendo ab hoc, utrum illud principium sit natura propriè dicta & substantialis, sicut est materia prima & forma substantialis, sive illud principium sit natura largè accepta, scil. materia secunda, & forma accidentalis.

Not. 3. quod corpus Physicum (de quo in præsenti inquiritur) dupliciter sumi possit. 1. propriè pro composito substantiali ex sola materia prima & forma substantiali constante, ut homo, leo. 2. accipitur corpus physicum magis largè prout distinguitur contra ens spirituale, & est idem quod ens corporeum; & sic non solum compositum substantiale est corpus, sed etiam compositum accidentale v. g. album est corpus, sicut enim homo dicitur ens materiale, quia materia est pars hominis, ita compositum ex corpore & albedine dicitur ens corporeum, quia habet corpus ut partem sui. Itaq; corpus Physicum mobile primo modo acceptum non est objectum adæquatum Physicæ, quia non solum composita substantialia sunt mobilia, sed etiam composita accidentalia formaliter sumpta. nam album ut album formaliter ratione albedinis est generabilile & corruptibile accidentaliter, & intensibile vel remissibile. si tamen corpus mobile sumatur secundo modo pro quolibet ente corporeo, sive illud ens corporeum sit compositum substantiale sive

ve accidentale, sic corpus mobile est idem ac ens mobile secundùm rationem significatam, cum omne ens mobile sit hoc modo corpus mobile, id est corporeum quoddam, adeòque corpus mobile in hâc largâ acceptione sumptum potest saltem secundùm rem esse objectum Physicæ, melius tamen objectum Physicæ exprimitur per ens mobile, ut mox dicam.

Not. 4. quòd ens mobile adhuc dupliciter potest sumi. 1. ut est radicaliter mobile, id est prout habet principium intrinsecum & radicale sui motûs & quietis. 2. prout dicit mobilitatem proximam & formalem. si hoc secundo modo accipitur ens mobile, tunc non est objectum Physicæ, quia mobilitas illa seu potentia proxima ad movendum est propria passio demonstrata de ente mobili radicaliter sumpto.

Not: ultimò quod ratio formalis sub quâ Physica considerat suum objectum, sit abstractio ab omni materia sensibili singulari, vnde Physica solùm considerat suum objectum quatenus stat sub materia sensibili in communi. nam Physica v.g. non considerat hominem, cum istâ materia singulari quam habet, v. g. cum his ossibus, aut carnibus, sed considerat hominem in cõmuni cum carnibus & ossibus ut sic, & qualitatibus sensibilibus in communi affectum. his præmissis sit.

CONLVSIO.

Physica est scientia, speculativa, habens, pro objecto ens radicaliter mobile.

PRob. 1. p. quæ est Aristotelis 6. Metaph. c. 1. habitus per demonstrationem acquisitus est vera scientia, sed Physica est habitus per demonstrationem acquisitus, ergo est vera scientia. prob. min. quia Physica demonstrat omne mixtum esse corruptibile, quia constat ex qualitatibus contrarijs; itẽ demonstrat ignem esse levem, quia materia ignis habet levitatem, demonstrat etiam terram esse gravem, quia habet materiæ multitudinem & densitatem. Demonstrat etiam corpora moveri, quia habent naturam, quæ est principium motûs, item corpus esse divisibile, quia est quantum & extensum, ergo.

Prob. 2.p. illa est scientia speculativa, quæ sistit in contemplatione sui objecti, sed Physica sistit in contemplatione sui objecti scil. entis mobilis, ergo est speculativa.

Prob. 3. p. quæ est S. Th. 6. Metaph. lect. 1. quia objectum alicujus scientiæ debet esse notissimum & certissimum in tali scientia, nec debet probari in tali scientia, sed ens mobile esse ens est certissimum, nec hoc in Physica probatur aut demonstratur, nam etsi probetur omne mobile esse corpus, non tamen probatur omne mobile esse ens, ergo ens mobile est objectum Physicæ.

Confir. per ens mobile distinguitur Physica ab alijs scientijs, item omnia quæ tractantur in Physica reducuntur ad ens radicaliter mobile, ac tandem Physica habet specialem curam circa considerationem entis mobilis, ergo ens mobile est objectum Physicæ. conseq. prob. quia illud est objectum alicujus scientiæ quod habet omnes illas conditiones, ut in Logicâ dixi.

Prob. 2. eadem pars. illud est objectum formale & adæquatum Physicæ, quod ponitur in definitione propriæ & adæquatæ passionis scil. motûs, qui demonstratur in Physica, sed ens mobile ponitur in definitione passionis scil. motûs demonstrati in Physica, ergo ens mobile &c. min. prob. quia motus definitur quod sit actus entis in potentia prout in potentia: ubi per ly *in potentia* intelligitur ens mobile, ut constat ex ipso Arist. 3. Phys. c. 2. dicente quod motus sit actus mobilis, id est entis, quod potest moveri, ergo.

Prob. ult. pars, quod ens mobile *radicaliter* sumptum sit objectum Physicæ, quia objectum Physicæ debet omnia continere quæ in ea tractantur, sed solum ens radicaliter mobile omnia continet, ergo solum ens radicaliter &c. min. prob. quia in Physica tractatur etiam de quiete, sed solum ens radicaliter mobile potest esse principium quietis, ergo.

Arg. 1. contra 1. p. concluſ. scientia debet agere de rebus incorruptibilibus & perpetuis, sed Physica non agit de rebus talibus, ergo nō est scientia. prob. min. nam Physica agit de ente mobili sublunari, & de mixtis, sed ens mobile sublunare & ens mixtum est corruptibile, ergo.

Resp. neg. min. ad Prob. dist. maj. Physica agit de ente mobili sub-

sublunari in communi conced. maj. in particulari neg. maj. sed ens mobile in communi est corruptibile neg. min. ens mobile in particulari prout hîc & nunc existens est corruptibile conced. min. & neg. conseq.

Dices: corruptibilitas est propria passio entis mobilis sublunaris, ergo etiam convenit enti mobili sublunari in communi.

Resp. dist. conseq. ergo etiä corruptibilitas in actu signato, vel prout solùm dicit connexionem intrinsecam aptitudinis ad corruptionē mediatā, etiam convenit enti mobili in cōmuni conc. cons. in actu exercito pro ut hic & nunc exercetur, neg. conseq. hæc enim corruptibilitas in actu exercito convenit, enti mobili in communi solùm per accidens & mediatè nimirum ratione singularium, cum quibus identificatur, non tamen convenit corruptibilitas exercita enti mobili in communi, immediatè, per se, & ratione sui.

Arg. 2. contra 2. p. Medicina est pars naturalis Philosophiæ seu Physicæ, sed Medicina est scientia practica, ergo etiam Physica est scientia practica. Min. pat. quia Medicina ordinatur ad sanandum corpus. Major autem prob. quia Medicina versatur circa ens mobile seu naturale, nam versatur circa corpus mobile ad sanitatem, ergo est pars Philosophiæ naturalis.

Resp. neg. maj. ad prob. dist. antec. Medicina versatur circa ens mobile, quod sit mobile per naturam & ab intrinseco nego antec. quod sit mobile per artem & ab extrinseco conc. antec. & neg. conseq. quia Physica agit de ente, quod est ab intrinseco per naturam mobile, adeoque Medicina quæ considerat ens mobile solùm per artem, non erit pars Philosophiæ naturalis.

Dices: principia Medicinæ sunt conclusiones physicales (quia ubi desinit Physicus, ibi incipit Medicus) sed principia Medicinæ sunt practica, ergo etiam conclusiones physicæ sunt practicæ, & consequenter tota Physica est practica.

Resp. dist. maj. principia Medicina sunt conclusiones physicales, ita tamen ut conclusiones physicales non maneant intra suam sphæram, dum fiunt principia Medicinæ conced. maj. ita ut maneat intra suam sphæram neg. maj. sed principia Medicinæ sunt practica, quatenus manent intra suam sphæram entis mobilis per natu-

naturam neg. min. quatenus ergrediuntur suam sphæram & ordinantur ad cognoscendum ens mobile per artem & ab extrinseco conc. min. & neg. conseq.

Resp. 2. aliter concessâ maj. dist. min. sed principia Medicinæ reduplicativè ut principia sunt Medicinæ, sunt practica, conc. min. prout sunt conclusiones Physicales ordinatæ ad considerandum ens mobile per naturam neg. min. & conseq.

Arg. 3. contra 3.p. ratio differentialis melius conjuugitur generi proximo quàm remoto, sed ens est veluti genus remotum, corpus autem est genus proximum, ergo mobile tanquam ratio differentialis perfectius conjungitur corpori quàm enti, & consequenter melius dicitur, quod corpus mobile sit objectum Physicæ, quàm ens mobile. maj prob. quia melius explicatur homo per animal rationale, quàm per ens vel substantiam rationalem, cum substantia sit genus remotum, animal autem sit genus proximum, ergo.

Resp. dist. maj. ratio differentialis melius seu perfectius conjungitur generi proximo, si cætera sint paria conced. maj. si cætera non sint paria neg. maj. & concessâ min. similiter dist. conseq. dico itaque quod hîc cætera paria non sint, cum ens sit magis notum quàm corpus; id autem potius ponendum est pro objecto Physicæ, quod est magis notum, ut in prob. conclusionis dictum est.

Arg. ult. Physica agit de ente quiescibili, nimirum de elemento terræ, ergo ens mobile non continet omnia quæ tractantur in Physica, & consequenter ens mobile non est objectum Physicæ.

Resp. dist. conseq. ergo ens mobile nudè sumptum seu purè & proximè mobile non est objectum Physicæ conc. conseq. ergo ens radicaliter mobile non est objectum Physicæ neg. conseq. dico ergo, quod licèt ens proximè mobile non contineat ens quiescibile, ens tamen radicaliter mobile continet etiam ens quiescibile; sicuti risibile radicaliter sumptum, non solùm continet risum, sed etiam fletum.

LIBER

LIBER PRIMVS PHYSICORUM

De ente mobili seu naturali in communi.

QUÆSTIO I.

De principijs entis naturalis seu mobilis in comuni.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid & quot sint principia entis naturalis?

CONLVSIO I.

Principia entis naturalis seu mobilis in communi bene definiuntur, quod sint illa, quæ non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, sed omnia fiunt ex ipsis.

PRob. conclusio explicando definitionem. nomine principij hîc intelligitur id, unde res aut motus incipit, sive id fiat tanquam à causa materiali aut formali & intrinseca, sive tanquam à termino, à quo, & ita principium importat ordinem ad principiatum, adeoque principium strictè tale non debet esse res, aliqua principiata, unde non debent principia fieri ex alijs, neque ex alrerutris propter eandem rationem, sed omnia debent fieri ex ipsis. Conclusio sic explicata.

Prob. nam hîc definiuntur prima principia rerum aturalium ergo nec debent fieri ex alijs, neq; ex alterutris &c. conseq. prob. quia si fierent ex alijs, tunc non essent *prima*, sed illa ex quibus fierent essent prima ideſt priora. similiter si fierent ex alterutris id est, si unum principium fieret ex alio, tunc etiam illud principium quod fieret ex alio, non esset *primum*, quia id supponeret aliud principium

cipium ex quo fieret. Et tandem quia sunt prima principia, hinc etiam omnia debent fieri ex ipsis, vel tanquam ex partibus ea intrinsecè componentibus (propter quod excluditur causa efficiens & finalis, quæ licet sint principium, non tamen sunt pars intrinseca componens) sicut ex materia & forma tanquam ex partibus componitur totum, vel tanquam à termino *à quo* præsupponente aliquod subjectum scil. materiam primam, qualis terminus *à quo* est privatio, non autem nihilum, cum nihilum sit solum terminus *à quo* non præsupponens ullum subjectum. ergo prima principia rerum naturalium non debent fieri ex alijs, neque ex alterutris, sed omnia debent fieri ex ipsis.

CONCLVSIO II.

Principia entis naturalis considerati in fieri sunt tria, scilicet materia, forma & privatio; principia autem entis naturalis considerati in facto esse sunt tantùm duo, scil. materia & forma. Ita S. Thomas 8. Met. ph. lect. primâ.

PRob. 1. Pars. in omni mutatione sunt tria necessaria, scilicet terminus *à quo*, terminus *ad quem* & *subjectum* Vtrique commune, quod recedit à termino *à quo*, & accedit ad terminum *ad quem*, ut patet ex natura mutationis, quæ est transitus subjecti de non esse ad esse: sed generatio entis naturalis est vera mutatio, cum sit transitus quidam primi & substantialis subjecti de non esse formæ ad esse formæ substantialis, ergo tantùm illa tria sunt necessaria ad ens naturale infieri, nimirum privatio tanquam terminus *a quo*, forma tanquam terminus *ad quem*, & subjectum utrique commune scilicet *materia prima*.

Prob. 2. P. tot sunt principia entis naturalis in facto esse, quot remanent transactâ mutatione naturali seu generatione, sed transactâ mutatione substantiali tantùm remanent duo principia, scil. materia & forma, ergo tantùm sunt 2. principia entis naturalis in facto esse. prob. min. nam privatio formæ non potest amplius manere in materiâ transactâ generatione, & formâ per generationem introducta, aliàs forma & privatio essent simul in eodem subjecto, quod tamen repugnat, ergo remanent tantùm materia & forma,

quæ

quæ compositum intrinsecè componere possunt, & exquibus compositum tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus constat, & consequenter sunt tantùm duo principia entis naturalis in facto esse, nimirum materia & forma.

Arg. 1. contra 1. concluſ. illa particula *ex* ultimo loco posita in definitione, vel denotat, quod omnia fiant ex primis principijs, tanquam ex partibus, & sic illa definitio solùm convenit materiæ & formæ, non autem privationi, vel illa particula *ex* denotat solùm terminum *à quo*, & ita solùm convenit privationi, ergo illa particula *ex* malè ponitur in definitione, & consequenter illa definitio est mala.

Resp. quòd sensus prædictæ definitionis sit iste: principia sunt quæ nec fiunt *ut quod* ex alijs, neq; ex alterutris, & ex se invicem *ut quod* tanquam ex parte intrinsecâ, vel tanquam ex termino *a quo*, sed omnia fiunt *ut quod* ex ipsis, vel tanquam ex partibus intrinsecis, vel tanquam ex termino *à quo*. Ex qua responsione habetur, quod ly *ex* debeat etiam intelligi secundùm distributionem accommodam, ita ut ly *ex* abstrahat à parte intrinsecè componente, & à termino *à quo*. habetur præterea quod forma materialis solùm fiat *ut quo* ex materia, non autem *ut quod* esto autem unum principium non possit fieri *ut quod* ex alio, bene tamen *ut quo*.

Addunt alij quod licet forma materialis fiat ex materia tanquam ex subjecto *in quo* informationis & eductionis, non tamen fit ex materia, tanquam ex parte componente eandem formam. In præfatâ autem definitione ly *ex* solùm significat, quod unum principium non fiat ex alio tanquam ex parte intrinsecâ se componente. Vnde materia non componit formam substantialem à se eductam, sed cum forma substantiali à se eductâ componit totum aliquod substantiale.

Arg. 2. contra 2. concluſ. tot sunt principia, quot sunt causæ, sed causæ sunt quatuor scil. materialis, formalis, efficiens, & finalis, ergo etiam sunt 4. principia. maj. prob. qui omnis causa est principium.

Resp. dist. maj. tot sunt principia intrinseca, quot sunt causæ neg. maj. tot sunt principia tam intrinseca quàm extrinseca

conced. maj. & concessâ min. similiter dist. consequ. Itaque 4. sunt principia, si computemus tantùm principia intrinseca. Veruntamen Aristoteles hîc solùm intendit enumerare principia intrinseca, quæ asserit tantum esse tria, scil. materiam, formam, & privationem.

Dices: ex hac solut. sequitur quod privatio non sit principium, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. prob. sequela, nam secundùm dicta Aristoteles hîc definivit principia intrinseca, sed privatio non est principium intrinsecum, ergo. prob. min. quia privatio est ens rationis, sed ens rat. non est principium intrinsecum, ergo.

Resp. neg. sequel. maj. ad prob. dist. min. sed privationem est principium intrinsecum per se & ratione sui componens ens naturale conced. min. non est principium intrinsecum intrinsecè respectum per modum termini à quo neg. min. & consequ. Itaq; privatio dicitur intrinsecum principium mutationis, non quia per se intrinsecè componit, sed quia intrinsecè respicitur per modum termini à quo, & ad hoc non requiritur quod privatio sit aliquid positivum, sed sufficit quod sit realis carentia alicujus positivi.

Ad id quod subditur dist. maj. privatio formaliter sumpta est ens rat. conced. maj. materialiter accepta in ratione remotionis entis neg. maj. & concessâ min. dist. consequ. ergo privatio formaliter in ratione entis rat. accepta non est principium entis naturalis conced. consequ. materialiter accepta in ratione remotionis entis non est principium entis naturalis neg. consequ.

Dices: ergo etiam *nihil* est principium entis naturalis. prob. consequ. quia ideo privatio est principium entis naturalis quia respicitur tanquam terminus *à quo*, sed etiam nihil habet se tanquam terminus *à quo*, ergo etiam nihil est principium entis naturalis.

Confir. quia etiam forma corrumpenda respicitur tanquam terminus *à quo*, & tamen forma corrumpenda non est principium entis naturalis, ergo similiter licet privatio respiciatur tanquam terminus à quo, non tamen erit principium entis naturalis.

Resp. ad 1. neg. consequ. ad prob. dist. maj. ideo privatio est principium entis naturalis, quia respicitur tanquam terminus *à quo* strictè talis qui præsupponit aliquod subjectum conced. maj. quia respi-

respicitur tanquam terminus *à quo* largo modo talis, quique non præsupponit aliquod subjectum neg. mai. sed etiam nihil respicitur tanquam terminus *à quo* largè talis qui non præsupponit aliquod subjectum conced. min. strictè talis, quique præsupponit aliquod subjectum nego min. & conseq.

Ad alteram probationem dicitur dist. maj. quia etiam forma corrumpenda per se & essentialiter respicitur ut terminus *à quo* â mutatione seu generatione substantiali neg.mai.per accidens conc. mai. & concessâ min. neg. conseq. generatio autem essentialiter est mutatio seu transitus materiæ à privatione ad formam præcisè, quod autem alia forma præcesserit hoc merè per accidens se habet respectu *mutationis substantialis*, ut mutatio est, unde quod præcedat forma substantialis hoc solùm ex eo provenit, quod materia quæ ad generationem essentialiter præsupponitur non possit aut potuerit præcedere denudatâ omni formâ. Ex quo habetur; quod licet forma essentialiter reperiatur in materia, tamen forma substantialis quæ in materia præcedit, non est de essentia generationis, aut mutationis substantialis, ut mutatio est.

QUÆSTIO II.

De principijs entis naturalis in particulari, & primò de Materia primâ.

ARTICVLVS I.

An materia prima sit ita pura potentia, ut nullum actum Entitativum includat?

NOtandum 1. certum est, quod detur materia prima in natura. Cujus ratio est, quia in omni mutatione necessariò debet dari aliquod subjectum, quod transeat de non esse, ad esse, vel quod maneat sub utroq; termino (excipitur autem hic sola creatio, quæ cum sit productio totius entis ex nihilo, hinc nulla ibi materia vel subjectum præsupponitur) sed tale subjectum est sola materia prima, ergo verè datur materia prima. major patet, tum quia ex nihilo nihil fit. tum quia in omni mutatione reperitur ali-

qua contrarietas, quæ necessariò debet esse circa aliquod subjectum. min. autem prob. nam vel illud subjectum quod reperitur in mutatione substantiali præsupponit aliud subjectũ, vel non? si non præsupponit aliud subjectum, ergo jam erit subjectum primum & consequenter materia prima. si autem præsupponit aliud subjectum, ergo ne detur processus in infinitum, deveniendum tandem erit ad aliquod primum subjectum quod est materia prima, quæ est substantia quædam incompletè non quidem directè posita in prædicamento substantiæ, bene tamen reductivè.

Not: 2. quod materia prima bene definiatur, quod sit primum subjectum ex quo aliquid fit, cum insit, non secundum accidens.

Explicatur definitio. ly *subjectum* ponitur quasi loco generis, quia est aliquid commune ad materiam primam, & ad materiam secundam. Dixi autem quod ly subjectum habeat *quasi* locum generis, quia etiam per illam particulam differt à formâ substantiali, quæ non est subjectum, sed actus quidam primariò materiæ adveniens. per ly *primum* differt materia prima à materia secunda, ideſt à substantia completâ, quæ est subjectum accidentium. dicitur præterea *ex quo aliquid fit*, per quas particulas excluduntur omnes causæ, extrinsecæ, scilicet efficiens, finalis, & exemplaris, nam efficiens est id à quo aliquid fit, finalis est propter quam aliquid fit, & exemplaris ad cujus instar aliquid fit. dicitur præterea *cum insit*, per quas particulas excluditur privatio, nam licet ens naturale fiat ex privatione tanquam ex termino à quo, non tamen tanquam ex subjecto seu parte intrinsecè componente. dicitur ultimò, *non secundùm accidens*, ad insinuandum quod ex materia & forma fiat unum per se, & non unum per accidens, sicut fit ex subjecto, & forma accidentali.

Not. ult. certum esse materiam primam non habere secundùm se actum physicum, cum hic proveniat à sola forma substantiali, sine quâ materia prima non est in aliqua determinata specie. Nec etiam materia prima habet actum Metaphysicum propriè dictum, nam actus Metaphysicus seu differentialis, præsupponit in tali re actum Physicum propriè dictum, quem tamen materia prima secundùm se sumpta non habet. Admitto tamen materiæ primæ actum

ctum Metaphysicum impropriè dictum, sicut enim materia prima habet aliquid loco generis (nimirum quod sit subjectum per quod convenit cum materia secundâ) ita etiam habet aliquid quasi loco differentiæ, nimirum quod sit *primum subjectum* cum ordine sibi essentiali ad formam substantialem. Tota ergo quæstio est an materia prima secundùm se habeat actum entitativum, quem aliqui Moderni excogitârunt, putantes quod actus entitativus sit aliquid transcendentale ad omne ens reale positum extra potentiam objectivam. Sed contra hos Authores sit.

CONCLVSIO VNICA.

CONCLVSIO VNICA.

Materia prima est ita pura potentia, ut nullum actum etiam enti-

PROB. conclusio evertendo fundamentum Contrariorum. Ens reale secundùm Aristotelem 9. Met. tex. 1. dividitur in actum & potentiam, ergo bene potest aliquid esse ens reale absque hoc, quod sit actus entitativus, & consequenter ex eo quod materia prima sit ens reale, malè infertur quod debeat habere actum entitativum. Prob. min. nam membra dividentia debent divisum includere, & inter se formaliter opponi, ergo cum actus & potentia dividant ens reale, debent ita inter se opponi, ut potentia, (scil. materia prima) nullum ex se actum dicat.

Prob. conclusio secundò, si materia prima includeret actum entitarivum, tunc materia prima vel esset actus purus & simplex, vel esset aliquod compositum ex actu & potentiâ, sed nihil horum potest dici, ergo materia prima ex se nullum actum entitativum habet. Min. pro 1. p. admittitur ab Adversarijs quod scil. materia prima non sit actus purus & simplex; pro 2.p. autem quod scil. materia prima non sit aliquod compositum ex actu & potentia, prob. si materia prima esset aliquod compositum ex actu & potentia, tunc illa non esset primum subjectum susceptivum formæ substantialis seu actûs substantialis, sed hoc est falsum, ergo. Prob. sequela, quia materia prima jam haberet actum entitativum, qui actus utiq; erit forma, cum quivis actus substantialis sit forma, ergo.

Confirm. si materia prima ex se haberet actum entitativum

sibi essentialem, tunc jam esset aliquid completum in lineâ substantiæ, & ita ex materiâ & forma substantiali non posset fieri unum per se, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. prob. seq. maj. quia materia cum actu facit ens completum, quod autem advenit enti completo hoc non facit cum illo compositionem per se, sed solùm per accidens, ergo si materia prima habet actum entitat. tunc jam esset aliquid completum in lineâ subst. nec ex materia & forma substantiali eidem materiæ supervenienti fieret unum per se. Pro aliquali tamen concordantiâ nostræ sententiæ cum sententia Adversariorum.

Nota quod ens in actu dupliciter possit sumi, semel lato modo & impropriè, pro ut idem est ac ens, quod reipsâ & *defacto* est à parte rei. Secundò propriè & stricte pro ente quod vel est actus, aut saltem proprium actum includit. Et quidem si Contrarij primo modo sumant ens in actu, sic inquam fateor non dari medium inter nihil & ens in actu, ac proinde materiam primam, hoc ipso, quod non sit merum nihil, debere esse in actu, idest entitatem aliquam â parte rei positam. Unde si Contrarij nihil aliud quàm hoc dicere velint, verum quidem dicunt, sed turpiter abutuntur nomine entis in actu. Si autem Ens sumatur secundo modo stricte & proprie pro eo scilicet, quod vel est merus actus, vel eum includit (in quo sensu hîc loqui oportet) velintq; Adversarij, materiam primam eo ipso quod non sit nihil debere esse ens in actu in sensu proprio & rigoroso, tali in quam modo plane decipiuntur, cum inter hujusmodi extrema mediet ens, quod est potentia realis receptiva actûs seu formæ, nimirum materia prima, quæ nec est nihil (cum sit verum ens reale & pars compositi substantialis) nec etiam est ens in actu propriè dicto, cum nullum actum includat, sed est pura potentia realis passiva seu receptiva formæ.

Arguitur primò, si materia prima non haberet ex se actum entitativum, sequeretur quod materia prima esset nihil, sed hoc est falsum, ergo & id unde sequitur. Prob. sequela, quod est solum in potentia hoc est nihil, sed si materia prima nullum haberet actum, tunc esset solum in potentia, ergo esset nihil. Maj. prob. quia id quod solùm potest produci ab agente, hoc est nihil, ergo.

Resp.

Resp. neg. sequel. ad prob. dist. maj. quod est solùm in potentiâ objectivâ hoc est nihil conc. maj. in potentia subjectivâ neg. maj. sed si materia prima non haberet actum entitativum, tunc esset solùm in potentia objectiva neg. min. subjectivâ conced. min. & neg. conseq. potentia ergo est duplex, una objectiva, quæ nihil aliud est quam non repugnantia in re ut producatur à parte rei, seu est producibilitas alicujus rei cognitæ intentæ & objectæ alicui virtuti activæ seu causæ producenti. Alia autem est potentia subjectiva, quæ reipsa est entitas quædam realis receptiva actûs seu formæ. Itaque materia prima non est in potentia primo modo seu objectivè, sed est in potentia susceptivâ, vel potius est ipsa potentia susceptiva formæ.

Dices: antequam materia prima exercetur fuit in potentiâ objectiva idest potuit produci, post quam autem materia prima fuit producta, etiam expleta fuit illa potentia, ergo materia prima producta habet aliquem actum; quia omnis potentia debet expleri per aliquem actum, sed materia prima antequam fuit producta, erat in potentia, ergo illa potentia debebat expleri per aliquem actum.

Resp. dist. ult. maj. omnis potentia objectiva debet expleri per aliquem actum nego maj. omnis potentia subjectiva conc. maj. sed antequam materia prima fuit producta, erat in potentia objectiva conc. min. subjectivâ nego min. & conseq. Itaque potentia subjectiva qualis est materia prima debet expleri per aliquem actum substantialem, potentialitas autem objectiva potest expleri vel per potentiam subjectivam vel per aliquem actum; non est tamen necesse quod potentia objectiva semper per aliquem actum expleatur.

Contra, sed etiam potentia objectiva debet expleri per aliquem actum ergo sol. nulla. prob. min. subsump. quia tot modis dicitur actus, quod modis dicitur potentia, sed potentia est duplex, una objectiva, & altera physica seu subjectiva, ergo etiam debet assignari duplex actus utrique correspondens, ac proinde potentialitas materiæ primæ etiam explebitur per aliquam actum.

Resp. neg. min. subsump. ad prob. dist. maj. tot modis dicitur

actus,

actus, quot modis dicitur potentia realis & propriè dicta seu positiva conc. maj. quot modis dicitur potentia in propriè dicta & negativè sumpta per modum non repugnantiæ neg. maj. & transeat min. ac neg. conseq. Dico ergo quod tot modis dicatur actus quot modis dicatur potentia subjectiva, quæ est vera potentia realis & positiva, ac proinde sicut est alia potentia subjectiva prima, & alia potentia subjectiva secunda, ita etiam assignatur duplex actus, unus quidem substantialis qui correspondet potentiæ subjectivæ primæ, alius autem est actus accidentalis, qui correspondet potentiæ subjectivæ secundæ seu materiæ secundæ.

Arg. 2. quod actu est productum à Deo debet habere actum, sed materia prima est producta à Deo ergo debet habere actum.

Resp. dist. maj. debet aliquem actum vel proprium vel alienum habere conc. maj. semper proprium neg. maj. & concessâ min. dist. conseq. actum sibi proprium nego conseq. alienum conc. conseq. dico ergo quod sicut materia prima non est producta sine forma, sed sub forma substantiali ita actualitatem habet non à se sed à formâ.

Contra, sed etiam materia prima habet actum sibi proprium ergo sol. nulla. prob. min. subsump. quia materia prima secundùm se est bona, ergo etiam debet secundùm se habere aliquem actum. conseq. pat. quia bonitas non datur sine actu. antec. autem prob. materia 1. secundùm se sumpta est ens, ergo etiam est bona; quia bonum, & ens convertuntur ad invicem.

Resp. neg. min. subsump. ad prob. dist. antec. materia prima est bona bonitate actuali nego; bonitate potentiali conc. antec. & neg. conseq. id est solùm quod est bonum bonitate actuali hoc debet habere actum, materia autem prima non est bona bonitate actuali, seu non est bona formaliter & actualiter sine formâ, sed solùm potentialiter & secundùm quod est capax formæ substantialis.

Dices: quod actu componit compositum debet habere actum, sed materia prima actu componit compositum, ergo debet habere actum.

Resp. dist. min. quod actu componit compositum debet habere aliquem actum sibi proprium & pro quovis instanti naturæ

neg.

neg. maj. saltem alienum, & pro omni instanti reali temporis quo causat conc. maj. & concessâ min. similiter dist. conseq. ergo materia prima debet habere aliquem actum sibi proprium & pro quovis instante naturæ neg. actum alienum, & pro quovis instanti reali temporis conc. conseq.

Si autem urgeatur hoc argum. & contendat Adversarius, quod id quod causat compositum debeat etiam pro omni instanti naturæ habere actum proprium. distinguitur illa propositio, quod causat per modum subjecti susceptivi hoc debet habere pro omni instanti naturæ actum sibi proprium neg. quod causat non per modum subjecti susceptivi debet pro omni instanti naturæ habere actum sibi proprium conc. dictum autem est quod materia prima, solùm causet per modum subjecti susceptivi formæ, adeoq; non est necesse quod pro omni instanti naturæ habeat aliquem actum.

ARTICVLVS II.

Vtrum Materia prima secundùm se habeat propriam existentiam?

NOtandum, quod existentia nil sit aliud, quam actus quidam quo formaliter & primo res est extra suas causas, ita ut tamdiu res aliqua simpliciter non existat, quamdiu ad huc existit intra suas causas, sicut v. g. rosa in hyeme nondum existit, quia adhuc continetur intra suas causas scil. intra terram, propriam radicem & virtutem productivam solis.

Notandum 2. quod existentia in rebus creatis realiter distinguatur ab essentia. Essentia autem est id, quod de re primò prædicatur, ubi per ly *primò* excluduntur propriæ passiones, quæ secundariò solùm prædicantur de re. his præmissis sit.

CONCLVSIO.

Materia prima nullam habet partialem existentiam, per quam existat extra suas causas. Ita S. Th. q. 4. de potent. a. 1.

PRob. Materia 1. secundùm se spectata nullam includit formam, ergo nec habet existentiam partialem. prob. conseq. quia forma est ratio formalis constituens materiam capacem ad recipiendam existentiam, ergo si materia, secundùm se nullam

habet formam, etiam non habet existentiam. consèq. patet antec. autem prob. quia forma constituit materiam in aliquâ determinatâ specie, ergo etiam est ratio formalis recipiendi existentiam. prob. consèq. quia nil potest existere, nisi sit in aliquâ determinatâ specie, ergo.

Prob. conclusio 2. si materia prima haberet propriam existentiam distinctam ab existentiâ formæ, tunc ex formâ & materiâ non posset fieri unum per se, cum ex duobus entibus in actu non possit unum ens per se fieri, sed consequens est falsum, ergo & antec.

Arg. 1. Omne prius existit existentiâ propriâ, sed materia prima est prior formâ substantiali & toto composito, ergo existit existentiâ propriâ.

Resp. dist. maj. Omne prius prioritate temporis & independens ab altero, existit existentiâ propriâ conc. maj. omne prius prioritate naturæ & essentialiter dependens ab altero existit &c. neg. maj. sed materia prima est prior formâ prioritate temporis, nec dicit ullam dependentiam à formâ neg. min. prioritate naturæ, & habens essentialem dependentiam à forma conc. min. & neg. consèq. sicut ergo, licet essentia sit prior prioritate naturæ suis passionibus, & tamen saltem naturaliter essentia non potest esse sine passionibus, ita etiam hîc de materia primâ respectu formæ dicendum est.

Dices: nil potest causare nisi habeat existentiam, sed materiâ prima causat compositum, ergo habet existentiam.

Resp. ex dictis solutione datâ articulo præcedentè circa finem, quæ solutio hîc repetatur.

Dices: quod est extra causam efficientem hoc debet existere, sed materia prima jam est extra causam efficientem, ergo illa debet existere.

Resp. etiam ex dictis dist. maj. quod est extra causam efficientem, hoc pro omni instanti naturæ debet existere existentiâ propriâ neg. debet existere saltem per existentiam alienam conced. maj. & concessâ min. similiter dist. consèq. Dico ergo quod materia prima pro omni instanti temporis habeat existentiam emendicatam tamen à formâ.

Arg. 2.

Arg. 2. annihilatio terminatur ad non existentiam effectûs, ergo è contra creatio terminatur ad existentiam effectûs, sed materia prima creatur, ergo etiam creatio illius terminatur ad existentiam illius.

Resp. concesso antec. dist. conseq. ergo creatio &c. pro omni instanti reali temporis conc. conseq. pro omni instanti reali naturæ neg. conseq. Vnde dico, quod materia 1. pro omni reali instanti temporis habeat existentiam, non quidem propriam seu à se, sed participatam à formâ substantiali, cum quâ est creata.

Arg. 3. ea quæ producuntur per distinctas actiones, habent etiam distinctas existentias, sed materia & forma producuntur per distinctas actiones; nam materia prima producta fuit per creationem, formæ autem substantiales, exceptâ animâ rationali, præductæ sunt per generationem, ergo materia prima habet distinctam existentiam partialem.

R. illa, quæ ita producuntur per distinctas actiones, ut unum sit seorsim ab alio, habere distinctas existentias; secus autem si unum non sit seorsim ab alio, cujusmodi sunt materia & forma, nam materia producta fuit non ut separata à formâ, sed ut illi conjuncta. Vel

Resp. 2. neg. absolutè maj. nam alia actio terminatur ad Petrum v. g. nimirum generatio; alia ad ipsius animam nimirum creatio, & tamen Petrus, & anima Petri non habent existentias distinctas.

Dices, posset Deus materiam primam creare, & eam unire formæ præexistenti v. g. animæ rationali scil. Petri, ergo in tali casu materia seorsim creata haberet propriam existentiam.

Resp: in tali casu productionem non terminari ad materiam præcisè, sed ad materiam existententem existentitiâ animæ, sub quâ unita crearetur. Et licet res habens essentiam secundùm se constitutam in determinatâ specie, etiam habeat suam propriam existentiam, non tamen res habens essentiam secundùm se non constitutam in specie determinatâ, talem autem essentiam solùm habet materia prima.

ARTICULUS III.

An per absolutam Dei potentiam materia prima possit existere sine omni formâ?

NOtandum, quod duplex sit effectus formæ substantialis, Vnus primarius, & alter secundarius. effectus primarius formæ est, ut unà cum materia componat aliquod totum, illud que in certâ aliquâ specie constituat, quâ ratione ex materiâ & formâ hominis constituitur homo. effectus autem secundarius formæ est, quod rem constituat adæquatè & completè extra suas causas. hic ergo est quæstio, an materia prima possit sine formâ substantiali completè existere extra suas causas.

CONCLUSIO.

Implicat etiam per potentiam Dei absolutam, quod materia prima existat sine omni formâ. Ita expresse S. Th. quod libeto 3. q. 1. a. 1. & 1. p. q. 6. a. 1.

PRob. esse actu & non esse actu implicat contradictionem & impossibilitatem, sed si materia prima existeret sine omni formâ, tunc esset actu, & non esset actu, ergo materiam primam sic existere involuit contradictionem &c. min. prob. nam in primis materia prima esset actu, ut supponitur ab Adversarijs, quia existeret; deinde etiam materia prima non esset actu, quia esset sine formâ substantiali; quæ est actus primus materiæ primæ, ergo si materia prima existeret sine omni formâ esset actu, & non esset actu.

Arg. 1. quidquid Deus conservat mediâ causâ secundâ, hoc potest etiam se solo conservare, sed Deus conservat materiam in suo esse mediante causâ secundâ, mediante scil. formâ substantiali, ergo etiam se solo Deus materiam primam conservare potest sine formâ substantiali. maj. pat. quia quidquid perfectionis est in causis secundis, hoc Deus perfectiori modo continet. ergo.

R. dist. maj. quidquid Deus conservat mediante causâ 2. purè efficienti, hoc potest se solo conservare conc. maj. mediante causâ 2. formali neg. maj. & concessâ min. neg. conseq. Cum ergo materia

ria prima petat existere mediante forma substantiali, quæ est causa formalis, quam Deus supplere nequit (non enim potest Deus facere quod aliquod corpus sit animatum sine anima, vel album sine albedine) hinc non potest Deus facere ut materia existat sine omni formâ substantiali, à qua omnis existentia saltem *ut quo* radiliter provenit.

Dices: ideo Deus potest facere se solo quidquid facit mediante causâ 2. efficiente, quia quidquid perfectionis est in causâ 2. efficiente, hoc perfectius continetur in Deo, sed etiâ quidquid perfectionis est in causâ 2. formali hoc perfectius continetur in Deo, ergo etiam Deus se solo potest facere quidquid facit mediante causâ 2. formali.

Resp. dist. maj. ideo præcisè neg. maj. ideo & quia causa efficiens non dicit aliquam imperfectionem in cansando Deo repugnantem conc. maj. sed etiam quidquid perfectionis est in causa secundâ formali, hoc perfectius continetur in Deo, ita tamen ut causa formalis in causando dicat aliquam imperfectionem Deo repugnantem conc. min. ita ut talem non dicat neg. min. & conseq. dico ergo quod forma substantialis in causando importet imperfectionem scil. informationem, sitque pars intrinseca cum materia componens totum, quod Deo omnino repugnat.

Arg. secundò, Materia prima sine forma jam est capax existentiæ, ergo licet non habeat formam, poterit tamen per potentiam Dei absolutam existere sine illâ.

Resp. dist. antec. sine formâ materia prima est capax remotè ad existendum conc. antec. est capax proximè neg. antec. & conseq. quia nihil habet capacitatem proximam ad existendum, nisi sit in aliqua certa specie, materia autem prima sine formâ non est in aliquâ determinatâ specie, adeoque sine omni forma non potest existere.

Arg. 3. de facto materia prima extitit sine omni formâ, ergo etiam potest existere sine omni forma, antec. prob. nam Genes. 1. dicitur: terra erat inanis & vacua, per quod, ut ait S. Aug. lib. 2. super Genesin ad litt. cap. 11. designatur informitas materiæ. ergo.

Resp. neg. antec, ad prob. Resp. S. Augustinum solùm velle

quod materia prima tunc necdum habuerit illam formositatem & decorem accidentalem, qui defacto apparet, non autem quod materia tunc nullam omnino formam substantialem habuerit.

Arg. 4. quæ sunt realiter distincta, possunt à se invicem separata existere, sed materia prima est realiter distincta à formâ, ergo etiam potest existere sine formâ.

Resp. neg. maj. nam etiam relatio prædicamentalis est realiter distincta à termino, & tamen non potest existere sine termino.

Resp. 2. dist. maj. quæ sunt realiter distincta, & à se invicem independentia conc. maj. si sint â se invicem dependentia neg. maj. sed materia prima est realiter distincta â forma dependens tamen ab illâ conc. min. non dependens ab illa neg. min. & conseq.

Dices: forma substantialis per potentiam Dei potest existere sine materia, ergo etiam materia sine forma.

Confirm. accidens per potentiam Dei potest existere sine subjecto, ergo etiam materia sine formâ, Prob. conseq. quia accidens videtur magis dependere à subjecto, quàm materia â formâ.

Resp. ad 1. neg. conseq. disparitas est, quia forma substantialis, in se jam habet aliquod esse specificum, estque aliquis actus, adeoque bene potest existere sine materiâ, à qua non accipit suum esse specificum, non autem potest materia existere sine formâ, quia à forma habet suum esse specificum.

℟. ad 2. neg. conseq. ad prob. neg. ant. minus enim est, quod dependeat actus ab actu, quã pura potentia ab actu, accidens autẽ est aliquis actus jam habens aliquod esse specificum saltem incompletũ, adeoq; sine subjecto existere potest. Materia autem prima est pura potentia nõ habens aliquod esse specificũ, adeoq; materia prima magis dependet à forma substantiali, quàm accidens â subjecto.

Ex dictis Colliges, quod materia prima nullam habeat unitatem specificã positivè (quia nullam habet formam secundùm se à qua unitas specifica positiva desumitur) nec materia prima secundũ se est una unitate numericâ positivè, quia unitas specifica & numerica debent inter se proportionari, ergo si materia prima secundùm se non habeat unitatem specificam positivè, etiam non habebit unitatem numericam positivè. Adeoque materia prima secun-

secundùm se, solùm est una specie, vel numero negativè, quia secundum se non habet principium distinctionis vel unitatis seu pluralitatis. Unde ait S. Thomas, materia prima dicitur esse una numero in omnibus, quia si præcisè consideretur, non habet unde distinguatur vel numero vel specie.

Quæres an materia sublunaris harum rerum corruptibilium distinguatur specie à materia cælesti?

R. quod materia sublunaris distinguatur specie â materia cælesti, non quasi materia prima secundū se sit in aliquâ specie determinatâ, sed quia materia sublunaris dicit ordinem seu respectū ad formā substantialem amissibiliter informantem, materia autem cælestis dicit ordinem ad formam substantialē inamissibiliter informantem.

ARTICVLVS IV.

Utrum Materia prima habeat appetitum ad omnes formas etiam amissas?

NOtandum hîc, quod appetitus sit duplex, unus naturalis, alter elicitus, appetitus naturalis est, qui sequitur entitatem naturalem cujusvis rei absq; ullâ cognitione, ut v. g. lapis habet naturalem appetitum seu inclinationem ad suum centrum deorsum. appetitus autem elicitus est, qui sequitur formam apprehensam per sensum, vel per intellectum, sicut dum homo videt pulchrum equum, illum habere desiderat. Est autem appetitus in communi nihil aliud, quàm inclinatio seu propensio alicujus rei in bonum sibi conveniens.

Not. 2. quod alius sit appetitus desiderij, qui scil. versatur circa bonum absens, & alius est apppetitus complacentiæ, qui versatur circa bonum præsens seu habitum & possessum. hoc præmisso sit.

CONCLVSIO I.

Materia primæ sublunaris habet appetitum ad omnes formas corruptibiles, complacentiæ quidem circa præsentes, desiderij autem circa absentes. Ita Aristoteles. in hoc primo libro. text. 81.

PRob. 1. p. quia quævis res appetitu innato appetit suam perfectionem, sed forma est magna perfectio materiæ, siquidem actuat illam, & constituit in determinatâ specie, ergo materia

ria prima appetit omnes formas. non quidem simul habendas, sed successivè habendas, ideſt unam post aliam.

Prob. 2. & 3. p. quia appetitus desiderij est circa bonum absens, appetitus autem complacentiæ est circa bonum præsens, & possessum, ergo cum materia prima appetat formas, easdem ut habitas appetit appetitu complacentiæ, & easdem ut habendas appetet appetitu desiderij.

CONCLVSIO II.

Materia prima sublunaris nullum habet appetitum ad formas amissas ut amissæ sunt.

PRob. quia materia solùm appetit illas formas quas virtute naturalis agentis potest habere, seu ad quas habendas agens naturale potest ponere dispositiones in materiâ, sed formæ amissæ non possunt ab agente naturali reinduci in materiam, ergo materia prima non appetit formas ut amissæ sunt. mai. pat. nam aliàs etiam appeteret formas supernaturales. min. autem prob. quia naturaliter non datur reproductio ejusdem; similiter resurrectio mortuorum non potest ab agente naturali fieri, ergo.

Dixi autem in conclusione *ad formas amissas ut amissæ sunt*, quia ad formas ut formæ sunt materia adhuc potest habere appetitum. Dixi etiam in conclusione primâ, *ad formas corruptibiles*, ut insinuarem, quod materia sublunaris non appetat formam corporũ cælestium.

Arg. 1. contra 1. concluſ. si materia prima appeteret omnes formas successivè habendas, sequeretur quod appeteret corruptionem totius, sed materia non potest appetere corruptionem totius, ergo nec omnes formas. mai. pat. quia materia non potest aliam formam habere nisi prior forma sit expulsa & consequenter totum compositum destructum. min. similiter constat, quia materia tanquam pars debet tendere in bonum totius, petere autem destructionem totius non est bonum sed malum totius.

R. dist. si seq. mai. sequeretur, quod materia prima appeteret per se destructionem totius nego sequel. mai. per accidens conc. seq. & similiter distincta min. neg. conseq. dico ergo quod materia prima per accidens appetat corruptionem totius, ut ipsa sub formis successivè

cessivè habendis possit habere perpetuitatem, quam sub vnâ formâ non habet ; tum etiam ob pulchritudinem universi, quæ maximè consistit in varietate & multiplicitate generationum.

Contra: sed etiam materia nec per accidens appetit destructionem totius ergo sol. nulla. prob. min. subsumpta, quia aliàs materia prima subinde appeteret, formam imperfectiorem, dum actu habet formam perfectiorē sed falsum est quod materia prima possit appetere formam imperfectiorem dum habet perfectiorē, ergo nec per accidens, potest appetere destructionē totius. min. prob. quia aliàs appetendo formā imperfectiorem appeteret aliquod malum, sed non potest appetere malū, ergo nec formam imperfectiorem. prob. mai. quia privatio formæ perfectioris est aliquod malum, sed materia prima appetendo formam imperfectiorem, appeteret privationem formæ perfectioris, ergo appeteret aliquod malum.

Resp. dist. ult. mai. privatio formæ perfectioris secundùm se spectata est aliquod malum conc. mai. privatio formæ perfectioris ut ordinata ad majus bonū, scil. ad perpetuitatem ipsius materiæ, & bonū totius universi neg. mai. & applicatâ dist. ad min. neg. cons. vel.

Resp. quod unumquòdque appetat formam perfectiorem, si semper possit cum illâ stare, & habere perpetuitatem, si autem cum illâ non possit semper stare, nec semper possit cum illâ habere perpetuitatem, tunc bene potest appetere formam imperfectiorem, & post hanc, iterum aliam, ut tali modo perpetuitatē habere queat.

Arg. 2. contra 2. concluſ. anima rationalis separata naturaliter desiderat unionem cum corpore, & cæcus naturaliter desiderat videre. ergo etiam materia dicit appetitum ad formam illam amissam, seu ad animam separatam.

Resp. quod anima separata solùm habeat inclinationem naturalem ad unionem cum corpore, ita ut ista unio sit, solùm naturalis ex parte termini scil. corporis, quod est compars ipsius animæ in ordine ad totum componendum. Inclinatio tamen illa animæ separatæ ad corpus non est naturalis ex parte principij reunientis, quia nullum agens naturale, sed solus Deus potest animam reunire corpori. similiter etiā homo cæcus ex parte termini, nō autem ex parte principij denuò dantis visionem, eandem naturaliter appetit.

Quæres an materia prima secundùm se sit ingenerabilis & incorruptibilis?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia id quod generatur, hoc non debet præsupponi ante generationem, & id quod corrumpitur, hoc non debet manere post corruptionem, sed materia prima est ante generationem (quia est illud subjectum, quod transit de non esse ad esse) & manet post corruptionem, quia in corruptione substantiali: ut in lib. de generat. dicam, fit resolutio usq; ad materiam primam remanentem, ergo materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis.

Quæres 2. an materia prima sit radix corruptionis?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia materia prima appetendo omnes formas appetit per accidens destructionem & corruptionẽ compositi, quia nisi præcedens compositum destruatur, materia prima aliam formam substantialem habere non potest, ergo materia prima est radix corruptionis.

Dices: Materia est causa corruptionis, ergo etiam ipsa erit corruptibilis. prob. conseq. ex illo axiomate: *propter quod unum quodque tale, & illud magis tale*, ergo si totũ compositũ sit corruptibile propter materiã primam, ipsa materia prima erit magis corruptibilis.

Resp. concesso antec. neg. conseq. ad prob. dicitur illud axioma verificari, quando prædicatum potest convenire causæ & effectui, & reflecti super ipsam causam, quod hic non fit. Vnde non valet: propter vinum est homo ebrius, ergo vinum est magis ebrium, quia vinum non suscipit in se hoc prædicatum ebrij, si autem vinum illud prædicatum in se susciperet, tunc valeret conseq., sicut patet in hoc Enthymemate: propter ignem est homo calidus, ergo ignis est magis calidus, quia ignis suscipit hoc prædicatum scil. calidus.

QVÆSTIO III.

De 2. principio entis naturalis, scil. de formâ substãtiali.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid sit forma substantialis, & quænam formæ substantiales educantur de potentia materiæ?

Notan-

NOt. 1. quod forma substantialis bene definiatur quod sit act' primus materię primæ. Expl. def. dicitur esse *actus* ad differentiam materiæ primæ quæ non est actus. dicitur esse *primus*, ad differentiam subsistentiæ & existentiæ, item formę accidentalis, quę omnia non sunt actus primus, sed actus secundus. dicitur deinde *materiæ primæ*, ad denotandum quod forma sit actus aliquis incompletus cum materia componens unum ens per se, & per hoc excluduntur Angeli, qui carent omni materiâ, & sunt actus completi.

Not. 2. quod duplices sint formæ substantiales, aliquæ sunt formæ materiales imersæ omninò materiæ, quæ in esse fieri & conservari dependent à materia, sicut, est v.g. forma rosæ, forma plantæ &c. aliæ autem sunt formæ independentes à materia, ut anima rationalis, quæ separata potest existere à materia, & aliquas operationes scil. intellectionis & volitionis independenter à corpore elicere.

Not. 3. quod formam educi de potentia materiæ non sit talem formam actu in materiâ præextitisse (qualiter v. g. panis extrahitur ex cistâ in quâ fuit actu positus) sed formam educi de potentia materiæ nihil aliud est, quàm formam illam substantialem præfuisse in potentia passiva materiæ tanquam producibilem (ab agente) dependenter tamen à materia influente in genere causæ materialis receptivæ. his præmissis sit.

CONCLUSIO I.

Formæ substantiales materiales verè educuntur de potentia materiæ per generationem substantialem.

PRob. nam istæ formæ substantiales materiales habent omnes conditiones requisitas ut educantur de potentia materiæ, ergo verè ab illa educuntur. prob. antec. nam illæ formæ materiales in suo esse, fieri, & conservari dependent à materia, cum sint omnino materiales, & consequenter materia est ipsis proportionata. Deinde illæ formæ non proveniunt ab extrinseco, sed fiunt per transmutationem materiæ, concurrentis ad illas formas in genere causæ materialis receptivæ, ergo habent omnes conditiones. &c.

CONCLUSIO II.

Formæ Cælorum & Elementorum in primâ sui productione non sunt eductæ de potentiâ materiæ, sed ad creationem totius concreatæ.

PRob. nam Elementa & Cæli sunt creati à Deo, ut patet ex illo Gen. 1. in Principio creavit Deus Cælum & Terram, ergo etiam earum partes, sicut est forma substantialis eorumq; materia, sunt creatæ. prob. conseq. quia istæ partes non sunt productæ per distinctam actionem à toto, sed per eandem actionem, ergo cum totum sit creatum, etiam illius partes erunt concreatæ.

CONCLUSIO III.

Anima rationalis non educitur de potentia materiæ, sed immediatè à Deo creatur. Ita S. Th. 1. p. q. 9. a. 2. & Arist. 2. de gen. c. 3.

PRob. quia anima rationalis non dependet in suo esse & conservari à materia, ergo non educitur de potentia materiæ & consequenter creatur. conseq. pat. quia ad eductionem formæ, requiritur quod talis forma dependeat à materia, prob. antec. quia anima rationalis multorum de facto separata existit à materiâ, ut patet tam de animabus beatorum, quàm damnatorum, ergo.

Confirmatur. anima rationalis ut rationalis habet operationes independentes à materia, scil. intelligere & velle, licet enim pro isto statu contractionis ad corpus anima non possit aliquid intelligere nisi per ordinem ad phantasmata, & consequenter dependenter à corpore, absolutè tamen anima non dependet à corpore in intellectione & volitione, cum in statu separationis intelligat, & velit independenter à corpore, ergo anima ration. absolutè esse & operari potest sine corpore, & consequenter ex potentia materiæ non educitur.

Arg. 1. contra 2. concluſ. formam aliquam educi de potentia subjecti, est illam dependere in esse & fieri à materia tanquam à subjecto, sed formæ Cælorum in esse, fieri & conservari dependent à materia tanquam à subjecto, ergo educuntur de potentia materiæ. min. prob. quia formæ Cælorum non sunt per se subsisten-

tes

tes, sed planè materiales, ergo modo dicto dependent à materiâ.

Resp. dist. maj. formam educi de potentia materiæ nil est aliud quàm dependere ab eâ tanquam à subjecto *in quo* neg. maj. tanquam à subjecto *ex quo*, seu ex cujus transmutatione fiat talis formæ eductio conc. maj. & sic dist. min. neg. conseq. dico ergo, quod formæ Cælorum non dependeant à materia tanquam â subjecto *ex quo*, quia forma Cæli non fuit facta per transmutationem materiæ, quæ transmutatio tamen ad eductionem formæ substantialis requiritur.

Arg. 2. contra 3. concluſ. illa forma educitur de potentia materiæ, quæ antea fuit in potentia materiæ & postea fit actu, sed anima rationalis præfuit in potentia materiæ, & postea fit actu, ergo anima rationalis educitur de potentia materiæ. prob. min. quia esse in potentia materiæ nil est aliud, quàm quod materia prima possit causare formam, sed antequam anima rationalis fuit actu, potuit materia prima causare animam rationalem. ergo præfuit in potentia materiæ. prob. minor, materiam posse causare aliquam formam in genere causæ materialis nil est aliud, quam posse recipere formam, sed antequam anima rationalis fieret, potuit materia prima suscipere eandem animam rationalem, ergo.

Resp. dist. ult. maj. nil est aliud quam posse recipere talem formam substantialem quomodocunq; neg. maj. recipere illam ut dependentem â se in esse, fieri & conservari conc. maj. sed materia prima potuit recipere animam rationalem, ut depedentem à se in esse, fieri & conservari neg. min. ut non dependentem à se in esse, fieri & conservari conc. min. & neg. conseq.

Arg. 3. qui producit ultimam dispositionem ad aliquam formam, etiam producit talem formam, sed agens naturale scil. homo producit ultimam dispositionem ad animam rationalem, ergo etiam producit illam.

Resp. dist. maj. qui producit ultimam dispositionem ad aliquam formam ad hoc ut illa forma absolutè sit, etiam producit talem formā conc. maj. qui producit &c. ad hoc tantùm ut uniatur materiæ neg. maj. sed homo producit ult. dispositionē ad animā rationalē adhoc ut absolutè sit neg. min. Vt uniatur ipsi materię conc.

min. & neg.conseq.quia licet positâ ultimâ dispositione â generante sequatur productio animæ rationalis, hoc tamen non contingit ex vi &efficacia accausalitate talis dispositionis(uti contingit in productione aliarum formarum materialium)sed solùm fit ex vi decreti divini, quo Deus decrevit positâ tali dispositione tanquam conditione *sine qua non* etiam creare animam rationalem.

Ex dictis Colliges, quod etiam omnes formæ accidentales naturales verè educantur de potentiâ subjecti.

Cujus ratio est, quia omnes illæ formæ accidentales naturales in esse fieri & conservari dependent à subjecto, ergo educuntur de potentia subjecti. antec. pat. quia omne accidens ex natura suâ dicit dependentiam à subjecto in esse, fieri & conservari, cum accidens solùm sit entis ens. Et hoc ipsum declaratur in calore, nam hic dependet v.g.à ligno cui inhæret, dependet etiam calor à ligno v. g. in fieri, quia calor non fit extra lignum, sed dependenter â ligno tanquam à subjecto *in quo* recipitur, & consequenter etiam ab eo dependet in conservari,nam si lignum v.g. destruatur etiam destruitur calor,qui fuit in eo receptus,ergo.Et idem propter rationē datam, dicendum est de formis artificialibus, & similibus formis.

Quæres an gratiâ & alij habitus supernaturales sint educti de potentia obedientiali animæ rationalis ? ante

Resp. Notandum quòd potentia obedientialis passiva nil aliud sit, quàm ipsa entitas alicujus rei, prout dicit ordinem ad agens supernaturale scil. Deum, qui mediante tali potentiâ obedientiali creaturæ, cum eâ vel ex eâ potest facere quidquid non implicat contradictionem. hoc supposito.

Resp. ad quæsitum,quod formæ accidentales spirituales,sicut est gratia & alij habitus supernaturales educantur de potentia obedientiali animæ rationalis, non autem creentur à Deo. Ita S. Thomas q. 3. de ver. a. 8. ad 3.

Prob.eductio est productio formæ dependenter à subjecto tanquam â quo dependet in fieri & conservari, sed hoc competit,prædictis formis spiritualibus, ergo educuntur de potentia obedientiali animæ rationalis. Min. pat. nam omne accidens etiam spirituale dicit dependentiam à subjecto.

Nec

Nec dicas quod gratia saltim possit concreari cum animâ rationali, nam.

Contra est, quia illa solùm propriè concreantur, quæ habent necessariam connexionem cum eo quod creatur, sicut propriæ passiones animæ rationalis cum animâ rationali concreantur, quia habent essentialem connexionem cum illâ; sed gratia non habet necessariam & essentialem connexionem cum anima rationali, ergo gratia non potest dici concreari. Maj. pat. & min. similiter constat, quia gratia est supra totam naturam, nec alicui subjecto est connaturalis ut docetur in Theologiâ.

Dices: psal. 50. dicitur: cor mundum crea in me Deus; quæ verba indicant, quòd gratia, per quam solùm habetur cor mundum, creetur.

Resp. quòd in hâc authoritate & in similibus *ly creari* nõ sumatur propriè & strictè, prout est productio alicujus entis ex nihilo, sed sumitur largè, prout nimirum ly creare idem significat, ac promovere seu evehere, qualiter dicuntur creari Episcopi. Unde sensus illius authoritatis est; ô Deus meus evehe seu promove cor meum ad munditiam, ut sit à peccati fæce immunis.

QVÆSTIO IV.

De tertiò Principio entis naturalis scilicet de Privatione.

ARTICULUS UNICUS.

An & quid sit privatio tanquam principium entis naturalis?

NOtandum, quod ad hoc ut aliquid sit vera privatio alicujus formæ, requiratur, quod sit carentia formæ debitæ tali rei non tantùm ratione sui generis, sed etiam ratione suæ speciei, & sic talpa non habet propriè privationem visûs, quia licèt privatio visûs conveniat talpæ ratione sui generis seu ut animal est, non tamen ei convenit ratione suæ speciei, seu ut talpa est.

CON-

CONCLVSIO I.

Privatio ut est principium entis naturalis bene definitur, quod sit carentia formæ naturalis in subjecto apto nato habere illam.

EXplicatur: dicitur primò *carentia*, per quam particulam convenit cum negatione, & denotatur quod licet privatio non sit ens positivum, sit tamen ens reale remotivum. Dicitur secundò *formæ naturalis*, ad denotandum privationem non esse carentiam cujuscunque entis, sed solùm entis physici & naturalis, & ideo carentia formæ supernaturalis non censetur esse physica privatio, per alias autem particulas distinguitur à negatione.

CONCLVSIO. II.

Privatio est verè principium entis naturalis.

PRob. privatio est de intrinsecâ ratione generationis, cum generatio definiatur per ordinem ad privationem, ergo privatio est principium entis naturalis, antec. prob. quia generatio substantialis nil est aliud quam transitus subjecti de non esse ad esse; ubi per ly *non esse* designatur privatio, quæ est ens naturale remotivum alicujus formæ, daturque in ratione remotionis entis ante omnem operationem intellectûs, cum nullo intellectu cogitante homo v. g. dicatur esse privatus visione vel albedine. ergo.

Arg. 1. contra secundam, privatio est verum principium entis naturalis, ergo privatio est verũ ens positivum; vel si non est ens positivum reale, etiam non erit principium entis naturalis. conseq. pat. quia principiatum dependet â suo principio, ergo si principiatum est ens reale positivum, etiam principium erit tale.

Resp. neg. conseq. ad prob. dicitur ens naturale dependere à privatione in fieri, non autem in facto esse, ideoque non est necesse, quod sit ens reale positivum, sed sufficit quòd sit ens reale remotivum.

Arg. secundò, nil potest percipi sensibus, nisi sit verum ens reale positivum, sed privatio v. g. cæcitas percipitur visu, ergo est ens reale positivum.

Resp.

Resp. dist. maj. & conceditur de illis, quæ per se percipiuntur à sensibus, non autem de illis, quæ per accidens à sensibus percipiuntur, ut sunt privationes, hæc enim non per se sed tantùm per absentiam formæ positivæ percipiuntur, dum enim visus percipit non esse lumen, advertit esse tenebras, quæ sunt privatio lucis.

QVÆSTIO V.

De composito substantiali.

ARTICULUS I.

Vtrum totum Compositum distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis & unitis?

NOtandum, hîc sensum articuli esse, an homo v. g. qui est aliquod totum, distinguatur à sua materia & formâ seu anima rationali, quatenus istæ partes scil. materia & forma simul sunt conjunctæ & unitæ.

CONCLUSIO.

Totum non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & unitis, sed tantùm ratione ratiocinatâ. Ita S. Thomas 4. cont. Gent. cap. 81. ad. 2.

PRob. 1. p. quia idem non potest realiter distingui à seipso, sed totum nil est aliud quàm partes simul sumptæ & unitæ, & è contra partes unitæ nil aliud sunt quàm ipsum totum, ergo totum non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & unitis.

Confir. Ens coalescens ex purâ potentia & actu substantiali est omnino idem ac totum compositum substantiale, sed materia & forma simul sumptæ & unitæ sunt aliquid coalescens ex pura potentia & actu substantiali, ergo partes simul sumptæ sunt ipsum compositum substantiale, & consequenter ab eo realiter non distinguuntur.

Prob. 2. p. ea distinguuntur ratione ratiocinatâ, quorum unum clarè & explicitè dicit id, quod aliud dicit implicitè, sed partes simul sumptæ & unitæ magis clarè & explicitè dicunt id quod

dicit totum, ergo totum à partibus simul sumptis & unitis distinguitur per rationem ratiocinatam. Maj. pat. ideo enim definitio & definitum distingnuntur ratione ratiocinatâ v. g. animal rationale, ab homine, quia definitio magis clarè & explicitè dicit id, quod definitum implicitè continet, ergo.

Arg. 1. Arist. lib. 7. met. cap. 17. ait syllaba Ba non est B. & A, sed compositum ex his coalescens, & lib. 8. cap. 7. ait: totum est aliquid præter partes, ergo secundùm Arist. totum à partibus realiter distinguitur.

Resp. ad 1. quod Aristoteles solùm velit quod syllaba Ba non sit B. & a. si hæ litteræ sumantur absque unione & ordine, si autem cum tali unione & ordine sumantur, sic sine dubio syllaba Ba, est B, & a.

Resp. ad 2. quod Arist. ibi velit, quod totum sit aliquid præter partes seorsim & divisivè sumptas. Et sic homo qui est aliquod totum, non est sola materia, nec est sola forma, sed est materia & forma simul sumpta & unita.

Arg. secundò, causæ distinguitur realiter à suo effectu, sed materia & forma unitæ causant totum, ergo totum à partibus unitis realiter distinguitur. Maj. pat. & min. prob. quia materia causat totum recipiendo formam, & forma informando materiam, sed materia non recipit formam, nec forma informat materiam, nisi in quantum ambæ uniuntur, ergo. Antequam huic argumento Resp.

Notandum partes unitas 2. pliciter posse sumi; semel connotanter seu divisivè, & alio modo collectivè. Et quidem divisivè sumuntur quando una importatur in recto, altera in obliquo, ut cum dicitur, materia ut sustentans formam, & formaut informans materiam. Collectivè verò sumuntur, quando utraque importatur unica collectione in *recto*, ut cum dicitur, materia & forma unitæ. Primo modo sumptæ causant compositum, non autem sumptæ secundo modo. Hoc præmisso.

Resp. concesâ maj. dist. minorem primam: materia & forma unitæ divisivè sumptæ seu quatenus una importatur in recto & altera in obliquo causant totum conc. min. materia & forma collectivè

ctivè sumptæ seu prout utraque importatur in recto neg. min. & similiter dist. conseq. ad prob. dist. min. nisi in quantum uniuntur, ita nimirum ut una se habeat in recto, & altera in obliquo conc. min. collectivè seu sic ut utraque se habeat in recto neg. min. & similiter dist. consequens.

ARTICVLVS II.

An inter materiam & formam detur modus aliquis Unionis intermedius quo inter se Vniantur; an verò materia & forma immediatè inter se uniantur, sine tali modo unionis intermedio?

CONCLVSIO

Materia & forma uniuntur inter se immediatè suis propriis entitatibus, ita ut non intercedat nexus aliquis, seu modus unionis realiter distinctus à partibus unitis. Ita S. Th. 1. p. q. 76. a 6. & 7. ubi in fine articuli sic inquit. Anima immediatè corpori unitur ut forma materiæ. Idem habet. 2. Contra Gent. c. 71.

PRob. 1. actus primus substantialis scil. forma, & pura potentia receptiva scil. materia prima se immediatè respiciunt, ergo etiam positâ dispositione agentis sibi invicem immediatè uniuntur. prob. conseq. quia aliàs non possent se invicem immetè respicere.

Prob. 2. si requireretur ille modus unionis realiter distinctus à materia & forma, tunc requireretur vel ex eo, quod esset ratio formalis, quâ materia & forma fierent unibilia; vel esset ipsa applicatio materiæ & formæ, communicans unam alteri, vel tandem esset aliquod resultans ex tali communicatione, sed nil horum potest dici, ergo non datur ille modus intermedius unionis. Prob. min. pro 1. p. quia illa unio jam supponit materiam tanquam puram potentiam esse formæ unibilem, & ècontra formam substantialem tanquam actum primum esse unibilem materiæ, nec etiam applicat unum extremum alteri, quia illa applicatio non est prædictus modus unionis, sed est tantum actio seu dispositio à generante procedens. Nec etiam potest dici tertium, quod scil. sit aliquid resultans ex tali conjunctione: quia id quod consequitur conjunctionem & applicationem extremorum, non est ille modus causans unionem

ut medium, sed est quædam relatio ex activâ & passivâ unione unitorum seu extremorum resultans, quod libenter admitto, nec hoc est contra me, cum talis relatio consequatur extrema jam unita, ergo ille modus unionis ab adversarijs positus nec est ratio formalis faciens extrema unibilia, nec est ipsa applicatio materiæ & formæ, nec est aliquid ex tali conjunctione resultans.

Arg. 1. id quod producitur distinctâ actione à productione materiæ & formæ, hoc est aliquid distinctum ab illis, sed unio producitur distinctâ actione, quia anima v. g. rationalis & materia producuntur per creationem; unio autem per eductionem de potentia materia, nam generans hominem aliter unionem producere nequit, quàm educendo illam de potentia materiæ, ergo datur ille modus unionis inter materiam & formam.

Resp. agens naturale seu hominem generantem non producere unionem animæ rationalis, sed tantùm illam attingere videl. conjungendo partes, conjunguntur autem non per modum aliquē intermedium, sed immediatè seipsis, ita tamen ut præsupponant actionem, & dispositionem ipsius agentis, quàm dispositionem solùm homo generans producit.

Dices: actio generantis debet habere aliquem terminum productum, sed non habet pro termino materiam & formam, ergo unionem.

Resp. terminum actionis generativæ non esse materiam, nec formam, nec unionem, sed ipsum totum compositum. Deinde etiam potest dici actionem productivam exigere terminum saltem de novo modo attactum; actio autem unitiva (qualis est actio hominis generantis) non exigit terminum de novo productum.

Arg. 2. Existente entitate materiæ & formæ, quandoq; existit unio inter illas, quandoq; non, ergo illa unio distinguitur realiter ab illis entitatibus materiæ & formæ. prob. conseq. quia illa quæ se ita habent ut unum maneat altero destructo, distinguuntur realiter. antec. similiter pat. in homine v. g. defuncto.

R. dist. cons. ergo illa unio distinguitur ab eis adæquatè tanquàm esset tertia entitas distincta medians inter materiam & formam neg. conseq. perit illa unio tanquam aliqua realitas distincta

inadæ-

inadæquatè & secundum id quod quævis pars importat in obliquo, conc. conseq. Dico ergo quod unio materiæ nil aliud sit quàm ipsa materia ut sustentans formam, & ideo in recto dicit ipsam entitatem materiæ, in obliquo autem & de connotato dicit formam informantem, & ideo dum perit vnio materiæ, non perit materia, nec tertia unio seu realitas inter media, sed solùm perit forma, quæ informavit materiam, seu perit ipsa informatio, ita ut materia desinat esse informata, & forma esse sustentata â materia.

Et hæc de toto primo libro Physicorum, dicta sufficiant. Omnia ad Majorem DEI, Deiparæq; Virginis Gloriam.

LIBER SECVNDVS PHYSICORUM

QUÆSTIO VI.

De natura, arte & Violento.

ARTICVLVS I.

Quomodo definiatur natura, & quibus conveniat illa definitio?

CONCLUSIO.

Natura bene definitur quod sit principium & causa motûs & quietis ejus in quo est primò & per se, & non secundùm accidens.

PRob. conclusio explicando singulas particulas: ly *principium* ponitur loco generis, & per eam convenit cum privatione; per ly *causa* excluditur privatio à definitione naturæ, quia privatio non est causa. denotatur etiam per istas duas particulas quod natura complectatur tam principium activum quàm passivum motûs. Dicitur tertio *motûs & quietis*, ad denotandum quòd natura in aliquibus sit simul principium motûs & quietis, in quibusdam autem solùm sit principium motûs, ut in primo mobili; & denique in aliquibus tantùm sit prin-

cipium quietis, ut in terra & in Cælo Empyreo. Dicitur præterea *ejus in quo est*, per quod denotatur quod motus, cujus natura est principium, debeat intrinsecè reperiri in illo ente in quo reperitur natura. Vnde per hoc excluduntur Angeli, qui licet extrinsecè causent motum in Cælis, non tamen sunt principium alicujus motûs physici in se ipsis. Excluduntur similiter artificialia, quæ non habent ortum à formâ sibi intrinseca, sed ab arte, quæ est extrinseca naturæ. Dicitur deinde *primò*, quæ particula designat quod natura debeat esse principium radiale & remotum Physici motûs indistinctum ab essentiâ, & per hanc particulam excluduntur principia proxima motûs v. g. potentia progressiva in homine. Dicitur ultimò *per se, & non secundum accidens*, per quas particulas denotatur naturam esse causam motûs ex principijs connaturalibus sibiqúe debitis, & non ab extrinseco. Et per hanc particulam excluditur ars, quæ non est principium motûs per se ejus in quo est. porro hæc definitio est essentialis, quia traditur per sua essentialia.

Quæres quibus conveniat hæc definitio naturæ?

Resp. eam convenire materiæ & formæ, ita ut forma sit natura per modum principij activi, materia autem sit natura per modum principij passivi; deinde etiam materia & forma non sunt principia proxima motûs vel quietis, sed sunt principia remota & radicalia, ergo hæc definitio convenit materiæ & formæ.

Item hæc definitio naturæ etiam convenit formis Cælorum. Ratio est. quia definitio naturæ verè convenit principio passivo motûs, sed forma Cælorum est verè principium passivum motûs, quo inclinantur in motum sui singularem, ergo formis Cælorum convenit definitio naturæ.

Maj. pat. quia etiam materia est principium passivum, & tamen ei convenit definitio naturæ, ergo. min. prob. autem sic. quia formaCæli est principium motûs circularis causati effectivè ab ipso angelo movente ergo.

Tertio, dicta definitio naturæ licet non conveniat animæ rationali separatæ à corpore, convenit tamen animæ rationali corpori unitæ. Cujus ratio est. quia anima rationalis ut rationalis est

forma

forma hominis, ergo etiam est natura. prob. conseq. quia Aristot. dicit, quod natura verè & propriè dicatur de materia & formâ, tanquam de partibus entis naturalis. Tum etiam quia anima rationalis ut unita corpori est principium Physicæ mutationis ejus in quo est v. g. admirationis, risûs fletûs, locutionis &c. ergo ei verè convenit definitio naturæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum Ars possit efficere opera naturæ?

NOtandum quod ars nil aliud sit quàm habitus rectâ cum ratione factivus. potest autem ars 2. pliciter sumi. semel pro habitu intellectuali dirigente operationes, & dante præcepta ad aliquod opus faciendum. 2. potest sumi ars pro formâ artificiali v. g. alicujus statuæ. Vnde hic quæritur an artifex per artem in suo intellectu residentem possit efficere opera illa, quæ à naturâ id est, â naturali agente producuntur. Et an ars sumpta pro forma artificiali possit esse principium illarum operationum aut motuum, qui à naturâ aut forma substantiali possunt procedere.

Notandum 2. quod 3. pliciter possit aliquid esse causa alicujus. 1. strictè & per verum influxum, sicut ignis est causa ignis vel incendij 2. largo modo, in quantum nimirum solùm applicat causam ad agendum; sicut miles applicans ignem ad tectum ligneum, est causa incendij inde causati. 3. aliquid est causa ut tantum removens prohibens, quâ ratione qui removet columnam, quâ sustentatur v. g. fornax, est causa ruinæ fornacis, his præmissis sit.

CONCLVSIO.

Ars secundùm se non potest per verum influxum producere aliquod opus naturæ, potest tamen concurrere ad efficientiam illius applicando activa passivis, vel tanqnam conditio sine quâ non. Ita S. Thom. 2. Phys. lect. 2.

PRob. 1. Pars. quia natura verè & propriè causat motum ab intrinseco effectivè in eum influendo, vel saltem subjectivè eum recipiendo, sed neutro modo potest ars influere in motum

tum, ergo ars secundùm se non potest per verum influxum &c. maj. pat. & min. similiter constat. quia ut dictum est ars tantum directivè concurrit tanquam principium extrinsecum motûs regulando scil. potentiam ad aliquem modum, ut v. g. ars saltandi dirigit pedes quomodo secundùm artem debeant moveri pedes, non autem intrinsecè producit substantiam motuum pedum, ergo.

Prob. 2. Pars. nam experientiâ constat quod per artem medicinalem tam bene applicentur virtutes rerum naturalium & herbarum nostris corporibus, ut ex earum applicatione assequamur sanitatem, quæ est forma naturalis, sed ars ibi tantùm concurrit applicando activa passivis, ergo ars applicando activa passivis potest concurrere ad aliquod opus naturæ.

Confirm. nam pulli, qui aliàs solent generari medio calore gallinæ ovo incubantis, subinde educuntur per industriam humanam ex ovo per applicationem quorundam corporum calidorum, ergo.

Arg. 1. definitio naturæ convenit arti, ergo ars potest facere opera naturæ. prob. antec. natura est principium motûs ejus in quo est, sed hæc definitio convenit arti, ergo. prob. min. nam potest esse quod aliquis medicus curet se ipsum, sed tunc ars est principium motûs ad sanationem ejus in quo est. similiter etiam ars saltandi in saltante est principium motûs ejus in quo est, ergo.

Resp. neg. antec. ad prob. rursus neg. min. ad hujus prob. dist. min. sed tunc ars est per se, & intrinsecum seu essentiale principium neg. min. accidentale & extrinsecum conc. min. & neg. conseq. natura autem est per se & essentialiter, principium motûs ejus in quo est. similiter ars saltandi solùm est principium extrinsecum, per accidens seu accidentale, nec concurrit ad substantiam motûs pedum, sed concurrit tantùm ad modũ quendam artificiosè saltandi.

Arg. 2. Exodi 7. legitur quod per magos Ægyptiacos producti fuerint veri serpentes. quod etiam asserit S. August. magi autem illi per artem serpentes illos produxerunt. Item Archittes Torentinus fecit columbam hinc, & inde volantem. Præterea statuæ Dædali hinc & inde cucurrerunt, ergo ars verè potest efficere opera naturæ.

Resp.

R. ad 1. quod per applicationem activorum ad passiva illi serpentes fuerint producti. Magi enim Ægyptiaci usi fuerunt operâ Dæmonum, qui statim sciverunt quædam semina habentia vim putrefaciendi corpora, & ex eorum materiâ producendi formas serpentum, applicare.

Resp. ad 2. quod si illæ circumvolationes & curcumcursiones non fuerint factæ cum illusione dæmonum. & deceptione oculorum. hoc, inquam, suppositò, dico quod statuæ illæ circuierint per aliquod artificium humanum intus confectum v. g. per argentum vivum intus latens, vel per quoddam artificium horologicum.

Arg. 3. aurum est verum ens naturale, sed per artem Alchimiæ potest fieri verum aurum, ergo ars saltem Alchimiæ potest efficere verum opus naturæ.

Resp. admittendo quod per artem Alchimiæ seu Chimicam verum aurum producatur, hoc tamen non producitur ab arte effectivè, sed tantùm applicando activa passivis, quod non est contra me.

ARTICULUS III.

In quo expediuntur ea, quæ de violento dici solent.

QUæres primò: quid sit violentum?

Resp. quod violentum bene definiatur ab Arist. 3. Ethic. cap. 1. esse id, cujus principium est extrinsecum passo non conferente vim.

Explicatur definitio: *ly non conferente vim*, non debet accipi negativè sed positivè, ita ut idem sit quod contraniti seu contrariari. cujus ratio est, quia non dicitur propriè violentiam pati is, qui non resistit, nec avertit passionem, aliàs enim motus cæli esset violentus, eò quod sit à principio extrinseco scilicet intelligentiâ, & passum ideſt cælum non resistit. Similiter etiam habitus infusi gratiæ & charitatis, species angelicæ, lux in aëre, & multa similia essent violenta, quod tamen est falsum.

Porrò repugnantia passi non semper debet esse actualis, sed debet esse actualis vel virtualis & prælens: unde etiam dormiens, si præcipitaretur, pateretur violentiam. Dixi quod illa repugnantia

debeat esse præsens, quia ut aliquis actus sit violentus, non sufficit, quod sit contra inclinationem præteritam vel præcedentem; passum enim non dicitur resistere per inclinationem, quæ præcessit, sed per eam, quam actu vel virtute habet. quod ipsum bene declarat S. Th. q. 22. de verit. art. 8. in corpore dicens. lapidi, ratione suæ gravitatis, inest inclinatio ad locum deorsum, hâc autem inclinatione manente, si sursum proijciatur, erit violentia, si autem Deus à lapide auferret inclinationem gravitatis, & daret ei inclinationem levitatis, tunc ferri sursum, non erit ei violentum, licèt gravitas præcesserit.

Quæres secundò: an necessarium, violentum, coactum, involuntarium & impedimentum omnino idem sint, an verò inter se differant?

Resp. quòd illa quinque enumerata multum inter se differant secundùm diversas formalitates.

Nam in primis necessarium dicitur prout opponitur contingenti seu indifferenti, & importat determinationem ad unum excludendo facultatem ad oppositum.

Violentum autem includit quidem eandem necessitatem & determinationem ex parte ejus, qui patitur violentiam, addit tamen supra necessitatem, quod sit à principio extrinseco, quia à principio proprio & intrinseco nihil violentatur, siquidem aliquid potest necessariò fieri à principio intrinseco, sine violentiâ, ut patet in amore beatifico, & motibus primò primis. Coactum fermè idem est quod violentum, propriè tamen loquendo coactum solùm opponitur spontaneo seu voluntario, & ideo solùm reperitur in cognoscentibus, quæ dicuntur cogi in his, qua sunt contra eorum inclinationem, & ideo coactio dicit ordinem ad appetitum elicitum repugnantem. At verò violentum etiam competit rebus inanimatis, ut dum lapis projicitur sursum.

Involuntarium interdum sumitur pro coacto aut violento, violentum tamen latiùs patet quàm involuntarium. Tum quia involuntarium tantùm datur respectu viventium, in quibus est appetitus elicitus mediante cognitione sive sensitivâ, sive intellectivâ, violentum verò dicitur etiam de inanimatis omni cognitione ca-

rentibus, unde moveri sursum est lapidi violentum, non autem involuntarium. Tum etiam, quia in viventibus in quibus est appetitus elicitus, quamvis omne violentum sit involuntarium, non tamen è contra omne involuntarium est violentum, quia involuntarium non tantùm provenit ex violentiâ, sed etiam ex ignorantiâ ob defectum cognitionis, ut docent theologi.

Denique impedimentum significat detentionem facultatis seu potentiæ, ne possit exercitium habere, & potest dari tam respectu operationis (ut si impediatur homo ne ambulet) quàm respectu cessationis ab operatione, sicut dum quis impeditur à somno vel quiete. Item etiam impedimentum potest dari tam respectu motûs naturalis, ut dum lapis impeditur, ne descendat deorsum, quàm respectu motûs violenti, ut dum lapis projicitur sursum, & detinetur, ne ulterius transeat.

Ex his colligitur primò, quòd impedimentum latiùs pateat, quam necessarium, quia necessarium solùm opponitur contingenti seu indifferenti, impedimentum autem cuicunque facultati expeditæ sive necessariò operetur, sive contingenter.

Colligitur secundò, quod necessarium latius pateat, quàm violentum, quia omne violentum est necessarium ex parte patientis violentiam, non tamen omne necessarium est violentum, ut quando agens aliquod necessariò operatur ab intrinseco, sicut fit v. g. in actu amoris beatifici.

Colligitur tertiò, quòd violentum latiùs pateat quàm coactum, quia omne coactum est violentum, non tamen omne violentum est coactum, sed tunc solùm quando opponitur spontaneo seu voluntario, & ideo coactum solùm invenitur in cognoscentibus.

Quæres tertiò, an voluntas possit pati violentiam? ante Resp. Nota, quod duplex sit actus voluntatis, unus elicitus, qui ab ipsâ voluntate procedit immediatè, sicut velle. Alius est actus voluntatis imperatus, & mediante aliâ potentiâ exercitus, ut actus ambulandi & loquendi, qui à voluntate solùm imperantur. hoc prænotato.

Resp. ad quæsitum, quod voluntas quoad actus imperatos possit pati violentiam, non autem quo ad actum à se elicitum.

Ratio 1. p. est, nam per violentiam membra exteriora impediri possunt, ne imperium voluntatis exequantur, ut v. g. si voluntas Petri imperet ambulationem, & aliquis per vim liget ipsius pedes, ergo voluntas quoad actum à se imperatum potest pati violentiam.

Ratio 2. p. est, nam actus voluntatis elicitus nil aliud est, quàm inclinatiò quædam procedens *ab interiori principio cognoscente*, sicut appetitus naturalis est quædam inclinatio ab interiori principio, & sine cognitione, sed quod est violentum hoc solùm est *ab exteriori principio*, ergo contra rationem actûs eliciti à voluntate est, quod sit violentus.

Confirm. & magis explicatur hæc ratio. Violentum est id quod est contra inclinationem ejus, quod dicitur violentiam pati, sed omnis actus à voluntate elicitus est secundùm ejus inclinationem, imò est quædam actualis inclinatio voluntatis; licèt enim voluntas non semper inclinetur in objectum, sed aliquando illud etiam aversetur & fugiat, ipsa tamen nolitio seu actus aversionis, est quoddam pondus voluntatis ad fugiendam tale objectum, & sic semper est inclinatio ex parte actûs, licèt sit quædam repugnantia erga objectum: ergo nullus actus à voluntate elicitus potest esse violentus.

QVÆSTIO VII.

De causis in communi & in particulari.

ARTICVLVS I.

Quid & quotuplex sit causa?

CONCLVSIO I.

Causa in communi bene definitur quod sit id ad cujus esse sequitur aliud.

EXplicatur definitio: per *ly id* denotatur quod causa debeat esse *principium* & prior saltem naturâ suo effectu, qui est aliquod principiatum. per *ly ad cujus esse* denotatur quod omnis causa actu causans saltim pro omni instanti reali temporis debeat habere aliquod esse reale. per *ly sequitur* denotatur, quod effectus ex

causâ cum reali influxu & dependentiâ ab illa procedat. per *ly aliud* denotatur, quod effectus debeat esse diversus *specie* vel numero à suâ causâ, ita nimirùm ut non sit eadem essentiâ seu natura indivisa in ipsa causa & effectu. Unde licet Pater in divinis sit principium filij, non tamen est causa filij, quia filius habet eandem naturam omninò indivisam cum patre generante.

CONCLVSIO II.

Quatuor sunt genera causarum scil. materialis, formalis, efficiens & finalis.

PRob. tot sunt genera causarum, quot influunt in ens naturale, (cum enim ens naturale inter omnia sit maxime compositum, hinc debet à pluribus causis dependere) sed tantùm sunt quatuor genera causarum, quæ habent suam causalitatem in ens naturale, scil. materialis, formalis, efficiens & finalis, ergo sunt tantum quatuor genera causarum. min prob. nam in primis materia prima influit in ens naturale recipiendo, & sustentando formam, & sic habetur genus causæ materialis; Cùm autem materia secundùm se sit planè informis; nec distinguat unum ab alio, hinc etiam adest forma, quæ actuat & informat materiam, & sic tanquam compars materiæ constituit totum, & sic etiam habetur causa formalis; quia autem forma non efficit seipsam, hinc debet dari causa efficiens eandem causans, quia verò causa efficiens necessariò debet agere propter aliquem finem, hinc etiam accedit causa finalis; ergo quotuor sunt genera causarum, quæ habent causalitatem in ens naturale.

Arg. 1. contra 1. concl. hæc definitio non convenit materiæ & formæ, ergo non est bona. prob. antec. nam ad esse formæ & materiæ non sequitur aliud, ergo. prob. antec. quia compositum non distinguitur realiter à suis partibus, ergo.

Resp. dist. vlt. antec. compositum non distinguitur realiter à suis partibus collectivè sumptis & simul vnitis conc. antec. divisivè sumptis neg. antec. & neg. conseq. solutio hæc patet ex supradictis de composito substantiali.

Arg. 2. idem non potest esse simul causa & effectus, sed forma est effectus generationis, ergo non potest esse causa.

Resp. dist. mai. idem in eodem genere causæ non potest esse causa & effectus conc. maj. in diverso genere causæ neg. maj. sed forma est effectus in genere causæ formalis neg. min. in genere causæ materialis, finalis, vel efficientis conced. min. & neg. conseq. dico ergo quod causæ sint sibi invicem causæ, & ideo id quod in uno genere causæ est effectus, in alio genere causæ potest esse causa.

Dices: si forma esset causa in genere causæ formalis maxime esset ideo, quia dat existentiam, sed non dat existentiam, ergo nullo modo est causa. prob. min. quia forma existit existentia totius, ergo.

Resp. dist. ult. conseq. ergo forma non dat existentiam ut quod conc. conseq. ut quo neg. conseq.

Arg. 3. cont. 2. causa instrumentalis nō est id unde primò incipit motus, ergo non potest ad genus causæ efficientis pertinere, & consequenter ad nullum genus causæ spectat, ac proinde illa divisio causarum est diminuta.

Resp. quod licet causa instrumentalis, si comparetur ad causam principalem non sit id unde primò incipit motus effectivè, si tamen comparetur. ad aliàs causas, sic incipit ab eâ primò motus effectivè. dixi *effectivè* quia licet ex alijs causis una subinde alteram præcedat non tamen ab illâ incipit motus effectivè.

Arg. 4. causa exemplaris ad nullum genus causæ videtur pertinere, ergo illa divisio est diminuta.

Resp. quòd Idæa seu exemplar, quod nil est aliud, quàm similitudo & imago rei artificiosæ formandæ & redigendæ ad opus, reducatur ad genus causæ formalis extrinsecæ, quæ scil. dat non quidem speciem intrinsecam, qualem dat forma substantialis, sed extrinsecam tantùm.

Cujus ratio est, quia forma ut sic nil aliud est quàm forma determinans rem ad certam aliquam speciem, sed exemplar determinat exemplatum, puta domum ad talem speciem, non quidem intrinsecè & per sui communicationem, sicut forma substantialis se communicat materiæ, sed extrinsecè solùm per passivam sui imitationem, quatenus ad ejus similitudinem artifex eam constituit, ergo exemplar respectu sui exemplati habet rationem causæ formalis extrinsecæ.

ARTI-

ARTICULUS II.

Vtrum omnis causa debeat esse prior suo effectu; eoq; perfectior?

NOtandum hîc, quod duplex sit causa. una univoca, quæ scil. producit effectum ejusdem speciei secum, sicut homo producit hominem, & leo leonem. alia est causa æquivoca, quæ producit effectum diversæ speciei, ut sol producit aurum.

Notandum 2. duplicem esse prioritatem; unam temporis seu *in quo* & alteram naturæ, seu *à quo*. id dicitur esse prius altero prioritate temporis, quod est in aliquo instanti reali, in quo non est aliud, sicut v.g. Adam est prior Christo; vel pater suo filio. tunc autem dicitur aliquid esse prius prioritate naturæ, quando est aliquid independens ab altero, illud alterum tamen dependet ab isto in aliquo genere causæ, unde id, quod taliter dependet, dicitur esse prius naturâ, esto simul sint in eodem instanti reali temporis, seu in eodem instanti in quo, sicut licet sol & radius simul sint in eodem instanti reali temporis, substantia tamen solis prior est prioritate naturæ, quàm ipse radius. his præmissis sit.

CONCLUSIO. I.

Omnis causa saltem prioritate naturæ est prior suo effectu.

PRob. breviter. id est aliquo modo prius, à quo alterum dependet, sed omnis effectus dependet â sua causâ, ergo omnis causa saltē prioritate naturæ debet esse prior suo effectu, sicut essentia est prior naturâ suis proprietatibus; Vel debet esse prior tempore, ut pater generans est prior tempore suo filio Carolo genito.

CONCLUSIO. II.

Causa subinde est æqualis perfectionis cum suo effectu, subinde minoris perfectionis, subinde autem majoris perfectionis.

PRob. & explicatur conclusio: quia homo generans hominem producit effectum seu filium ejusdem perfectionis specificæ unà secum, licet enim filius subinde sit videns & pater cæcus

ista

ista tamen perfectio solùm est accidentalis. si autem sit causa instrumentalis agens in Virtute principalis agentis, sic producit effectum nobiliorem se, ut est v. g. pennicillus respectu imaginis, vel calor respectu ignis. Et tandem si sit causa æquivoca principalis, sic effectus erit minoris perfectionis, & ita sol tanquam causa æquivoca producens aurũ, majoris est perfectionis auro, ergo causa subindeest æqualis perfectionis cum effectu suo, subinde minoris, &c.

Arg. 1. contra 1. Relativa sunt simul naturâ, sed causa & effectus sunt relativa, ergo sunt simul naturâ, & consequenter causa non est prior suo effectu.

Resp. quod causa & effectus sumpta relativè sint simul naturâ, non tamen si sumantur fundamentaliter, sicut ea hic accipio, quia ut sic non sunt relativa, & consequenter nec sunt simul naturâ; sed sunt aliquid prius & fundamentum, ex quo postmodum resultat relatio.

Arg. secundò, Asinus est minùs perfectus etiam perfectione substantiali quàm mulus, & tamen asinus est causa principalis muli, ergo causa principalis producit effectum ignobiliorem se.

R. Asinum non esse causam principalem, totalem muli, sed unà cum equâ, ac proinde ambo per modum unius principij totalis non sunt aliquid imperfectius quàm sit mulus.

Arg. tertiò, corpora cælestia producunt ranas, muscas, & similia quæ sunt aliquid vivens, sed omne vivens est nobilius non vivente, , ergo effectus causæ æquivocæ seu corporum cælestium est perfectior ipsis corporibus cælestibus.

Resp. quod licet corpora cælestia non vivant, vivit tamen Angelus motor cæli, qui imprimit virtutem corporibus cælestibus ad ista animalia generanda. Vel ut alij dicunt, causa principalis æquivocans generans ista animalia imperfecta, est ipse Deus qui mediante suo concursu generali per astra talia animalia producit.

Quæres in quo consistat causalitas materiæ & formæ?

Respond. quòd causalitas materiæ consistat in communicatione propriæ suæ entitatis recipiendo formam substantialem, causalitas autem formæ substantialis est ipsa communicatio formæ, quâ informat materiam.

Ratio

Ratio hujus est. quia materia & forma sunt causæ intrinsecæ componentes, sed causa intrinseca non aliter componit nisi communicando suam propriam entitatem, ergo materia prima causat communicando suam entitatem, eamque recipiendo, forma autem causat informando materiam, eamque ad determinatam speciem perducendo.

Quæres secundò, quid sit causa efficiens, & quænam sit ejus causalitas?

Resp. quod causa efficiens bene definiatur, quod sit id â quo primò incipit motus. Ejus autem causalitas in actu secundo est ipsum agere, seu actio ut exercita.

Prob. 1. p. explicando definit. *ly id*, ponitur loco generis, & per illam particulam insinuatur, quod causa efficiens sit principiũ, per *ly à quo* seu *unde primo* insinuatur quod à causa efficiente primo *in executione* incipiat motus, & per hanc particulam differt causa efficiens à causa finali, quia à causa finali solùm primo in intentione incipit motus, per *ly incipit* designatur, quod causa physica debeat habere influxum realem & physicum cum dependentia effectûs à se, per ly *motus* excluditur actio creativa Dei, nam creatio non est motus, vel mutatio, cum non præsupponat subjectum ad mutationem requisitum.

Prob. 2. p. quia id est causalitas causæ efficientis, quo posito intelligitur constituta in diverso modo ab alijs causis, sed per actionem ut exercitam causa efficiens intelligitur constituta in diverso modo ab alijs causis, ergo causalitas causæ efficientis est ipsum, &c. prob. min. quia finis nõ efficit aut agit, est enim id cujus gratia aliquid fit, materia autem & forma sunt id ex quo aliquid conficitur. ergo per actionem ut exercitam causa efficiens intelligitur constituta in diverso modo ab alijs causis.

Quæres tertiò, quomodo dividatur causa efficiens?

Resp. quod causa efficiens primariò dividatur in causam per se, & in causam per accidens. Causa per se est, â qua nt tali effectus dependet, sicut ædificator est causa per se ædificij, quia ædificium ab illo procedit in quantùm est ædificator. Causa autem per accidens est illa, quæ per accidens conjungitur causæ per se, sicut ædi-

ficatori per accidens conjungitur, quod sit Philosophus.

Rursus causa per se subdividitur in causam principalem & instrumentalem, principalis est, quæ attingit effectum propriam suam virtutem & perfectionem non excedentem, seu ut alij dicunt, causa principalis est illa, quæ operatur propriâ virtute. Causa autem instrumentalis est, quæ virtute alterius operatur, seu quæ attingit effectum suam propriam virtutem excedentem; unde ad talem effectum producendum, debet elevari per aliquam virtutem à principali agente acceptam.

Est autem duplex instrumentum, unum conjunctum sicut calor conjungitur animali ad generandam carnem; aliud est instrustrumentum separatum, ut v. g. calamus ad scribendum.

Subdividitur præterea causa principalis in causam primam, seu independentem ab omni alio, qualis est solus Deus; & in causam secundam, quæ in causando dependet à Deo, & tales sunt omnes causæ secundæ.

Subdividitut etiam causa principalis secunda in causam universalem & particularem. Causa universalis est, quæ plures effectus diversæ naturæ producit, sicut sol, & cælum, quod in visceribus terræ producit aurum & argentum, stannum, plumbum & cuprum, & ferrum, in mari gemmas, margaritas, &c. Causa autem particularis est quæ solùm unum particularem effectum producere potest, sicut v. g. ignis solùm potest producere ignem, & equus equum.

Dividitur ulterius causa principalis in causam æquivocam & univocam. Æquivoca est, quæ producit effectum diversæ speciei à se, ut sol aurum. Univoca est quæ producit effectum ejusdem speciei, ut homo generans hominem.

Item subdividitur causa principalis in totalem, quæ totaliter producit effectum, sicut v. g. homo est causa hominis, & in partialē, quæ solùm partialiter producit effectum, sicut v. g. duo trahentes unam navim, solum concurrunt partialiter ad tractum illius navis.

Item alia est causa principalis libera, quæ liberè producit effectum, ita ut positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & non agere, sicut v. g. studiosus liberè est diligens vel negligens.

gens. Alia est causa necessaria, quæ positis omnibus requisitis ad operandum debet operari, sicut ignis applicatus ligno aut stramini necessariò illud adurit.

Dividitur sextò in causam essentialiter subordinatam, sicut omnes causæ secundæ essentialiter sunt subordinatæ Deo tanquam causæ primæ, ita ut sine concursu causæ primæ operari non possint. Causa autem non essentialiter subordinata est illa, quæ licet depenedeat ab alia quantum ad esse, sicut filius dependet à suo patre, non tamen eget actuali ejus concursu adhoc ut operetur, & ita licet filius dependeat à patre quantum ad esse, non tamen quoad operationem.

Dividitur ult. in causam physicam & moralem, causa physica est, quæ verè realiter & physicè influit in effectum, & de hâc causa physica hucusque locutus & locuturus sum, causa autem moralis est, quæ tantũ concurrit ad effectũ consulendo, præcipiendo, incitando &c. qualiter v.g. studiosus alteri studioso consulens ut maneat ex schola, est causa moralis emansionis scholæ alterius studiosi.

ARTICULUS III.

Utrum forma substantialis sit immediatè *operativa?*

SEnsus tituli est, an forma substantialis se ipsa immediatè producat effectum, an verò producat effectum medijs accidentibus? ante resolutionem.

Notandum, quod duplex sit principium operativum; unum est operativum *ut quod*, & hoc est ipsum suppositum, quod operatur, cum enim suppositum existat ut quod, etiam debet operari ut quod, cum operari sequatur ad esse. Aliud est principium *quo*, quo scil. mediante suppositum agit, unde in præsenti quæritur, an id quo mediante suppositum immediatè attingit effectum sit ipsa forma substantialis, an verò sit aliquod accidens?

CONCLUSIO

Nulla substantia creata, ac proinde nulla forma substantialis est immediatè & proximè operativa, sed omnes suas operationes elicit medijs suis potentijs seu virtutibus activis, quæ sunt ipsius proprietates & accidentia.

Ita S. Th. 1. p. q. 54. a. 3.

VOlo dicere, quod forma substantialis sit quidem principalis virtus seu principium radicale omnium suarum operationum, accidentia autem sint proxima & immediata principia illarum operationum, instrumentalia quidem respectu productionis alterius substantiæ, principalia autem in ordine ad cæteras actiones, quæ non excedunt propriam virtutem illorum accidentium. hoc præmisso.

Prob. conclusio. Si substantia aut forma substantialis esset immediatè operativa sequeretur quod potentia operativa & substantia creata non essent realiter distincta; sed substantia creata & potentia operativa, sunt realiter distincta, ergo nulla substantia est immediatè, operativa. mai. pat. & min. prob. potentiæ per se primò respicientes diversos actus primarios & adæquatos, realiter & essentialiter ab invicem distinguuntur, sed substantia creata & potentia operativa per se primò respiciunt actus diversi ordinis primarios & adæquatos, ergo: mai. pat. quia potentiæ essentialiter diversificantur penes diversitatem actuum adæquatorum, quos per se primò respiciunt; & manifestè implicat, quod una & eadem res per se primò ordinetur ad actus adæquatos diversos. min. autem prob. esse substantiale & operari sunt actus realiter distincti & omninò diversi ordinis in creatis, cum unus actus sit substantialis, & alter accidentalis: sed substantia creata per se primò ordinatur ad esse substantiale tanquam ad proprium actum, non autem ad operationem nisi secundariò tantùm, è contra autem potentia immediatè operativa per se primò ordinatur ad operationem, & non ad esse, ergo substantia creata, & potentia operativa immediatè & per se primò respiciunt actus diversi ordinis primarios & adæquatos.

Prob. conclusio 2. per eam virtutem immediatè operatur agens, per quam adest ibi, ubi elicitur operatio, & effectus producitur; sed agens creatum sæpe operatur ubi non adest secundùm suam substantiã, sed tantùm secundùm suam virtutem activã, ergo substantia nõ est immediatè operativa, sed potius operatur mediâ virtute activâ, seu accidente quodam à se emisso. mai. pat. & min. prob. nam sol producit aurum in terrâ, in qua tamen sol non est secundùm suam substantiam, sed solùm secundùm suam virtutem.

Item

Item generans mediante semine tanquam instrumento producit fætum, & tamen generans sæpe non adest, nec vivit dum producitur fætus, ergo agens creatum sæpe operatur ubi non est secundùm suam substantiam.

Prob. conclusio 3. si substantia esset immediatè operativa, tunc natura frustrâ tot passiones & accidentia alicui substantiæ tribuisset: frustra enim fit per plura quod potest fieri per pauciora; ergo cum natura nihil det frustra, dicendum est quod substantia non sit immediatè & per se solùm immediatè operativa, sed solùm aget medijs potentijs & accidentibus tanquàm principijs proximis.

Arg. primò. si substantia non esset immediatè & per se operativa, esset ideo quia esse & operari in creatis realiter distinguuntur, sed ista ratio est nulla, ergo substantia seu forma substantialis est immediatè, & per se operativa. min. prob. quia etiam esse & operari in accidentibus realiter distinguuntur, & tamen accidentia sunt immediatè operativa, ergo similiter licet esse & operari in substantia creata seu in forma substantiali realiter distinguantur, erit tamen substantia immediatè operativa.

Respondetur rationem positam esse in hoc, quòd in substantia creatâ esse & operari distinguantur tanquam res diversi ordinis & generis, cum esse in substantijs sit aliquid substantiale, operari autem sit aliquid accidentale; in accidentibus autem licet esse & operari etiam distinguantur realiter, non tamen distinguuntur tanquâ res diversi ordinis & generis, cum tam esse accidentium, quàm operatio ipsorum sit aliquod accidens. Et ideo patet disparitas.

Resp. 2. quod licet tam esse quàm operari in substantijs & accidentibus realiter distinguantur, ipsum tamen operari respicitur primario & per se ab accidente; esse autem solùm secundariò; substantia autem primariò respicit esse, & secundariò operativum, non autem substantia.

Contra. Accidens essentialiter definitur esse id, cui debetur esse seu existere in alio, ergo etiam accidens essentialiter ordinatur ad essendum & existendum.

Resp. quod accidens methaphysicè & in genere entis definiatur per ordinem ad *esse*, accidens tamen physicè consideratum de-

finitur per ordinem *ad operationem*, cum accidens à natura sit institutum ad hoc, ut medio ipso natura operetur.

Arg. 2. substantia immediatè causat suas potentias & facultates v. g. anima rationalis intellectum & voluntatem, similiter ignis calorem, ergo etiam substantia est immediatè operativa.

Resp. Illam actionem, qua producuntur propriæ passiones, non esse actionem physicam & causativam in rigore, sed propriè solùm dicitur emanatio simplex, adeoque essentia propriè non producit suas proprietates, sed generans, qui producit naturam tanquam terminum primarium, etiam producit proprietates talis naturæ seu essentiæ tanquam terminos secundarios, quia is qui dat *esse*, etiam dat illa, quæ consequuntur ad tale *esse*.

Arg. 3. materia prima immediatè recipit, sustentat & limitat formam substantialem, ergo etiam sustantia potest esse immediatè operativa. antec. patet ex dictis, consequentia autem videtur esse bona â paritate rationis.

Resp. neg. conseq. dispar. est quia potentia substantialis seu materia prima immediatè specificatur ab actu substantiali, & est ejusdem generis cum forma, at verò forma substantialis non specificatur immediatè ab operatione, sed respicit immediatè *esse* tanquam sui specificativum. Et præterea forma substantialis pertinet ad diversum genus nimirum ad genus substantiæ, & operatio ad genus accidentis.

Arg. 4. si substantia operaretur medio accidente, sequeretur quod substantia semper produceret aliquod accidens, nec posset unquam producere substantiam, sed consequens est falsum ergo & antec prob. sequela tunc producitur solùm accidens, quando causa efficiens est solum accidens, sed id, medio quo substantia operatur, solum est aliquod accidens ergo etiam substantia solùm produceret aliquod accidens.

Resp. dist. maj. tunc producitur solùm accidens, quando causa efficiens principalis solùm est accidens conced. maj. quando causa efficiens instrumentalis solùm est accidens neg. maj. sed hic causa efficiens instrumentalis esset accidens conc.min.causa efficiens principalis neg.min. & conseq.nam ut in conclusione dixi causa prin-

sa principalis radicalis effectiva substantiæ, est ipsa forma substantialis, esto hæc immediatè operativa non sit.

Contra sed etiam illud accidens nec ut causa instrumentalis potest producere substantiam ergo sol. nulla. prob. min. subs. nam calor v.g.non potest esse instrumentũ ad productionem ignis alias quivis calor produceret ignem, quod tamen est falsum, ut patet in calore animalis; ergo.

Resp. dist. antec. calor absolutè consideratus, conced. ant. calor in quantum est virtus substantiæ ignis negatur anteced-ns & consequentia.

Contra Calor ut est virtus substantiæ ignis adhuc manet accidens, ergo neque calor ut est virtus substantiæ ignis potest producere substantiam.

Resp. dist. antec. manet accidens sine rigorositate quadam neg. antec. manet accidens rigorosum id est accidens immediatè dimanans ab ipsa substantia ignis conceditur antecedens & neg. consequentia.

Dices si accidens in quatitum dimanat â substantia ignis, est aliquod instrumentum, sequeretur quod debeat accipere specialem influxum ab ipsa substantia tanquam â principali agente, & consequenter substantia respectu talis influxus, erit immediatè operativa. Prob. sequela quia omne instrumentum debet recipere aliquem specialem influxum & virtutem â principali agente ut infra dicam. ergo.

Resp. neg.sequel. ad probationem dist. ant. omne instrumentum conjunctum quod est ipsamet virtus talis substantiæ. neg. ant. instrumentum taliter non conjunctum sed separatum, sicut est v.g. serra conced. ant. & neg. conseq. calor autem est aliquod instrumentũ conjunctum igni per modum proprietatis,& ideo in quantum *est virtus ignis*, non eget amplius aliqua speciali impressione, & cum sit ipsamet elevatio, alia elevatione non indiget, sicut lux non eget alia luce.

QUÆ-

QVÆSTIO VIII.

De dependentia causæ secundæ â causa primâ.

ARTICULUS I.

An causa secunda præter virtutes suas operativas, adhoc ut in actu secunda operetur, indigeat concursu simultaneo Dei tanquam causæ primæ.

NOtandum hîc. Deum concurrere posse cum causa creata ad suos effectus concursu simultaneo, & concursu prævio. Tunc dicitur Deus concurrere cum causa secunda concursu simultaneo, quando ipse cum causa secunda immediatè producit effectum, ita nimirum, ut productio effectus non solùm causæ secundæ, nec solùm causæ primæ, sed utriq; in suo genere immediatè concurrentibus adscribatur. Vnde concursus simultaneus nihil est aliud, quàm ipsa actio causæ secundæ, quæ quatenus est à Deo, appellatur concursus Dei, prout verò est â causa secunda, dicitur esse concursus causæ secundæ.

Tunc autem dicitur Deus concurrrere concursu prævio, quando per aliquid impressum & receptũ in causa secunda movet ipsã causam secundam ad actualem operationem. Solet autem hic concursus prævius vocari præmotio seu prædeterminatio physica, *naaurâ* non tamen *tempore* præcedens causalitatem causæ secundæ, & faciens per aliquam qualitatem transeunter communicatam causæ secundæ, ut operetur hunc numero effectum. Fit autem hæc præmotio seu prædeterminatio physica conformiter ad naturas rerum, ita nimirum ut Deus per suam prædeterminationem causas *naturales seu necessarias* applicet & moveat & agendum *necessario*, causas autẽ *liberas* moveat & applicet ad operandum *liberè*. Cum ergo Deus in suis motionibus, sit *efficax* simul & *suavis*, hinc in quantũ est *efficax*, vult, quod *infallibiliter* non tamen necessariò causa secunda liberâ suos producat effectus, in quantum autem Deus in suis motionibus est *suavis*, vult quod creatura liberè eundem effectum producat. Neque putandum est, quod quando Deus prædeterminat voluntatem hominis, ejusdem libertatem lædat, sicut nec homo

suam

ſuam libertatem lædit, dum ſe applicat ad aliquid faciendum. Unde rectè inquit S. Auguſtinus, libro de corrept. & gratia cap. 14. quod Deus magis habeat in voluntate ſua voluntates noſtras, quàm ipſimet habeamus voluntates noſtras in nobis, unde ſicut nos non lædimus libertatem noſtram, dum nos ad agendum aliquid applicamus, ita nec Deus lædit libertatem noſtram, dum nos ad aliquid applicat.

Notandum ſecundò, quod licèt concurſus DEI prævius *ad intra* ſit idem cum concurſu DEI ſimultaneo, diſtinguitur tamen â concurſu DEI ſimultaneo, ſi ambo ſpectentur *ad extra*: quia DEUS per concurſum prævium eſt cauſa actionis cauſæ ſecundæ. *ut egreßio eſt*, ideoque vocatur prævius; id autem quod concurſus ſimultaneus ponit ad extra, non eſt cauſa actionis cauſæ ſecundæ, ſed ipſamet cauſæ ſecundæ actio ut attingens effectum. Porro licèt materia hæc propriè ad Theologos ſpectet, ſic tamen rem tractabo, ut quæ philoſophorum ſunt, explicaturus ſim, relinquendo pleraq; Theologis, quorum tamen limites moderatè attingam. his præmiſſis ſit.

CONCLUSIO

Ad omnem actionem cauſæ ſecundæ concurrit Deus ter optimus maximus concurſu ſimultaneo, ita ut impoßibile ſit, quod cauſa ſecunda aliquid producat ſine concurſu cauſæ primæ ſcil. Domini Dei.

HÆc concluſio ita eſt certa, ut oppoſitum ſine errore & maxima temeritate doceri non poſſit. vnde.

Prob. concluſio 1. ex ſacra Scriptura. nam Joan. 26. dicitur. Omnia operatus es in nobis Domine, ſiquidem ut ait S. Paulus in ipſo vivimus, movemur & ſumus, Joan. etiam 15. dicitur, ſine me nihil poteſtis facere, quæ verba ſaltem de concurſu Dei ſimultaneo intelligenda ſunt. ergo.

Prob. 2. ratione. Omne ens creatum, eſt ens per participationem dependens â Deo, ſed tam cauſa ſecunda, quàm actio cauſæ ſecundæ ſunt ens creatum, ergo ſunt aliquid participatum & dependens â Deo, & conſequenter Deus ad actionem cauſæ ſecundæ concurſu ſimultaneo concurret.

Confirm. Ideo causa secunda in suo esse pendet â Deo, quia Deus est primum esse, sed etiam Deus est primum agens ergo etiam omnis actio causæ secundæ dependet â Deo.

Ex quo colliges, quod ideo ignis in fornace Babylonis non combusserit tres pueros, quia Deus ab igne subtraxit suum concursum simultaneum.

Arg. 1. Dantur multæ causæ principales creatæ, sed hæ non egent concursu simultaneo Dei. ergo Deus non concurrit ad omnem actionem causæ secundæ. Prob. min. quia causa principalis est illa, quæ virtute propriâ producit effectum, ergo non eget concursu alterius.

Resp. dist. Antec. est, quæ virtute propria sine concursu alterius causæ particularis & eiusdem ordinis producit effectum conc. antec. sine concursu alterius causæ superioris ordinis sicut est Deus neg. antec. & conseq. Unde sicut causa particularis principalis sine concursu causæ universalis naturalis v. g. solis non potest aliquid producere, ita multò minus sine concursu Dei aliquid producere potest.

Arg. 2. causa secunda principalis habet sufficientem virtutem ad producendum effectum, aliàs enim non esset causa principalis, ergo non eget concursu Dei.

Resp. dist. Antec. habet sufficientem virtutem in actu primo conced. antec. in actu secundo, ad hoc ut actualiter & in exercitio sine dependentia ad Deum operetur neg. antec. & conseq.

Arg. 3. Si Deus concurrat ad omnem actionem causæ secundæ, sequitur quod Deus etiam concurret ad actionē hominis peccaminosam, sed hoc dici non potest, ergo nec illud unde sequitur. prob. min. quia aliàs Deus posset dici peccator, quod tamen omnino est falsum.

Resp. dist. maj. sequeretur quod Deus concurrat ad actionem peccaminosam quo ad materiale peccati, seu quoad suam entitatem conced. mai. sequeretur quod Deus concurrat ad actionem peccaminosam quo ad suam malitiam & deformitatem neg. mai. sed non potest dici, quod Deus concurrat ad actum peccaminosum quo ad suam entitatem physicam quam involuit neg. min. quo ad suam

malitiam,

malitiam & deformitatem moralem conc. mi. & neg. conseq. unde si Deus concurreret ad malitiã peccati eam positivè approbando aut efficiendo diceretur peccator, non autem, si concurrat solùm ad entitatem physicam ipsius peccati.

Dices: entitas physica peccati est connexa cum ipsa deformitate, ergo si Deus concurrit ad entitatem physicam, etiam concurrit ad malitiam peccati.

Resp. neg. conseq. licèt enim illa sint connexa, quia tamen entitas physica actus peccaminosi continetur intra objectum potentiæ volitivæ Dei, non autem ipsa deformitas peccati, hinc Deus vult & causat entitatem physicam peccati, non tamen causat ipsum peccatum. sicut licèt sapor & color sint conjuncta in pomo, oculus tamen solùm percipit colorem non autem saporem. sed de his plura in Theologia.

ARTICVLVS II.

Utrum Deus præter concursum simultaneum, cum causa secunda naturali seu necessaria ad omnem operationem, etiam concursu prævio concurrat?

CONCLUSIO.

Præter concursum Dei simultaneum antecedenter requiritur, concursus prævius seu prædeterminatio physica, quâ applicentur seu moveantur res naturales seu necessariæ ad operandum in actu secundo.

Prob. 1. Auth: Aristotelis qui lib. 8. physicorum textu 33. loquens de causa prima & secunda necessaria & hujus subordinatione ad illam, sic inquit: utrumq; igitur movere dicimus & primum & ultimum moventium, sed magis primum; illud enim movet ultimum sed non hoc primum, & sine primo quidem ultimum non movebit, illud autem sine hoc, ut baculus non movebit non movente homine. in quibus verbis Aristoteles expresè ponit discrimen inter causam primam & secundam, quod licet ex his utraq; moveat, id est attingat effectum, causa tamen prima moveat causam secundam ad operandum.

Prob. 2, Authorit. S. Thomæ q. 7. de potent. art. 7. ubi ait. Deus

operatur, in natura & voluntate operantibus multipliciter & primò quidem, quia dedit rebus naturalibus virtutem, per quam agere possunt, secundò in quantum conservat virtutem naturalem in esse, & tertiò in quantum movet eam ad agendum.

Prob. tertiò ratione. Si Deus non moveret causam secundam ad operandum, sequeretur quod causa secunda esset primum se movens & primum se determinans, sed hoc est falsum, ergo & id unde sequitur, sequela maj. patet. quia ex hoc, quòd causa secunda non moveatur aut determinetur ab alio, benè sequitur quod sit primum se movens & determinans. Min. autem probatur, tum quia alias darentur plura prima moventia, nimirum Deus & creatura. Tum etiam quia aliàs talis creatura utpotè primò se movens, in sui motione esset independens à Deo, quod tamen dici non debet, ergo.

Confir. Nulla creatura est primum ens, ergo nec est primum se movens. antec. patet & conseq. similiter, quia operari seu moveri sequitur ad esse, ergo si nulla creatura sit primum ens seu primum esse, etiam non poterit esse primum movens.

Dices, ad hoc ut creatura non dicatur causa prima, sufficit quod Deus concurrat concursu simultaneo. sed.

Contra est. Concursus simultaneus, ut omnes fatentur non tollit rationem causæ primæ, undè licèt Deus concurrat nobiscum concursu simultaneo, manet tamen causa prima, ergo ex eo, quod Deus concurreret concursu simultaneo cum causa secunda se primo movente & determinante, non tolleretur à causa secunda, quin sit primum se movens & determinans.

Arg. primò quod est determinatum ad unum, non eget concursu prævio, , sed causæ secundæ naturales seu necessariæ sunt determinatæ ad unum v. g. ignis est determinatus ex sua natura ad comburendum, ergo non eget concursu prævio.

Resp. dist. maj. quod est determinatum ad unum solum specie effectum non eget concursu prævio neg. maj. quod est determinatum ad unum tam specie quam numero conced. Maj. sed causa necessaria v. g. ignis est determinatus ad unum effectum specie producendum conced. min. ad unum effectum numero producendum neg.

neg. min. & conseq. unde licèt ignis sit determinatus ad comburendum, quod tamen hoc potiùs quàm illud comburat, provenit à prædeterminatione physica.

Arg. secundò, si causa secunda naturalis egeat concursu Dei prævio, sequeretur quod omnis causa secunda naturalis sit causa instrumentalis, sed consequens est falsum ergo & antec. prob. sequela, quia causa instrumentalis est, quæ non potest operari nisi ut mota, sed omnes causæ secundæ naturales, non possent operari nisi ut motæ, ergo omnes essent causæ instrumentales.

Resp. neg. sequel. ad prob. dist. maj. causa instrumentalis est, quæ non potest operari, nisi ut mota in ordine ad affectum nobiliorem se conced. maj. in ordine ad alium effectum non nobiliorem se neg. maj. & concessâ min. similiter dist. conseq. unde dicitur, quod licèt per comparationem ad Deum qui est primum movens, omnes causæ secundæ possint aliquo modo dici causæ instrumentales, absolutè tamen respectu suorum effectuum causæ principales esse possunt; cum tales effectus non sint nobiliores suis causis.

Arg. tertiò. Ista præmotio tollit libertatem ergo non est admittenda. prob. antec. quia stante hoc, quod Deus prædeterminaverit me v. g. ad scribendum, abest potentia ad non scribendum, ergo tollitur libertas.

Resp. neg. antec. ad probat. dist. antec. abest libertas ad non scribendum in sensu composito conced. antec. in sensu diviso neg. antec. & conseq. unde stante prædeterminatione non possum conjungere non scriptionem cum scriptione, vel actum stationis cum sessione, sed cnm hoc quod *actu* scribam retineo *potentiam* ad non scribendum, & cum hoc quod *actu* sedeam, retineo *potentiam* ad standum.

Dices. Deus in sua prædeterminatione est efficacissimus, ergo non potest frustrari decretum divinum, ergo necessariò facio id ad quod sum prædeterminatus & consequenter destruitur libertas.

Resp. concesso antec. & primâ consequentiâ negatur secunda consequentia, quia ad hoc ut non frustretur decretum divinum, sufficit quod infallibiliter sim facturus id, ad quod sum prædeterminatus à Deo, non autem est necesse, quod omnino necessariò

illud operer. Claritatis tamen gratia potest distingui consequens, ergo necessariò id facio necessitate oppositâ libertati neg. conseq. pro ut ly necessariò idem sonat ac infallibiliter conced. conseq.

Dices quod provenit ab extrinseco hoc tollit libertatem, sed illa prædeterminatio provenit ab extrinseco scilicet Deo, ergo tollit libertatem. Maj. patet in exemplo; quia si quis alicui ab extrinseco liget manus & pedes tollit ei libertatem, ne possit ambulare, ubi vult, ergo.

Resp. dist. maj. quod provenit ab extrinseco non ponente aliquid intrinsecum in eo, quod faciat ipsum conformiter operari ad suam naturam, hoc tollit libertatem conced. Maj. si illud extrinsecum ponit aliquit intrinsecum in ipso quod faciat ipsum conformiter operari ad suam naturam neg. maj. modò autem illa prædeterminatio ponit aliquid intrinsecum in homine prædeterminato, quod faciat talem hominem conformiter ad suam naturam liberè operari, & ideo non destruit ejus libertatem. At verò compedes non ponunt aliquid intrinsecum in homine ligato, quod faciat talem hominem conformiter operari ad suam naturam, & ideo patet disparitas, plura de hoc Theologis discutienda relinquo.

Resp. secundò, aliter dist. Maj. quod provenit ab extrinseco non habente magis in voluntate sua voluntates nostras, quàm ipsimet voluntates nostras in nobis habeamus conc. major. si illud extrinsecum magis habeat voluntates nostras in sua voluntate neg. major. Deus autem, licet sit aliquid extrinsecum voluntati nostræ magis tamen habet voluntates nostras in sua voluntate, quàm nos ipsi nostras voluntates in nobis habeamus, ut ait S. Aug. lib. de correpti, & gratia cap. 14.

ARTICVLVS III.

An instrumentum operetur ut motum à principali agente, & an habeat aliquam propriam actionem præviam.

CONCLVSIO I.

Instrumentum ut motum à principali agente seu per virtutem impressam à principali agente elevatur ad producendum effectum principalis agentis. Ita S. Th. 3. p. q. 62. a. 1. ad 4. & q 7. de Ver. a. 4.

Prob.

PRob. In instrumento non est sufficiens virtus ad producendum effectum principalis agentis, ergo ad hoc ut concurrat ad producendum effectum principalis agentis, debet ab ipso moveri per receptionem alicujus intrinsecæ virtutis. antec. patet, quia de ratione instrumenti est producere effectum nobiliorem se, id est excedentem suam propriam virtutem. conseq. similiter constat. quia id, quod est de se impotens ad aliquid præstandum, debet fieri potens per receptionem alicujus intrinseci, sicut quia aqua de se non est potens calefacere, hinc solùm calefacit per receptionem alicujus intrinseci nimirum caloris ab igne, ergo si instrumentum sit impotens ad producendum effectum principalis agentis, debet fieri potens per receptionem alicujus intrinseci à principali agente.

CONCLVSIO. II.

Instrumentum habet aliquam propriam actionem præviam ad actionem principalis agentis. Ita S. Th. 1. p. q. 45. a. 5.

PRob. Ad hoc ut aliquid assumatur tanquam instrumentum, necessè est, quod operetur aliquid, sed nisi instrumentum habeat propriam actionem præviam, tunc tale instrumentum nil operabitur, sed se habebit ut medium purè deferens actionem principalis agentis, ergo omne instrumentum debet habere actionem propriam præviam. Maj. pat. quia aliàs tale instrumentum non spectaret ad genus causæ efficientis. Min. autem prob. nam ad hoc ut res aliqua dicatur operari, necessè est, quod illa operatio procedat ab ipsius virtute & potentia, ergo instrumentum habet actionem propriam præviam procedentem à sua virtute.

Arg. 1. contra 1. agere ut motum etiam convenit alijs, quæ tamē non sunt instrumenta, ergo propria ratio instrumenti non consistit in hoc quod agat ut motum. Antec. prob. nam piper non calefacit nisi prius calefiat, item cælum non movet, nisi ut motum ab Angelo, & denique causæ principales creatæ non movent nisi moveantur â causa prima ergo.

Resp. neg. antec. ad prob. dist. antec. ita ut in prædictis exemplis ipsa motio seu esse motum sit in ipsis tota ratio causandi neg. ant.

ita

ita ut ista motio non sit ipsis tota ratio causandi conced. antec. & neg. conseq. in instrmentis autem *esse motum est tota ratio causandi*, at verò in pipere *esse motum, solùm est conditio quædam*, in alijs autem exemplis adductis, ipsa motio solùm est *applicatio quædam*, vel concausa cooperans, non est autem tota ratio agendi.

Resp. 2. dist. 1. antec. esse motum ad producendum effectum nobiliorem se convenit alijs præter instrumenta neg. antec. esse motum per modum applicationis ad producendum effectum æqualem vel imperfectiorem se convenit alijs ab instrumento conc. anteced. & neg. conseq. Vnde ratio propria instrumenti consistit in esse moto non qualicunque, sed consistit *in esse moto in ordine ad effectum nobiliorem se*, quod alijs ab instrumento non convenit.

Arg. 2. Instrumentum accipiendo virtutem â principali agente, adhuc est improportionatum respectu effectûs principalis agentis, ergo illa virtus impressa seu motio â principali agente est frustranea. antec. patet. quia si instrumentum esset proportionatum per illam virtutem sibi impressam, tunc jam principaliter & non solùm instrumentaliter concurreret ad effectum principalis agentis quod tamen dici nequit.

℟. Dist. ant. adhuc est improportionatũ ad hoc ut instrumentaliter concurrat ad effectum principalis agentis, neg. ant. adhuc est improportionatum ad hoc, ut principaliter concurrat conced. ant. & neg. conseq.

Arg. 3. si instrumentum haberet propriam actionem præviam, tunc vel esset eadem actio cum illa actione, quam instrumentum elicit virtute principalis agentis, vel esset diversa actio, sed nihil horum potest dici, ergo instrumentum non habet propriam actionem præviam. prob. min. nam imprimis non potest dici, quod sit eadem actio cum illa, quam elicit virtute principalis agentis, cum eadem actio non possit esse prævia ad se ipsam. Deinde nec est actio distincta; quia non videtur, qualem propriam actionem serra v. g. habeat, vel calamus, ergo.

Resp. dist. maj. vel esset eadem vel distincta semper realiter entitativè, vel ad minus virtualiter, conc. maj. semper est distincta tantùm realiter entitativè neg. maj. & sic dist. min. neg. conseq.

seq. Dico ergo quod instrumentum semper habet actionem propriam præviam vel realiter entitativè distinctam ab illa actione, quam elicit virtute principalis agentis, sicut v. g. ablutio exterior in sacramento Baptismi est entitativè distincta, ab illa actione, quam Baptismus elicit virtute principalis agentis scilicet ab ablutione interna peccatorum, vel ad minus est virtualiter distincta. Nec repugnat quod eadem actio *virtualiter tamen distincta*, secundùm unam rationem considerata, præcedat se ipsam, ut considerata secundùm aliam rationem, & ita scissio, est actio prævia propriæ serrę ita ut eadem scissio absolutè accepta quodammodo præcedat seipsam ut artificiosam, quæ actio seu scissio artificiosa provenit â serra virtute principalis agentis. pro complemento hujus articuli.

Notandum, quod instrumenta alicujus naturæ creatæ debeant habere talem actionem propriam præviam, quæ sit dispositiva ad actionem principalis agentis (& ideo homo non potest scribere cum calceo sed cum calamo) instrumenta tamen divinæ virtutis non necessario debent habere actionem propriam præviam dispositivam ad actionem principalis agentis, ut patet in Christo Domino, qui volens illuminare cæcum, fecit lutum ex sputo & linivit oculos cæci, quæ linitio ex se non disponebat ad illuminationem cæci, sed potius ad majorem obcæcationem ejusdem.

QUÆSTIO IX.

De casu, fortuna & fato.

ARTICVLVS VNICVS.

In quo explicantur definitiones casûs, fortunæ & fati.

QUæres primò quid sit fortuna & casus?

Resp. quod philosophicè loquendo fortuna benè definiatur, quod sit causa operans ex electione finis in his, quæ rarò contingunt. Casus verò definitur quod sit causa per accidens operans sine electione finis.

Explicantur definitiones. dicitur inprimis, quod *fortuna sit causa*, per quam particulam distinguitur fortuna prout accipitur à philosophis, & pro ut accipitur â plebe nam plebs, sumit fortunã

pro effectu fortunato seu fælici, philosophi autem summunt fortunam pro causa effectus fortuiti seu fælicis. Dicitur secundò *operans* id est efficiens. Dicitur 3. *ex electione finis*, per quas particulas distinguitur fortuna â casu, qui operatur sine intentione finis, unde si homo fodiendo terram inveniat thesaurum, dicitur habere fortunam, si autem equus calcando effodiat terram, ubi latet thesaurus, dicitur casus, quia homo effodiens operatur ex electione, id est *liberè*, non autem equus effodiens calcando terram. Dicitur quartò *per accidens* accidentalitate scilicet se tenente ex parte effectûs, id est ratione alicujus, quod per accidens conjungitur effectui per se intento.

Ex quo patet. quod homo effodiens terram habeat duplicem effectum, unum per se intentum, qualis est effossio terræ, alium autem per accidens, qualis est effossio thesauri, & ex his etiam explicata manet definitio casûs.

Quæres 2. quid sit fatum?

Resp. quod fatum nil sit aliud quàm certa dispositio causarum secundarum â divina providentia benè ordinata.

Ratio est. quia causa prima est infallibilis in sui dispositione, & ita disponit causas secundas, ut tali tempore cum tali circumstantia hunc vel illum effectum producant, hoc enim pertinet ad omniscientiam & providentiam divinam.

Ex his colligitur. mortem alicujus repentè à latrone occisi, vel aquis obruti esse effectum providentiæ divinæ, maximè, cum Deus tanquam omniscius cujuscunque futuri cognitionem habere debeat: pro qua veritate stabilienda, mihi pro nunc sufficiat illud Amos 3. ubi dicitur, si est malum in civitate, quod Deus non fecerit? per quæ verba clarè insinuatur, quòd etiam isti effectus fortuiti vel casuales verè â Deo sic per infinitam suam providentiam disponente eveniant.

QVÆSTIO X.

De causa finali.

NOtandum quod causa finalis sit duplex, nam una est finis ultimus, in quem scilicet omnia ultimatè referuntur, & talis

lis finis est DEUS. alius est finis intermedius, qui scilicet ad huc ordinatur ad ulteriorem finem, sicut v. g. adeptio sanitatis potest esse finis intermedius, quia adhuc potest ordinari in gloriam Dei tanquam in finem ultimum.

Rursus est alius finis *qui* nimirum res illa, quæ appetitur, sicut sanitas, quæ appetitur ab infirmo, est finis *qui*, alius autem est finis *cui*, cui nimirum rem aliquam appetimus, sicuti infirmus sibi tanquam fini *cui* appetit sanitatem.

ARTICULUS I.

An finis sit causa realis, & quænam sit ejus causalitas in actu secundo?

CONCLUSIO. I.

Finis est vera causa realis causans per motionem metaphoricam.

PRob. 1. Pars. Illa est causa realis â qua effectus per se dependet quo ad suum esse, sed â fine effectus realiter quo ad suum esse dependet, ergo finis est causa realis. min. prob. nam effectus, qui fiunt ab agentibus propter finem, taliter fiunt, ut cessante fine effectus non poneretur in esse, v. g. si infirmus non intenderet sanitatem, utique non sumeret medicinam. ergo.

Prob. 2. Pars, quia finis est id cujus gratiâ aliquid fit, sed id cujus gratiâ aliquid fit non aliter movet, quàm invitando, & allicicendo & consequenter metaphoricè movendo, ergo motio metaphorica est causalitas finis.

CONCLUSIO. II.

Motio metaphorica finis non consistit in hoc, quod sola bonitas repræsentetur voluntati antecedenter ad omnem actum voluntatis, nec motio illa imprimit aliquid reale distinctum ab ipsius volitione.

PRob. quia illa exhibitio bonitatis finis, potest esse absque hoc quod voluntas aliquid operetur, ergo per solam exhibitionem bonitatis finis non causabit in actu secundo.

Prob. secunda, p. quia si finis aliquid reale voluntati imprimeret

meret, non maneret causa finalis, sed jam esset causa efficiens, quod dici nequit ergo.

CONCLUSIO III.

Motio metaphorica finis in actu secundo causantis, consistit in ipso actu voluntatis, non quidem ut est activè à voluntate, sed ut est passivè dependens ab appetibili.

VOlo dicere, quod eadem actio voluntatis sit à fine, & etiam sit à voluntate, ita nimirum, ut actus voluntatis, quatenus sit gratia finis, sit causalitas finis, quatenus autem procedit effectivè à voluntate, sic sit causalitas voluntatis tanquam causæ efficientis.

Prob. finis in actu primo constituitur causans in quantùm est bonus & appetibilis, cùm secundùm Aristotelem (finis sit id, quod omnes appetunt) ergo illa reductio appetibilitatis in actum, erit causalitatis illius, sed appetibile formaliter reducitur in actum per actualiter appeti, ergo causalitas finis in actu secundo consistit in hoc quod actualiter voluntas ejusmodi finem appetat, & consequenter causalitas finis in actu secundo est ipse actus voluntatis, ut tamen passivè dependens à fine seu appetibili.

Arg. primò, contra 1. concluſ. causa realis debet esse principium, sed finis non est principium, ergo nec est causa realis. Min. prob. quia finis v. g. sanitas potius est effect' ergo nō est principiū.

Resp. dist. antec. finis in executione est effectus conced. finis in intentione est effectus neg. antec. & conseq. dico ergo quod finis in intentione sit principium.

Arg. secundò, finis subinde non est existens, ergo non potest esse principium. Prob. antec. quia potest infirmus appetere sanitatem à parte rei nunquam ponendam, ergo.

Resp. dist. antec. finis subinde non existit à parte rei extra intellectum conced. antec. non existit saltem in apprehensione appetentis neg. ant. & conseq. ad hoc autem ut finis realiter movere possit, sufficit, quod realiter in apprehensione existat.

Arg. tertiò, contra 2. si finis causat alliciendo, sequeretur quod sit tantùm causa moralis, sed consequens est falsum ergo & ant.

ânt. prob. sequela quia causa moralis est illa quæ causat alliciendo.

Resp. quòd finis causat alliciendo per realem dependentiam effectûs à se, & ideo est causa physica, causa autem moralis non causat effectum cum reali dependentia effectûs à se, quasi sine tali causa morali effectus ille nunquam poneretur aut nunquam poni possit, cujus signum est, quod cessante causâ morali, adhuc posset poni effectus, cessante autem fine & motione finis, effectus non poneretur in suo esse, ut patet ex probatione primæ conclusionis.

Arg. 4. contra 3. concluſ. idem non potest esse effectus causæ & ejus causalitas, sed actio voluntatis est effectus causæ finalis, ergo non est ejus causalitas.

Resp. Dist. maj. idem secundùm eandem rationem non est causa & effectus conced. maj. idem secundùm diversam rationem neg. maj. sed actio voluntatis est effectus causæ finalis conced. min. ergo non est ejus causalitas secundùm eam rationem secundùm quam est effectus conced conseq. secundùm aliam rationem secundùm quam non est effectus negat. conseq. actio ergo voluntatis est *causalitas finis* quatenus fit præcisè gratia finis, seu quatenus est *ipsum ut ita dicam appeti & desiderari ipsius finis*. Est etiam *effectus finis*, in quantum solum est à voluntate mota â fine seu propter finem operante. Est deniqúe causalitas etiam causæ efficientis, quatenus illa actio voluntatis consideratur præcisè ut dependens â voluntate eandem eliciente, & tali modo actio voluntatis ut est â voluntate eliciente, consideratur præcisè, ut est quædam tendentia in objectũ volitum.

ARTICVLVS II.

Quænam sit ratio formalis motiva finis?

CONCLUSIO.

Cognitio vel apprehensio finis est quidem conditio sine qua non *necessaria ad causalitatem finis, non tamen est ratio formalis motiva finis sed hæc ratio formalis finalizandi est sola bonitas.*

PRrob. 1. Pars. quia nihil est volitum, quin sit præcognitum, ergo voluntas non potest appetere finem, nisi prius cognoverit intellectus finem.

Prob. 2. pars. illa est ratio formalis causativa infine, quæ est motiva & attractiva voluntatis in amorem finis, sed sola bonitas apprehensa attrahit voluntatem in amorem finis, ergo sola bonitas apprehensa est ratio formalis causativa in fine. min. patet. quia virtus motiva & attractiva voluntatis non potest esse aliud quàm ipsum objectum voluntatis, cum quævis potentia feratur in rationem formalem sui objecti, sed objectum voluntatis est sola bonitas. ergo. min. prob. quia nemo intendens ad malum operatur, cum malum ut malum non habeat rationem convenientem cum nostra voluntate, quæ est appetitus quidam rationalis, ergo.

Arg. 1. illud est ratio fotmalis in fine, quod causat diversitatē specificam sed sola apprehensio causat diversitatem specificam in fine, ergo apprehensio est ratio formalis in fine. prob. min. quia bonitas apprehensa ut præsens causat delectationem, apprehensa autem ut absens, causat desiderium. ergo.

Resp. dist. min. sed sola apprehensio formalis & ex parte subjecti se tenens causat diversitatem specificam neg. min. apprehensio objectiva & radicalis conced. min. & similiter dist. conseq. Dico ergo, quod diversa apprehensio radicalis nil sit aliud, quàm ipsa res appetibilis, vel potius ipsa bonitas rei appetibilis, quæ quatenus habet adjunctam diversitatem appetibilitatis quam fundat, & ad quam veluti conditionem aliquam requirit ipsam apprehensionem formalem, sic inquam apprehensio spectata *objectivè & radicaliter* est ratio formalis finalizandi, & potentias vel actus distinguendi, eò quod ut talis sit ipsa bonitas rei appetibilis ut diversimodè per apprehensionem tanquam per *conditionem sine qua non* repræsentata & applicata: ac proinde bonitas si repræsentetur ut præsens, causat delectationem, si autem repræsentetur ut absens, sic causat desiderium.

Resp. 2. dist. maj. id est ratio formalis in fine, quod causat diversitatem specificam solùm per modum conditionis sine qua non, neg. maj. quod causat talem diversitatem per modum rationis formalis conced. maj. sed diversa apprehensio facit diversitatem specificam per modum conditionis sine qua non conced. min. per modum rationis formalis neg. min. & conseq.

Arg.

Arg. secundò, ideò Lux est ratio formalis respectu colorati, quia sine ea, non possum attingere colorem, ergo similiter apprehensio est ratio formalis sub qua respectu bonitatis finis, quia sine apprehensione non potest attingi bonitas finis.

Resp. dist. antec. ideo præcisè neg. ideò & quia lux & color spectant ad eandem potentiam visivam conced. antec. & neg. conseq. quia apprehensio & bonitas non spectant ad eandem potentiam, nam apprehensio pertinet ad intellectum, bonitas autem ad voluntatem.

Arg. tertiò, potest aliquis appetere malum, ergo non sola bonitas est ratio formalis finalizandi; prob. antec. quia potest aliquis appetere *non esse*, ut patet in damnatis, vel potest quis appetere *non vivere* ut patet in desperantibus qui se ipsos occidunt, sed *non esse* & *non vivere* sunt aliquod malum, ergo.

Resp. neg. antec. ad prob. dist. Maj. potest aliquis appetere non esse & non vivere, sub ratione mali neg. Maj. sub ratione boni, quatenus scilicet per *non esse* vel *non vivere* speratur liberatio à miseria vel doloribus conced. Maj. & conc. min. similiter distinguitur consequens. Unde malum materialiter tale quidem potest appeti, sed non malum sub ratione mali.

Quæres unde oriantur monstra, & quis intendat monstra?

Resp. Deum intendere monstra ob decorem & pulchritudinem universi, quæ pulchritudo eluescit, dum contraria id est perfecta & imperfecta, pulchra & deformia juxta se posita magis eluescunt.

Loquendo autem de causis secundis proveniunt monstra, vel ex debilitate seminis aut materiæ subministratæ (ut dum generantur pigmei, vel homo cum tribus digitis) vel ex abundantia materiæ (ut dum homo generatur cum sex digitis) vel ex imaginatione parentum, qui subinde licet sint pulchri, propter imaginationem tamen deformium personarum, turpes proles procreant, vel ex certis concupiscentijs ciborum, ratione cujus proveniunt maculæ maternæ. vel deniq; ex constitutione Regionum; aut climatum alicujus patriæ.

Quæres secundò, quid sit monstrum?

Resp.

Resp. quod sit effectus naturalis à recta & solita dispositione secundùm speciem vel ordinaria ejus accidentia degenerans.

Explicatur definitio, dicitur inprimis *effectus naturalis*, ut excludantur deformitates artefactorum, dicitur deinde *à recta & solita dispositione degenerans*, quia monstrum est effectus deficiens à consueta lege naturæ, sive fiat per excessum, ut homo gibbosus cum sex digitis, sive hoc fiat per defectum ut homo cum tribus digitis. Dicitur *secundum speciem*, non quod effectus semper debeat esse alterius speciei quàm causa, sed quod deficiat à solita dispositione speciei.

Quæres tertiò. An fœminæ sint monstra?

Resp. fœminas non esse monstra, quia licèt deficiant à recta & debita dispositione, non tamen deficiunt â solita dispositione, ad monstrum autem requiritur, ut aliquid deficiat à solita dispositione.

QVÆSTIO XI.

De comparatione causarum inter se.

ARTICULUS I.

Vtrum unus effectus possit simul à duabus causis totalibus principalibus ejusdem generis & ordinis produci?

CONCLVSIO

Est negativa. Ita S. Th. 1. p. q. 52. a. 3.

PRob. quia aliàs talis effectus dependeret per se & essentialiter ab unaquaque illarum causarum, & etiam non dependeret per se & essentialiter ab unaquaq; illarum causarum, sed hoc implicat, etgo etiam implicat eundem effectum à duabus causis principalibus ejusdem generis & ordinis produci. Prob. Maj. nam imprimis talis effectus essentialiter dependeret ab unaquaque illarum causarum, cum effectus dependeat per se à sua causa totali. Deinde etiam talis effectus nō dependeret ab unaquaq; illarū, quia esto non fuisset productus ab alterutra illarum, essentialiter tamen

& tota-

& totaliter subsisteret, ergo talis effectus dependeret & non dependeret essentialiter ab unaquaque illarum causarum.

Arg. primò, si esset aliquod spatium tantùm capax unius illuminationis ab una candela, & ibi accendatur secunda candela, tunc eadem illuminatio proveniet ab utraque candela tanquam à causa totali, ergo idem effectus à duabus causis totalibus potest produci. Antec. prob. quia agens naturale secundum totam suam virtutem agens, est causa totalis, sed quævis candela est causa naturalis agens secundum totam suam virtutem, ergo quævis esset causa totalis illius illuminationis.

Resp. quod ibi semper produceretur major lux, adeoq;, ambæ candelæ solùm concurrent partialiter, & licèt fortè illa major illuminatio sensibus non appareat, apparet tamen intellectui.

Resp. 2. quòd licèt ambæ candelæ sint causæ naturales, ex dispositione tamen divina tanquam Authoris naturæ & universalis, solùm agerent partialiter, eo quod locus maioris lucis capax non sit, & candelæ illæ per concursum divinum moderentur, ut concurrant in tali casu solùm partialiter.

Arg. 2. duo Sacerdotes possunt simul tanquam causæ totales consecrare unam & eandem hostiam, ergo idem effectus à duabus causis totalibus potest produci.

Resp. quòd duo Sacerdotes respectu ejusdem hostiæ consecrandæ solùm concurrant ut duæ causæ totales instrumentales, in conclusione autem solùm negatur posse eundem effectum â duplici causa totali principali ejusdem generis & ordinis, id est â duabus causis principalibus particularibus produci. cum quo tamen stat quod idem effectus â causa universali & â causa particulari possit produci, sicut defacto idem effectus â Deo & â causa particulari simul producitur.

ARTICULUS II.

Utrum materia possit simul informari duabus formis substantialibus, vel è contra?

CONCLVSIO.

Nec una materia duplici formâ substantiali informari; nec una forma substanaialis duplicem materiam totalem informare potest. Ita S. Th. qaodlib. 1. a. 6.

PRob. 1. p. Si materia informaretur duplici formâ substantiali, tunc quævis forma esset actus primus, cùm quævis forma substantialis sit actus primus, & etiam quævis forma substantialis non esset actus primus, sed hoc implicat, ergo vna materia non potest informari duabus formis substantialibus simul. sequela maj. prob. quia quævis forma daret primum esse mareriæ primæ, & etiam non daret primum esse materiæ primæ, quia secunda forma etiam daret primum esse. ergo.

Confir. Si materia prima haberet duplicem formam substantialem, non posset fieri unum per se ex tali conjunctione, sed hoc est falsum, ergo & antecedens. prob. mai. quia secunda forma jam adveniret enti in actu, scilicet materiæ jam informatæ formâ substantiali, ergo.

Prob. 2. p. quia unica forma numero non est talis, nisi habeat unicam numero materiam, ergo ut sit una numero, debet esse solùm in una materia, & unam materiam informare. antecedens patet. quia antequam forma informaret hanc materiam, non erat una numero, sed solùm fuit una specie, unde postquam forma informat materiam, limitatur & singularizatur ab illa. ergo.

Arg. primò. materia habet appetitum ad omnes formas, ergo potest simul informari duabus formis.

Resp. dist. antec. habet appetitum ad omnes formas successive habendas, conc. antec. simul vel collectivè habendas, neg. antec. & conseq. nam fit transitus in argumento â sensu diviso ad sensum compositum seu collectivum.

Arg. 2. eadem materia potest habere plures formas accidentales simul, ergo etiam duas formas substantiales.

Resp. neg. conseq. quia duæ formæ substantiales dant esse primum, & esse simpliciter, duæ autē formæ accidentales, solùm dant esse secundùm quid: non implicat autem materiam habere duplicem

cem formam dantem esse secundùm quid, bene tamen implicat quòd habeat duplicem formam dantem esse simpliciter.

Dices duæ formæ substantiales habent potentiam obedientialem ad Dominum Deum, ergo saltem per potentiam D E I plures formæ substantiales possunt esse in eadem materia. prob. conseq. quia Deus mediante hâc potentiâ obedientiali potest facere quidquid vult, ergo.

Resp. dist. antec. potest facere quidquid vult si non implicet ex parte facti, conced. antec. si autem implicet ex parte facti, prout defacto implicat eandem materiam simul accipere duplex esse primum à duplici forma substantiali, neg antec. & conseq. Vnde sicut licet homo dicat potentiam obedientialem ad Deum, non potest tamen Deus facere hominem irrationalem, quia scilicet est implicantiâ ex parte facti, ita non potest Deus facere quòd eadem materia simul iuformetur duabus formis substantialibus, quia est implicantia ex parte facti, ut patet ex probatione conclusionis.

Arg. ult. plures Personæ divinæ possunt simul assumere eandem numero naturam humanam, ergo etiam una materia potest informari duabus formis substantialibus.

Resp. neg. conseq. disparitas est; quia licèt in tali casu plures personæ divinæ unirentur naturæ, id tamen solùm præstarent per modum puri termini, & suppositi sustentantis naturam humanam, non autem dando illi esse specificum, forma autem substantialis unitur materiæ per modum actûs primi dando illi esse specificum, & ex hoc patet disparitas.

LIBER TERTIVS PHYSICORUM.

De motu, actione, passione & infinito.

QVÆSTIO XII.

De natura & quidditate motûs, actionis & passionis.

ARTICULUS I.

Quid sit motus, & quomodo distinguatur â termino ad quem, *item ab actione & passione?*

CONCLVSIO I.

Motus bene definitur quòd sit actus entis in potentiâ, prout in potentiâ.

EXplicatur definitio. dicitur in primis, quòd motus sit *actus*, quia mobile fit aliquo modo actu per ipsum motum quo movetur, quod antea fuerat tantùm in potentia; sicut aqua antequam calefieret, tantùm erat in podentia tam ad esse calidum, quàm ad calefieri, cum autem calefit, tunc jam recipit actum formaliter imperfectum scilicet motum, licèt non habeat actum perfectum.

Dicitur deinde *prout in potentia*, ad insinuandum motum esse talem actum, qui ipsum mobile actuat formaliter secundùm quòd est in tendentia & via ad actum perfectum, vel terminum motûs. Ex quo fit, quòd motus propriè dictus versetur inter duos terminos positivos, quorum vnus dicitur terminus *á quo*, qui relinquitur, & alius terminus *ad quem*, qui per motum acquiritur.

Notandum autem. quòd ratio motûs physici hic definiti proprijssimè tantùm conveniat motibus successivis, ut alterationi, augmentationi & motui locali. Ratio est quia via & tendentia ad terminum, si in rigore loquamur, importat successionem realem, seu acquisi-

acquisitionem termini paulatim per partes factam, quod convenit soli motui successivo, qui nihil aliud est, quàm successiva acquisitio termini, ergo dicta definitio proprijssimè tantùm convenit motibus successivis.

Ex quo fit, quod cùm sensationes, intellectiones, & volitiones non sint motus successivi, sed mutationes instantaneæ, hinc eis non conveniat dicta definitio motûs physici, cujus ratio est: quia prædicti actus sunt actus completi non tendentes per se ad aliquem terminum, seu formam acquirendam, unde etiam ponuntur non in prædicamento actionis, sed in prædicamento qualitatis, cùm tamen motus solùm inter postprædicamenta ponatur.

CONCLVSIO II.

Motus distinguitur realiter â termino ad quem, *non quidem entitativè, sed formaliter, seu modaliter.*

PRob. 1. p. via realiter distinguitur à termino *ad quem*, saltem distinctione modali, quia desinente motu calefactionis, adhuc manet terminus ad quem scil. calor, sed motus est quædam via, ergo distinguitur à termino *ad quem* realiter.

Prob. 2. p. motus se habet ad terminum *ad quem*, sicut fieri ad factum esse, vel sicut res in potentia, & res in actu, sed non est diversa res seu entitas in fieri, & in facto esse, ergo motus & terminus ad quem non distinguuntur entitativè min. prob. nam non est alia entitativè, aqua in calefieri, & in calido esse, aliàs falsum esset dicere, quòd illa res quæ modo est perfecta, aliquando fuerit in fieri, ergo non est alia res in fieri & in facto esse.

Prob. 3. p. motus includit formalitatem successionis, terminus autem includit formalitatem permanentiæ, seu quòd sit aliquid permanens, sed illa quæ includunt distinctas formalitates distinguuntur formaliter, ergo motus & terminus *ad quem* distinguuntur formaliter.

CONCLUSIO III.

Motus recipitur in mobili quod movetur. Ita S. Th. hoc. lib. lect. 4.

PRob. in eo subjectatur motus, cui tribuit suum effectum formalem, sed motus tribuit mobili suum effectum formalem, ergo

go motus subjectatur in mobili. min. prob. quia effectus motus est constituere rem in via & tendentia, sed motus constituit rem in via & tendentia (v. g.) motus calefactionis constituit aquam in via & tendentia ad calorem, ergo.

CONCLVSIO IV.

Actio, passio & motus tam inter se, quàm à motu non distinguuntur entitativè, sed tantum realiter modaliter. Ita S. Th. 1. p. q. 45. a. 2. ad 2.

PRob. 1. p. quia eodem entitativè motu, quo agens agit, patiens patitur, ergo est eadē entitas actionis passionis & motûs.

Prob. 2. p. ens completum distinguitur ad minus formaliter modaliter ab ente incompleto, sed actio & passio tanquam prædicamenta sunt aliquid completum, motus autem tanquam postprædicamentum est aliquid incompletum, ergo actio & passio distinguuntur realiter modaliter à motu.

Prob. 3. p actio formaliter addit supra motum emanationem & egressionem ab agente, passio autem addit supra motum, receptionem in passo, sed hæ formalitates sunt formaliter habitudines distinctæ, ergo actio & passio inter se saltem realiter formaliter distinguuntur.

Arg. primò, contra primam conclusionem, dicta definitio, convenit alijs à definito, ergo non est bona. Prob. antec. quia calor ut duo est actus imperfectus, relinquens subjectum in potentia ad ulteriorem calorem, & tamen calor non est motus, ergo dicta definitio convenit alijs à definito.

Resp. neg. antec. ad probationem dist. antec. calor ut duo est actus essentialiter imperfectus essentialiter relinquendo subjectum in tendentia ad ulteriorem terminum, sicut facit motus, neg. antec. calor est actus imperfectus solùm comparativè ad alium actum perfectiorem, nec relinquendo subjectum essentialiter in tendentia ad ulteriorem terminum, conced. antec. & neg. consequentia, quia motus est talis actus imperfectus qui essentialiter relinquit subjectum in potentia ad ulteriorem terminum, quod calori ut duo non competit, siquidem in calore ut duo potest terminari motus.

Arg. 2. contra 2. conclusionem, illa quæ se ita habent ad invicem,

vicem, ut uno destructo alterum remaneat, distinguuntur realiter entitativè ab invicem tanquam res à re, sed corrupto motu manet terminus *ad quem*, ergo motus distinguitur entitativè à termino *ad quem*.

Resp. dist. maj. illa quæ se ita habent ut uno destructo tam quoad suam entitatem, quàm quoad suam formalitatem, alterum remaneat, distinguitur entitativè conced. maj. si unum destruatur solùm quoad suam formalitatem, non autem quoad suam entitatem, neg. maj. sed motus destruitur quoad formalitatem motus & tendentiæ conced. minor, motus destruitur quoad suam entitatem neg. minor & consequentia.

Dices: motus perit quoad suam formalitatem tendentiæ, ergo perit quoad suam entitatem. Prob. conseq. quia formalitas tendentiæ est aliqua entitas, sed motus perit quoad formalitatem tendentiæ, ergo etiam perit quoad suam entitatem.

Resp. neg. conseq. ad prob. dist. major. Illa formalitas est aliqua entitas incompleta conced. major; est entitas completa neg. maj.; sed ille motus perit quoad illam tendentiam, conced. minor, ergo perit quoad suam formalitatem incompletam explicitè importatam conced. conseq. perit quoad suam entitatem completam implicitè & materialiter importatam, negatur consequentia.

Dices: ex hoc sequitur, quòd adveniente termino motûs, adhuc maneret ipse motus, quod tamen videtur esse falsum, siquidem dum terminus est præsens, motus cessat.

Resp. dist. sequel. majoris. sequeretur quod adhuc maneret motus quoad suam entitatem quam involuit, & materialiter includit, conc. sequel. maj. maneret adhuc motus quoad suam formalitatem tendentiæ negatur sequela; sed adveniente termino motus quoad suam entitatem quam materialiter includit, non manet motus neg. min. motus quoad suam formalitatem tendentiæ non manet, conced. min. & neg. conseq. Unde dico: quod adveniente calore ut octo, qui est terminus calefactionis, cesset calefactio & motus solùm quoad suam formalitatem tendentiæ.

Dices: sed etiam motus non manet quoad suam entitatem, ergo solutio nulla. Prob. minor subsumpta, quia aliàs sequeretur

quod

quòd ad motum daretur motus ; ſed ad motum non datur motus ut communiter docent Philoſophi, ergo perit motus quoad ſuam entitatem. Prob. ſequela majoris, quia ad terminum datur motus, ergo etiam ad ipſum motum identificatum cum termino dabitur motus.

Reſp. neg. min. ſubſumpt. ad prob. diſt. ſequela. Sequeretur quòd ad motum entitativè & materialiter acceptum daretur motus, conced. ſequela. Sequeretur quòd ad motum formaliter ſub ratione tendentiæ acceptum daretur motus neg. ſequela, ſed ad motum formaliter in ratione tendentiæ acceptum non datur motus, conced. min. materialiter & entitativè acceptum neg. min. & conſequentia. Et ita non implicat, quòd eadem entitas ſecundùm diverſas formalitates ſit motus, & etiam terminus motûs.

Arg. tertiò contra quartam concluſ. ſi actio paſſio & motus eſſent tres formalitates inter ſe diſtinctæ, ſequeretur quod mobile moveretur triplici motu, ſed conſequens eſt falſum ergo & antecedens, ſequela prob. nam in primis moveretur per receptionem motus, ſecundò per receptionem actionis, & tertiò per receptionem paſſionis, ergo.

Reſp. neg. ſequel. maj. quia omnia illa concurrunt neceſſariò ad unum & eundem motum, adeoque actio & paſſio non ſunt motus diſtincti, ſed tantùm ſunt modi unius motûs, quo movetur mobile ad unum terminum acquirendum.

ARTICULUS II.

Vtrum actio tranſiens completè aceepta ſubjecletur in agente vel in paſſo?

NOtandum quòd actio ſit duplex, immanens ſcilicet & tranſiens, actio immanens eſt, quæ recipitur in eodem ſubjecto à quo elicitur, ut v. g. viſio elicitur & recipitur in potentia viſiva, actio autem tranſiens eſt, quæ importat aliquem motum cum quo identificatur, producentem aliquem effectum ad extra. ſolet etiam definiri actio tranſiens, quòd ſit actus ab agente ut in aliud externum operans, vel eſt motus ut ab agente, procedens in aliquid externum operans, & aliquid in eo efficiens. Et iſta voca-

vocatur actio formaliter transiens, quia transit ab agente in externam materiam eam immutando & perficiendo.

CONCLUSIO

Actio formaliter transiens completè accepta subjectatur in passo.

Ita S. Th. 1. p. q. 18. a. 3. ad 1.

PRob. actio immanens & transiens adæquatè dividunt actionem ut sic, ergo etiam debent constitui per modos immediatè oppositos, sed actio immanens ut talis est intrinseca perfectio agentis, & subjectatur in agente, ergo ècontra actio formaliter transiens erit intrinseca perfectio passi, & subjectatur in passo. Prima consequentia patet, quia ideo homo & brutum debent constitui per modos & differentias immediatè oppositas, quia sunt membra inferiora adæquatè dividentia aliquod superius, nimirum ipsum animal.

Prob. conclusio secundò, actio identificata cum motu subjectatur in eodem subjecto, in quo subjectatur motus, id est recipitur in subjecto mobili, seu passo, sed motus subjectatur in passo; ergo & actio transiens subjectatur in passo.

Arg. primo, omnis forma inhæret illi subjecto quod denominat, sed actio transiens denominat agens & non passum, ergo etiam actio transiens subjectatur in agente & non in passo.

Resp. dist. maj. omnis forma est in illo subjecto quod denominat denominatione tantùm extrinsecà neg. maj. quod denominat denominatione intrinsecâ conced. maj. sed actio transiens denominat agens extrinsecè conced. min. denominat agens intrinsecè neg. min. & consequentia; cum ergo actio transiens sit actus agentis tanquam principij à quo, non autem sit actus agentis tanquam principij in quo, hinc actio transiens denominat ipsum agens tantum extrinsecè.

Dices ideo actio immanens denominat agens intrinsecè, quia est perfectio agentis, sed etiam actio transiens est perfectio agentis, ergo etiam actio transiens denominat subjectum intrinsecè, & consequenter in agente subjectatur. min. prob. quia illud est intrinseca perfectio agentis propter quod agens est, sed agens

est etiam propter suam operationem transeuntem, ergo actio transiens est intrinseca perfectio agentis.

Resp. quod ideo actio immanens subjectetur in agente, quia est intrinseca perfectio agentis, actio autem transiens non subjectatur in agente, quia solùm est perfectio extrinseca agentis, unde etiam agens est propter actionem immanentem tanquam propter sui perfectionem intrinsecam; propter actionem autem transeuntem agens solùm est tanquam propter suã perfectionẽ extrinsecã.

Dices: per actionem transeuntem agens se aliter habet ac antea, ergo actio transiens est intrinseca & non solùm extrinseca perfectio agentis

Resp. dist. antec. per actionem transeuntem agens se aliter habet, tanquam per formam intrinsecè in se receptam neg. ant. habet se aliter per actionem transeuntem, tanquam per aliquid à se emanans, conced. antec. & neg. cõseq.

Dices constitutivum alicujus rei, debet esse intrinsecum tali rei, sed actio transiens constituit causam in ratione causæ efficientis in actu secundo causantis, ergo actio, transiens est intrinseca agenti.

Resp. dist. maj. constitutivum rei in se ipsa debet esse intrinseca tali rei conc. maj. constitutivum rei, in ratione perficientis aliud, debet esse ipsi intrinsecum neg. maj. sed actio transiens constituit causam secundam efficientem perficientem aliud conceditur minor, constituit causam perfectivam sui ipsius, negat. min. & consequentia.

Arg. 2. actio ut actio essentialiter est accidens, ergo essentialiter dicit esse *in*, sed ut actio non potest esse in passo, ergo est in agente. prob. min. quia si actio esset in passo, tunc non esset actio sed passio, cùm motûs ut receptus in passo habeat rationẽ passionis

Resp. dist. ult. ant. motûs receptus in passo non est actio sed passio, si consideretur motus sub hac formalissima ratione ordinis ad passum conc. ant. si consideretur absque tali ratione ordinis ad passum neg. ant. & conseq. Dico ergo, quòd licèt actio transiens sit in passo, non tamen dicitur esse passio, quia nimirum non dicit ordinem ad passum (tanquam ad subjectum emanationis simul & sustentationis, sed sustentationis tantùm) seu quia actio tran-

transiens non includit illam formalissimam rationem ordinis ad passum ut sui constitutivam, unde ratio formalissimè constitutiva illius actionis transeuntis est solùm ordo ad agens.

Arg. 3. Aristoteles lib. 3. de anima, text 24. ait actum inesse illi, cujus est actus, sed omnis actio est actus agentis, ergo actio transiens non est in passo.

Resp. Aristotelem ibi loqui de actu intrinseco substantiali, scilicet de forma substantiali, quæ sine dubio intrinsecè est in materia â se informata.

QVÆSTIO XIII.

De infinito

ARTICULUS UNICUS

Utrum possit dari per potentiam DEI infinitum in actu?

NOtandum hîc quod infinitum nihil sit aliud, quàm id quod non habet finem, seu quod nullis clauditur terminis. Vnde infinitum secundum essentiam est id, quod non clauditur genere & differentiâ, quæ sunt differentiæ substantiæ seu essentiæ creatæ. infinitum autem secundum magnitudinem est illnd, quod secundùm suam quantitatem non habet terminum. infinitum secundùm multitudinem est illud, quod secundùm suum numerum non habet finem. & tandem infinitum secundùm qualitatem est illud, quod habet infinitos gradus intensionis, ut si daretur v. g. calor infinitè intensus.

Notandum secundò. quod infinitũ sit duplex: unum est infinitum actu, quando scilicet res aliqua actu non habet finem secundùm essentiam, sive secudùm quantitatem, qualitatem, aut intensionem, & hoc infinitum actu vocatur infinitum cathegorematicum. aliud est infinitum in potentia seu syncathegorematicum, quod secundùm illa quæ continet in potentia non habet finem. in præsenti ergo non est quæstio an possit dari infinitum syncathegorematicum, tali enim modo cogitationes hominum & Angelorum infinitas esse, manifestum est, unde solùm quæstio est an possit dari infinitum in actu.

CONCLUSIO.

Nullum potest dari ens creatum, quod sit infinitum in actu, sive secundùm essentiam, sive secnndùm quantitatem, qualitatem aut multitudinem.

PRob. nulla potest dari substantia creata actu infinita, nullumquè potest dari accidens actu infinitum, ergo absolutè implicat, quod detur infinitum actu. prob. ant. quod est in aliquo certo & determinato genere, hoc est finitum, clauditur enim suo proprio genere & differentia tanquam terminis suæ essentiæ, sed substantia creata semper debet habere suum proprium genus & diffetentiam, ut constat, ergo omnis substantia creata debet esse finita, & consequenter etiam omne accidens receptum in tali substantia debet esse finitum, cùm omne accidens debeat comensurari finitæ capacitati ipsius substantiæ, in qua subjectatur.

Hanc ipsam conclusionem voluit insinuare sapientiæ duodecimo sapiens dum dixit: omnia feciſti in numero, pondere & mensura, volens per hæc verba indicare, non esse dabile infinitum in actu. nam si esset infinita multitudo, tunc careret numero, si autem infinita magnitudo, tunc careret mensurâ, & denique si esset infinita quantitas, tunc careret pondere, ergo non potest dari infinitum in actu.

Arg. 1. datur à parte rei infinitum in potentia, ergo etiam datur infinitum in actu. prob. conseq. quia frustra est potentia, quæ non reducitur nec reduci potest ad actum, ergo.

Resp. dist. ant. frustra est potentia quæ non reducitur ad actum eo modo quo reduci potest & debet conc. ant. quæ non reducitur ad actum eo modo quo reduci non debet aut potest, neg. ant. &conseq. Vnde actus in ordine ad quem aliquid dicitur infinitum in potentia, non est actualis carentia omnis omnino termini nec proinde ratio actu infiniti, sed est carentia cujuslibet termini in particulari designabilis.

Arg. 2. DEUS ut author naturæ habet potentiam infinitam, ergo etiam in creaturis debet producere infinitum, quod sit terminus talis potentiæ infinitæ.

Resp.

Resp. quòd ad hoc ut potentia Dei sit infinita, non requiratur quòd effectus sit actu infinitus, sed sufficit, quod producto quolibet effectu Deus possit producere meliorem & perfectiorem.

Resp. 2. quòd licet effectus in se non sit infinitus, est tamen infinitus quoad modum producendi ex nihilo per creationem. quòd autem Deus non possit producere infinitum actu, non provenit ex defectu virtutis divinæ, sed provenit ex eo, quia est repugnantia ex parte facti.

Arg. 3. gratia Christi Domini fuit infinita ut docent Theologi, ergo potest dari infinitum in actu.

Resp. gratiam Christi solùm fuisse in esse moris infinitam, non autem in esse physico. hîc autem solùm negatur posse dari infinitum in actu physicè tale.

Arg. 4. linea potest non habere terminum tripalmarem, vel quadripalmarem, ergo linea potest esse infinita. Probatur consequentia, quia infinitum est, quod nullum habet terminum.

Resp. quòd licet linea possit non habere certum & determinatum terminum v.g. tripalmarem vel quadripalmarem, petit tamen certum aliquem habere terminum v. g. tripalmarem vel quadripalmarem, vel alium similem, habendo autem aliquem terminum linea semper erit finita. pro complemento.

Adverte, quòd Deus in quovis instanti temporis designato potuisset semper producere aliquem Angelum, non tamen in quovis instanti temporis indesignato propter implicantiam facti. Et ratio hujus est, quia instantia designata sunt finita, & ita Angeli producti etiam essent numero finiti; instantia autem indesignata sunt infinita actu, & etiam Angeli producti numero essent actu infiniti, quod tamen implicat, cùm quivis numerus debeat esse in determinata specie, & consequenter habere suum genus & differentiam quæ sunt ejus termini limitantes. Adde quòd si Deus produxisset infinitos Angelos, tunc potentia DEI fuisset exhausta, quod tamen dici non debet.

LIBER

LIBER QVARTVS PHYSICORUM.

QUÆSTIO XIV.

De Loco.

ARTICVLVS I.

Quomodo definiatur Locus?

CONCLUSIO.

Locus extrinsecus rei bene definitur, quòd sit superficies ultima corporis continentis, immobilis, prima.

EXplicatur definitio. dixi locus extrinsecus bene definitur quia hîc non est sermo de loco intrinseco, nimirum de ipso ubi, quod relinquitur seu resultat ex loco extrinseco in corpore locato, dicitur autem in definitione loci extrinseci quòd sit *superficies*, quę particula ponitur quasi loco generis, quia per hanc particulam convenit etiam cum alijs superficiebus, quæ non sunt locus. dicitur secundò *ultima*, ad excludendas superficies intermedias, quæ solent dici convexæ, unde superficies loci debet esse superficies ultima concava, quæ est in interiore parte corporis locantis, unde exterior superficies convexa dolei non est locus vini, sed interior concava superficies dolei, quæ immediatè circumscribit vinum in ipso contentum. dicitur tertiò *corpus*, ad insinuandum, quòd superficies contineat corpus locatum *ut quod*. dicitur quartò *continentis*. quæ particula denotat continentiam actualem, aliàs enim vacuum posset dici locus, siquidem habet continentiam aptitudinalem.

Dicitur quintò *immobilis*: quæ particula propriam loci differentiam importat, & insinuatur quòd locus saltem formaliter sit immobis. dicitur ultimò, *prima*: ad denotandum quòd superficies debeat

debeat esse proxima & immediata, eò quod in præsenti non fiat sermo de loco communi, sicut (v. g.) auditorium est locus communis, sed in præsenti solùm est quæstio de loco particulari.

Arg. 1. Si corpus esset superficies, sequeretur quòd corpus existens in diversis superficiebus, esset in diversis locis, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. min. prob. quia corpus partim in aqua, partim in aëre existens, solùm est in vno loco. ergo.

Resp. dist. sequelam mai. sequeretur quod corpus habens diversas superficies adæquatas esset in pluribus locis, conced. sequela. si habeat plures superficies solùm inadæquatas neg. sequela. corpus autem illud quod partim est in terra & partim in aqua, solùm habet plures superficies inadæquatas, & ideo tantùm est in uno loco totali.

Arg. 2. Si locus est superficies corporis, deberet esse æqualis corpori locato, sed superficies non est æqualis corpori locato, ergo locus non est superficies. min. prob. superficies debet continere corpus, ergo superficies non est æqualis locato.

Prob. conseq. quia omne continens est majus contento, ergo.

Resp. dist. ult. antec. omne continens *ut quod* est majus suo contento conced. antec. omne continens *ut quo* est majus contento, neg. antec. & consequentia. Superficies autem solùm. continet *ut quo* ipsum locatum, quia est ratio continendi corpus locatum. Cum quo tamen stat, quod continens *ut quod* seu ipsum corpus ambiens (v. g.) corpus aëris circũscribentis, sit majus locato & suo contento.

Arg. 3. turris S. Stephani semper est in eodem loco, & tamen ipsius superficies est mobilis, siquidem modò habet istum aërem ambientem, modò alium aërem ambientem, ergo malè dicitur in definitione loci, quòd sit superficies *immobilis*.

Resp. quod licèt superficies turris S. Stephani propter diversitatem aëris ambientis *materialiter* mutetur, *formaliter* tamen est eadem superficies, in quantum nimirum dicit & servat certam & eandem distantiam ad centrum terræ & polos mundi, sic inquam superficies formaliter sumpta est immobilis. Ex quo fit, quòd licèt vna pars aëris alteri succedat, quia tamen omnes illæ servant eandem distantiam ad centrum terræ & polos mundi, hinc etiam turris S. Stephani semper dicitur manere in eodem loco.

Quæ-

Quæres an primum mobile (quod in sententia Aristotelis est ultima Sphæra) in ejusdem Aristotelis sententia, sit in alipuo loco.

Resp. quòd in sententia Aristotelis primum mobile secundùm se totum, nec etiam secundùm suas partes sit actu in loco. Et ratio est. quia id dicitur esse *actu* in loco secundùm se totum vel quoad suas partes, quod secundùm se totum, vel quoad suas partes *actu* circumscribitur â corpore aliquo ambiente realiter â se distincto, sed primum mobile in sententia Aristotelis secundùm se totum non circumscribitur ab alio corpore distincto, nec etiam secundùm suas partes ambitur â corpore realiter distincto, ergo primum mobile nec secundùm snas partes est actu in loco.

Cum quo tamen stat, quòd primum mobile ratione suarum partium sit in loco in potentia. Ratio est: quia licet totum mobile non mutet suum locum, mutat tamen illud secundùm suas partes, in quantum nimirum una pars primi mobilis, modò est in oriente, modò in occidente.

ARTICULUS II.

Utrum duo corpora possint esse simul in eodem loco, & an unum corpus possit esse simul in duobus locis circumscriptivè.

CONCLUSIO I.

Licèt naturaliter repugnet duo corpora esse in eodem loco, id tamen supernaturaliter fieri non repugnat.

PRob. 1. pars, quia naturaliter repugnat quòd duo corpora se invicē penetrent, ergo naturaliter duo corpora nō possunt esse simul in eodem loco circumscriptivo. antec. prob. quia impenetrabilitas est propria passio quantitatis seu corporis quanti, sed propria passio naturaliter separari non potest, ergo naturaliter repugnat, quòd duo corpora se invicem penetrent.

Ex quo fit: quòd unum corpus non succedat in locum alterius, nisi prius aliud recesserit. Videmus etiam quòd dura resistant & millia cedant, quia realiter penetratio fieri nō potest, ut dictū est

Probatur secunda pars ex Sacra Scriptura, in qua dicitur: quòd Christus Dominus exiverit clauso utero Virginis, & in sua resurre-

surrectione exiverit ex sepulchro immoto lapide, & ascenderit super omnes cœlos eos non dividendo ut dicitur ad Hæbreos capite quarto. ergo.

Prob. etiam ratione. nam divina virtute impenetrabilitas, quæ est propria passio corporis quanti, potest separari â corpore quanto, ita ut duo corpora se invicem penetrent quoad omnes suas dimensiones, sed tunc duo corpora erunt in eodem loco, quia circumscribentur unica superficie corporis ambientis, ergo supernaturaliter duo corpora possunt esse in eodem loco circumscriptivo.

CONCLVSIO. II.

Implicat etiam per potentiam Dei absolutam quòd unum & idem corpus simul sit in duobus locis adæquatis circumscriptivè. Ita docet S. Th. in 4. d. 44. a. 2. q. 3. ad 4. ubi ait, unde quod idem corpus sit in duobus locis includit contradictionem, sicut quod homo careat ratione seu intellectu.

PRob. ratione. implicat aliquid simul comprehendi & non comprehendi â loco, sed si idem corpus poneretur in duobus locis simul, tunc ab utroque comprehenderetur, & non comprehenderetur, ergo implicat per potentiam Dei, quòd unum corpus sit in duobus locis adæquatis circumscriptivè. major patet, minor autem probatur. nam in primis tale corpus comprehenderetur ab utroque ut supponitur. deinde etiam non comprehenderetur ab utroque loco, quod sic ostenditur. quia comprehendi ab aliquo loco, nihil est aliud, quàm ita esse in tali loco, ut nihil illius corporis sit extra talem locum, sed si vnum corpus simul esset in duobus locis adæquatis circumscriptivè, tunc non ita comprehenderetur ab uno, ut nihil illius sit extra talem locum. ergo. prob. mi. quia tale corpus adhuc comprehenderetur â secundo loco, ergo non comprehenderetur totaliter â primo loco ita ut nil illius corporis sit extra talem primum locum. unde sicut homo, qui stat usque ad collũ in aqua non comprehenditur ab aqua, quia aliquid illius corporis (scil. caput) est extra aquam, ita similiter in præsenti contingeret.

Prob. conclusio secundò implicat idem corpus simul esse divisum, & non esse divisum, sed hoc sequeretur ex oppositâ sententia, ergo idem corpus in duobus locis adæquatis esse non potest. prob. min. nam inprimis illud corpus esset divisum, quia in uno loco esset â se distans, ita ut mediarent multa alia corpora ut v. g. si idem corpus posset simul esse in Schola & in Ecclesia, tunc inter illud ipsum corpus ut existens in Schola & in Ecclesia mediaret murus. deinde etiam illud corpus non esset divisum, quia supponitur esse idem corpus. ergo.

Prob. conclusio tertiò. si idem corpus posset esse in pluribus locis circumscriptivè, tunc in uno loco posset vivere & in alio mori, in uno sedere, in alio stare, in uno dormire, & in alio vigilare sed hæc omnia sunt absurda, ergo etiam falsum est, quòd unum corpus possit esse in duobus locis adæquatis circumscriptivè.

Dices: illud corpus esset replicatum, & ita posset esse in duobus locis circumscriptivè, sed

Contra est. vel illud corpus replicatum manet idem numero cum unica sua quantitate, quam antea habuit, vel non retinet eandem numero quantitatem, quam antea habuit? sed nihil horum potest dici, ergo nec potest dici, quod ratione hujus replicationis possit esse in duobus locis adæquatis circumscriptivè. prob. min. nam in primis non potest dici, quòd illud corpus non maneat idem numero, aliàs variaretur status quæstionis: nec potest dici, quod idem numero corpus accipiat præter quantitatem quam prius habuit, aliam quantitatem, quia quantitas in eodem corpore non est multiplicabilis, cùm secunda quantitas non possit tribuere tali corpori suum effectum formalem primarium, qui est extensio partium in ordine ad se, & consequenter illa secunda quantitas prædicto corpori non posset tribuere effectum formalem secundarium, qui est extensio in ordine ad locum. Et deniq; non potest dici, quod ibi maneat unica quantitas in tali corpore, quia si maneat tantùm unica quantitas, ergo etiam solùm manet unus effectus formalis secundarius quantitatis, scilicet extensio in ordine ad locum adeoque corpus illud cum unica quantitate in duobus locis adæquatis simul esse non potest.

Arg. 1.

Arg. 1. contra 1. concluſionem. Experientiâ conſtat, quòd vas plenum cinere, multum aquæ adhuc in ſe recipiat. Similiter vitrum vino plenum adhuc unum vel alterum aureum recipit, item panis tinctus recipit vinum & aquam, ergo naturaliter duo corpora erunt ineodem loco.

Reſp. ad primum. quod licèt aqua recipiatur in vaſe pleno cineribus, hoc tamen non fit, quaſi aqua & cineres una ſuperficie & loco circumſcribantur, ſed hoc ſolùm fit ex eo, quòd in poris cinerum aqua recipiatur, & per receptionem aquæ cineres magis conſtipentur, dum nimirum incluſus aër in poris cinerum expellitur, aqua loco aëris expulſi ſuccedit. Similiter aqua vel vinum ſolùm recipitur in poris ipſius panis, aqua autem vel vinum ad receptionem auri quodammodo indureſcit, & eidem quodammodo cedit. imò ad omnia iſta dici poſſet, quòd hæc ſolùm ſint ſimul in loco quaſi communi, non autem in loco particulari, quod præſens concluſio ſolùm negat.

Arg. 2. contra 2. concluſ. mirabilius eſt quod corpus Chriſti ſit in cælo circumſcriptivè, & in Euchariſtia ſacramentaliter, quàm quod unum corpus ſimul ſit in duobus locis circumſcriptivè, ſed primum poteſt fieri & de facto fit, ergo etiam poteſt fieri ſecundum.

Reſp. neg. maj. nam mirabilius eſſet, quod unum corpus eſſet in duobus locis circumſcriptivè, quia tali modo multiplicaretur effectus formalis ſecundarius quantitatis (ſcilicet extenſio in ordine ad locum) ſine quantitate, quod tamen fieri non poteſt, imo ex talifacto ſequerentur multa abſurda, ut in probatione concluſionis dictum eſt. Cæterùm quod corpus Chriſti ſit in Cælo circumſcriptivè, & in Euchariſtia Sacramentaliter, nulla involuitur contradictio. Licèt enim Chriſtus ſit in Cælo modo quantitativo ſcilicet ratione ſuarum dimenſionum propriarum, in Euchariſtia tamen non eſt in loco ratione ſuarum propriarum dimenſionum, ſed eſt ibi per accidens in loco ratione quantitatis & dimenſionum panis.

Dices: ſi corpus Chriſti ſit in Cælo circumſcriptivè, & in Euchariſtia Sacramentaliter, tunc etiam ſequitur quòd corpus Chri-

sti esset comprehensum in Cælo & non esset comprehensum, quia esset in Eucharistia, item sequitur quòd corpus Christi esset sursum in Cælo & esset deorsum in terra in Eucharistia. sed hoc non obstante corpus Christi potest esse simul in Cælo circumscriptivè & in Eucharistia Sacramentaliter, ergo similiter idem corpus potest esse in eodem loco.

Resp. dist. maj. esset comprehensum & non esset comprehensum localiter neg. maj. & non esset comprehensum modo Sacramentali & indivisibili, conced. maj. & concessa minore negatur conseq. si autem corpus simul esset in pluribus locis citcumscriptivè, tunc esset comprehensum, & non esset comprehensum localiter, quod solùm implicat.

Ad alteram partem dist. similiter maj. corpus Christi esset sursum ratione sui, & esset deorsum ratione sui, neg. maj. esset sursuu ratione sui, & esset deorsum ratione alterius & per accidens, nimirum ratione specierum sacramentalium conced. maj. & concessâ min. neg. conseq. si autem unum corpus esset in duobus locis circuuscriptivè, tunc idem corpus ratione sui esset sursum, & etiam ratione sui, id est ratione suæ quantitatis, esset deorsum, quod implicat.

Arg. 3. Christus apparuit S. Paulo in via, item S. Petro Româ abire volenti. item multi Sancti, ut S. Ambrosius, & S. Nicolaus dicuntur fuisse in duobus locis. aliqui etiam Sancti viderunt sub speciebus Sacramentalibus Christum informa Parvuli Pusionis, ergo Christus & alij Sancti simul fuerunt in pluribus locis.

Resp. 1. quod si Christus verè & in propria persona istis sanctis sivè in hostia sive in alijs occasionibus apparuit, tunc ad brevem morulam desinierit esse in Cælo circumscriprivè. Et licet de lege ordinaria Christus Cælum in quo est circumscriptivè non deserat (prout explicandus est S. Augustinus) in quodam tamen casu extraordinario hoc fieri potest. vel

Resp. 2. quod hujusmodi visiones sive Christi sive aliorum Sanctorum in alijs locis fiat ex eo, quia Angelus aliquis ex mandato divino formavit, & assumpsit aliquod corpus aëreum, in quo personam ejus, qui apparere putatur, exhibet & repræsentat.

Arg. 4.

Arg. 4. duo corpora per virtutem divinam possunt esse simul in eodem loco circumscriptivè, ergo etiam pervirtutem divinam unum corpus poterit esse in pluribus locis.

Resp. neg. conseq. disparitas est, quia unica quantitas non potest habere duos effectus formales secundarios, id est, duas extensiones locales, ut dictum est, potest tamen quantitas privari suo effectu formali secundariò, cujusmodi est impenetrabilitas seu expulsio unius corporis ab aliquo loco, & ita duo corpora se invicem penetrando possuut in ratione locabilis fieri unum, essequè in uno loco.

QVÆSTIO XV.

De Vacuo.

ARTICULUS UNICUS.

An possit dari vacuum, & an corpus in vacuo, si daretur, moveri possit?

NOtandum, quòd Vacuum sit duplex, unum negativum, & alterum privativum. Vacuum negativum est id, quod neq; de formali, neque de materiali aliquid positivum dicit, ita ut tale vacuum negativum non claudatur intra latera alicujus corporis. Et tali modo sine dubio datur Vacuum, cum dentur infinita spatia imaginaria ultra cœlos. Aliud est Vacuum privativum, quod solet definiri, quod sit locus non repletus corpore. Unde hoc Vacuum privativum est quoddam intervallum intra latera alicujus corporis inclusum, privatum tamen corpore replente. Et tale vacuum esset in ista Schola, si Deus aërem in ea inclusum annihilaret, vel si Deus à cœlo usque ad terram destrueret totum aërem intermedium: & de hoc Vacuo privativo hic loquor.

CONCLUSIO. I.

Nec defacto, nec per ullam virtutem creatam potest dari vacuum.

PRob. 1. p. nam si daretur defacto Vacuum, illud esset frustra, cum toti universo nihil conduceret, imo esset nocivum rebus corporeis, quia per tale Vacuum destrueretur colligatio,

unio & contiguitas corporum inter se : sed natura nihil operatur frustra, ergo defacto non datur Vacuum.

Prob. 2. p. Tota natura magna vi resistit & impedit Vacuum, sed nulla virtus creata hanc resistentiam potest impedire, (quia hanc virtutem ad resistendum vacuo omnes res acceperunt ab Authore naturæ, quæ proinde virtus à nullo agente creato impediri potest) ergo etiam per nullam virtutem creatam potest dari Vacuum. Major patet in multis exemplis, nam cucurbitæ cum stupâ intus accensâ applicatæ scapulis carnem attrahunt. Similiter si quis fistulam uno orificio vino applicet, & in alio orificio aërem in fistula inclusum attrahat, tunc statim vinum contra suam particularem inclinationem ascendit sursum, ne aëre sic extracto fistula deinde maneat vacua, pro quo

Notandum, quòd quævis res naturalis duplicem habeat inclinationem, unam ad suam perfectionem & bonum privatum, seu particulare, quâ ratione lapis inclinatur in centrum. Alia est inclinatio universalis, quâ quævis res inclinatur ad succurrendum bono communi, & hoc modo aqua vel vinum juxta suam inclinationem universalem ascendit sursum ad replendum vacuum.

CONCLUSIO. II.

Virtute Divinâ potest dari Vacuum.

PRob. quia posset Deus conservare Cœlum & Terram & omnia corpora seu elementa intermedia annihilare, sed in tali casu daretur Vacuum, ergo per virtutem Divinam potest dari Vacuum. Ante tertiam conclusionem.

Notandùm, quòd motus successivus sit, qui paulatim, & per partes appropinquat ad terminum *ad quem*. Motus autem instantaneus est, qui in momento est in suo termino *ad quem*. hoc supposito sit.

CONCLUSIO III.

Si daretur Vacuum, corpus in illo posset moveri motu successivo.

PRob. 1. p. quia illud corpus positum in Vacuo, adhuc esset ab intrinseco mobile, quia adhuc haberet materiam & formam, quæ sunt natura & principium motûs; possetque Deus

Deus suo concursu supplere dependentiam, quam aliàs corpus haberet ab influxu corporum cælestium, ergo si daretur Vacuum, adhuc corpus in illo posset moveri.

Prob. 2. p. Si daretur Vacuum â Cœlo usque ad Terram, & daretur columna longa versûs Cœlum erecta, tunc si Deus è cœlo deorsum projiceret lapidem, talis lapis in suo descensu non posset unico instanti simul & semel correspondere omnibus partibus columnæ, aliàs talis lapis esset ejusdem magnitudinis cum columnâ; ergo signum est, quòd solùm talis lapis in suo descensu successivè correspondaret partibus talis columnæ, adeoque motus talis lapidis esset successivus.

Confir. Successio motûs non solùm oritur ex resistentia medij, per quod debet fieri transitus, sed etiam ex pluribus alijs causis: primò ex limitatione Virtutis activæ, secundò ex gravitate vel levitate mobilis, & tertiò ex distantia inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*, ergo licet in casu Vacui non esset resistentia medij, non tamen ideo motus desineret esse successivus.

Arg. 1. contra 1. conclusionem. Dum corpus aliquod movetur à suo loco, tunc vel movetur ad plenum, vel ad Vacuum: non ad plenum, aliàs naturaliter duo corpora se penetraret, simulque essent in eodem loco, ergo movetur ad Vacuum, & consequenter naturaliter datur Vacuum.

Resp. quòd quia unum corpus alteri cedit, & aër, dum quis ambulat, scinditur, hinc nec unum corpus naturaliter aliud penetrat, nec datur Vacuum. Unde ad argumentum dicitur; quod corpus moveatur ad plenum, non quòd plenum maneat, sed quod corpus ibi positum per sui adventum expellat.

Arg. 2. Si vas plenum aquâ calidâ firmissimè obduratum in vase, ponatur in loco frigido, & ibidem congeletur, tunc aqua congelata intus existens occupabit minus spatium, quàm antea ergo in tali casu dabitur Vacuum.

Resp. quòd in tali casu vas illud, etiamsi esset ferreum, deberet disrumpi ad impediendum Vacuum, quod est contra inclinationem totius Naturæ. Vel

Resp. quòd in tali casu aqua frigefacta emitteret quasdam exhala-

halationes sursum, quæ replerent illum locum, quem antea aqua superius occupavit.

QVÆSTIO XVI.

De Tempore.

ARTICVLVS VNICVS.

Quid sit Tempus, & an existat ratione sui instantis?

CONCLVSIO I.

Tempus est verum ens reale successivum, quod bene definitur, quòd sit numerus motûs secundùm prius, & posterius.

PRo. 1. p. quia tempus est duratio, & mensura motûs, qui est aliquid reale & successivũ, ergo etiam tempus debet esse aliquid reale & successivum. Prob. cons. quia mensura debet esse ejusdem ordinis & rationis cum re mensurata, ergo cum Motus tanquam res mensurata sit aliquid reale successivum, etiam tempus erit ens reale & successivum.

Secunda p. patet, nam Tempus est numerus numeratus, id est, mensura motûs non absolutè sumpti, sed ut est Ens successivum habens partes post partes; & ideo dicitur in definitione, quòd Tempus sit mensura motûs secundùm priùs & posterius.

CONCLVSIO II.

Tempus solùm existit per sua indivisibilia instantia, non autem existit ratione suarum partium, vnde in tempore solùm instans est præsens. Ita Aristoteles hoc libro textu 105. & S. Th. ibid. lect. 23. & clarissimi è opusc. 44. c. 1.

PRob. conclusio, quia si tempus existeret ratione suarum partium & non ratione sui instantis, sequitur, quòd tempus non sit ens reale successivum, sed consequens est falsum, ergo & ant. Prob. seq: illud ens, cujus una pars simul existit cum alia, non est ens successivum, sed permanens: sed si aliqua pars temporis esset præsens ratione sui, tunc jam plures partes temporis essent simul

simul, ergo. Prob. min. nam illa pars præsens est quanta & divisibilis in alias partes, ergo plures partes temporis simul essent præsentes.

Prob. 2. nam in definitione temporis dicitur, quòd sit numerus motûs secundùm prius & posterius, per quæ verba solùm intelligitur pars præterita & futura, ergo Tempus non est Mensura habens partem præsentem, sed solùm habet aliquod indivisibile instans præsens, quod terminat partem præteritam, & inchoat partem futuram. Ex quo fit, quòd licèt illud instans sit formaliter indivisibile, est tamen virtualiter divisibile, in quantum terminat unam partem, & inchoat alteram.

Arg. 1. contra 1. Numerus est quantitas discreta; sed Tempus non est quantitas discreta, ergo nec est numerus.

Resp. Majorem esse veram de numero numerante, non autem de numero numerato & applicato rebus, qualis numerns numeratus est Tempus.

Arg. 2. contra 2. concluſ. divisibile nequit existere per aliquod indivisibile, sed pars præterita & futura sunt aliquid divisibile, ergo non possunt existere per aliquid indivisibile instans, & consequenter etiam dabitur pars præsens, quæ ratione sui existat.

Respond: dist. maj. divisibile nequit existere per indivisibile, quod sit tale tam formaliter, quàm virtualiter, conced. major, per id, quod est indivisibile formaliter, divisibile tamen virtualiter, neg. Maj. & concesså minore, neg. conseq. quia, ut dictum est, instans ad minus est virtualiter divisibile.

Arg. 3. Pars futura non potest fieri præterita, nisi aliquando fuerit præsens, ergo aliquando illa pars futura erit præsens.

Respondetur, quòd Pars futura aliquando erit præsens non ratione sui, sed ratione instantis, quod terminat partem præteritam, & inchoat partem futuram.

LIBER QVINTVS PHYSICORUM.

De unitate & contrarietate Motûs?

QVÆSTIO XVII.

Ad quæ Prædicamenta detur Motus?

ARTICULUS I.

An ad Quantitatem, Qualitatem, & Ubi detur per se Motus?

CONCLVSIO I.

Est Affirmativa.

PRobatur, ad motum tria requiruntur, nimirum quòd versetur inter duos terminos positivos, secundò, quòd illi termini quodammodo inter se sint contrarij, & tertiò, ut illi termini habeant latitudinem successivè pertransibilem: sed hæ conditiones reperiuntur in Quantitate, Qualitate, & Ubi, ergo ad Quantitatem, Qualitatem & Ubi datur per se motus. Minor prob. nam in Quantitate datur Quantitas major & minor, quæ sunt aliquid reale, & aliquomodo opponuntur, atq; successivè acquiruntur, id est, successivè acquiritur major quantitas; & similiter etiam in Qualitate à minori ad majorem calorem v. g. successivè pervenitur; & tandem Ubi per motum localem ab uno extremo ad aliud etiam successivè acquiritur ergo.

CONCLUSIO II.

Ad reliqua Prædicamenta non datur per se motus.

PRob. & explicatur Conclusio. Nam in primis non datur motus ad substantiam, cum substantia sit in se indivisibilis, & consequenter non habet latitudinem successivè pertransibilem.

lem. Mutatio autem substantialis non fit per se primò per motum, sed resultat tantùm.

Deinde etiam ad actionem & Passionem non datur per se motus, quia sunt realiter idem cum motu; ad motum autem non datur per se motus, ut ait Aristoteles.

Deniq; ad Relationem, Quando, Situm, & Habitum non datur per se motus, quia non sunt per se, sed tantùm resultant, ut in Logica de sex ultimis Prædicamentis dixi.

Arg. 1. contra 1 Concl. Contrarietas solùm est inter qualitates, & quantitati, nihil est contrarium, ergo quantitas non habet omnes conditiones, ad hoc ut per se terminet motum.

Resp. Contrarietatem quidem adeo strictè sumptam solùm reperiri inter qualitates, v. g. inter calorem & frigus, nihilominus contrarietas sumpta pro incompossibilitate & speciali repugnantiâ atque distantiâ inter duos terminos positivos (in quo sensu contrarietatem hîc sumo) reperitur etiam inter quantitatem majorem & minorem, & inter Ubi, deorsum, & sursum.

Arg. 2. *Vbi* non fit per se, sed resultat ex circumscriptione loci, ergo non est terminus per se ipsius motûs.

Resp. dist. antec. ita ut locus habeat se tanquam terminus principalis motûs localis, neg. ant. ita tamen ut ipsum *ubi* habeat se tanquam terminus principalis hujus motûs localis, conced. antec. & neg. conseq. Ad hoc enim, ut motus per se terminetur ad *vbi*, sufficit, quòd ipsum *vbi* sit terminus primarius talis motûs localis, estò præsupponat locum extrinsecum tanquam conditionem, sine quâ non resultaret.

Arg. 3. Calor in igne est vera qualitas, & tamen ad illum non datur per se motus, ergo ad qualitatẽ non datur per se motus. ant. prob. quia calor producitur ad productionem ignis. ergo.

Resp. quòd licet ad calorem in primâ sui productione non detur per se motus, potest tamen aliquis calor fieri per motum, ut patet in calefactione aquæ. Unde conclusio non vult, quòd ad omnem qualitatẽ detur per se motus, (nam ad secundam & quartã speciem qualitatis non datur per se motus) sed solùm vult conclusio dabilem esse Qualitatem aliquam ad quam detur per se motus.

ARTICVLVS II.

Unde desumatur unitas generica & specifica motûs, id est, unde desumatur, quod motus sit hujus generis, vel hujus speciei.

CONCLVSIO.

Vnitas specifica motûs non desumitur à termino à quo *sed à termino* ad quem, *formaliter, & in ratione termini accepto. Ita S. Th. 1. p. q. 23. a. 1. ad 1.*

HÆc conclusio non procedit de Unitate specifica propriè dicta, hæc enim motui, utpote enti incompleto non competit; sed solùm procedit de unitate specificâ impropriâ, reductivâ & aliquali.

Prob. 1. p. fit subinde, quòd sit idem specie motus, & habeat diversos terminos *á quo*, ergo à termino *á quo* non sumitur unitas specifica motûs. conseq. patet, & antec. prob. nam omnes dealbationes sunt ejusdem speciei, & procedunt â diversis terminis *á quo*, cum per accidens sit ad motum albefactionis, an terminus *á quo* fuerit ruber vel niger, ergo.

Prob. 2. p. quia motus specificatur specificatione extrinsecâ ab eo quod formaliter & per se primò respicit, non autè ab eo quod respicit tantum materialiter & ratione alterius, sed motus per se primò & formaliter respicit terminum *ad quem*, terminum autem *á quo* solùm respicit materialiter, & ratione termini *ad quem*, ergo motus accipit unitatem specificam à termino *ad quem*. prob. min. motus enim nil aliud est quàm via & tendentia seu accessus ad terminum *ad quem*, ergo primariò & per se primò respicit terminum *ad quem*.

Prob. 3. p. quia idem terminus *ad quem* materialiter sumptus potest terminare diversos motus, ergo terminus *ad quem* solùm formaliter spectatus significat motum. antec. prob. quia motus circularis & motus rectus possunt terminari ad eundem terminum *ad quem* materialiter acceptum v. g. ad idem punctum, & tamen motus circularis & motus rectus distinguuntur specie, ergo.

CON-

CONCLVSIO II.

Ad unitatem numericam motûs debet concurrere unitas numerica mobilis, unitas termini ad quem, *& continuitas seu unitas temporis non interrupta.*

PRob. nam omne accidens requirit unitatem subjecti ergo cũ motus sit accidens requirit unitatem subjecti seu mobilis. deinde quæ specie distinguuntur non possunt ad invicem continuari, ergo idem numerus motus non potest habere plures terminos adæquatos, adeoq; requiritur unitas specifica termini, & quia est ens successivum hinc ad continuitatem motûs requiritur continuatio temporis: si enim motus per aliquod tempus interrumpatur, tunc non est unus motus numero, sed duplex, ergo etiam ad unitatem numericam motûs requiritur unitas mobilis, unitas termini *ad quem*, & unitas non interrupta temporis.

Arg. 1. Si motus acciperet suam unitatem specificam à suo termino *ad quem* sequeretur quod motus hominum, volatus avium, & natatio piscium sint ejusdem speciei si terminentur ad eundem terminum *ad quem*, sed consequens est falsum, ergo & antec.

Confir. ad eundem terminum *ad quem* possunt terminari diversi specie motus, ergo terminus *ad quem* non specificat.

Resp. ad 1. quod omnes illi motus si formaliter in ratione motûs physici spectentur, non differunt specie, si terminentur formaliter ad eundem terminum *ad quem*. Si autem illi motus accipiantur ut sunt proprietates illorum diversorum corporum v.g. hominum, avium & piscium, sic distinguuntur specie. Nec hoc est mirum. nam etiam potentia visiva hominis & bruti, si in ratione potentiæ visivæ considerentur sunt ejusdem speciei, cũ habeant idem objectum, scil. lucidum coloratum, si tamen illæ potentiæ visivæ spectentur in ratione proprietatis consecutæ ad hominem & brutum, sic distinguuntur specie.

Resp. ad Confir. quod ad eundem terminum materialiter acceptum possint terminari diversi specie motus, quod non est contra me, quia dico quod terminus *ad quem* solùm formaliter spectatus specificet motum.

Arg. 2. Unitas temporis sumitur ab unitate motûs, ergo ècontra unitas motûs non sumitur ab unitate temporis.

Resp. hoc fieri secundùm diversas rationes, nam tempus sumit suam unitatem ab unitate motûs tanquam à priori, motus autem ècontra sumit suam unitatem â tempore tanquam â signo & â posteriori, non autem repugnat, quod unum secundùm aliquam formalitatem specificet alterum, & reciprocè secundùm aliam formalitatem specificetur ab illo.

Quæres unde desumatur contrarietas motuum?

Resp. quod contrarietas motuum præcipuè desumatur â diversis terminis *ad quem*, à posteriori tamen potest etiam colligi contrarietas motuum â diversitate terminorum *à quo*.

Ratio 1. p. quia idem quod specificat aliquid, facit illud etiam esse oppositum alteri, quod est diversæ speciei, sicut rationale, quod constituit hominem, etiam opponit hominem bruto, sed terminus *ad qnem* specificat motum, ergo etiam facit unum motum esse contrarium & oppositum alteri.

Ratio 2. p. est, quia plerumq; ubi est contrarietas motûs, etiam adsunt diversi termini *à quo*, ergo.

Quæres 2. an idem corpus possit simul moveri motibus contrarijs?

Resp. quod idem corpus secundùm diversas partes possit moveri motibus contrarijs, ut si quis manum dexteram levet sursum, & sinistram deorsum. Potest etiam idem corpus moveri motibus contrarijs, si ad unum moveatur perse, & ad alterum per accidens, ut v. g. nauta in navi existens potest ambulare sursum, & navis per remigantes potest trahi deorsum, in quo casu etiam nauta per accidens moveretur deorsum. Denique idem corpus potest moveri motibus contrarijs per accidens sibi convenientibus, sicut Corpus Christi in Eucharistia per accidens ratione diversarum specierum consecratarum, in uno altari elevatur sursum, & in altero deorsum. Et hæc de quinto Libro dicta sufficiant.

LIBER

LIBER SEXTVS PHYSICORUM.

De Continuo ejusque partibus, item de inceptione & desitione rerum, nec non de Maximo & Minimo.

QUÆSTIO XVIII.

De Compositione Continui.

ARTICVLVS I.

An Continuum componatur ex indivisibilibus, an verò ex partibus?

NOtandum quod continuum nil sit aliud quàm id cujus partes copulantur aliquo termino communi, id est, cujus partes copulantur aliquo indivisibili, quòd ita est terminus unius partis, ut etiam sit initium alterius partis, ita tamen ut utramque partem simul jungat & copulet. Et hoc Continuum in Logica dixi esse duplex, unum permanens, & alterum successivum, continuum permanens est triplex scilicet linea (quæ copulatur punctis) superficies (quæ copulatur lineis) & corpus (cujus partes copulantur superficiebus) prout in Logica fusius dixi.

Aliud est Continuum successivum, quod etiam est duplex scil. motus & tempus; motus dividitur in partes priores & posteriores acquisitionis termini *ad quem*, & hæ partes copulantur per indivisibile *mutatum esse*, hoc est, mutatum esse est indivisibile in prius & posterius. Tempus autem dividitur in partes mensurantes partes priores & posteriores ipsius motûs, & has partes temporis copulat indivisibile instans, utpote quod est totum simul, & non dividitur in partes priores & posteriores sicut tempus. Ex quo fit quod in continuo non solùm dentur indivisibilia terminativa, quæ terminant ipsum continuum, sed etiam dantur indivisibilia continuativa,

tiva, unde in linea v. g. non solùm datur punctum terminativum lineæ, sed etiam datur punctum continuativum partium lineæ. His præmisis sit.

CONCLUSIO I.

Quamvis in continuo dentur indivisibilia, ipsum tamen continuum non componitur ex solis indivisibilibus, sed etiam ex partibus.

PRob. 1. p. nam duo corpora naturaliter se tangunt, sed non tangunt se nisi secundùm indivisibilia ut v. g. duo quadrata secundùm superficies, & duo globi secundùm puncta, ergo in continuo sunt indivisibilia. min. prob. quia aliàs sequeretur quod naturaliter daretur penetratio dimensionum, & quod duo corpora se se totis tangerent, quod tamen implicat, ergo solùm se tangunt secundùm indivisibilia.

Prob. 2. Pars. omne continuum debet esse quantum, ergo etiam debet habere partes. prob. conseq. quia nullum quantum datur quod non habeat partes, ergo.

Confirm. Extensum non potest constitui per mera inextensa sed continuum est extensum & quantum, indivisibilia autem sunt inextensa, ergo continuum non potest componi ex meris indivisibilibus, sed etiam debet habere partes. Ante secundã conclusionẽ.

Notandum quod continuum habeat duplices partes, quædam enim vocantur aliquotæ seu æquales, designatæ & non communicantes, & sunt illæ quæ aliquoties repetitæ simul sumptæ æquivalent ipsi toti, atque totius divisibilitatem exhauriunt. Aliæ sunt partes proportionales seu Communicantes, quæ scil. includuntur in partibus aliquotis, & cum ijsdem in sua entitate communicant. Et hæ partes dicuntur proportionabiliter componere totum, in quantùm nimirùm includuntur in ipsis partibus aliquotis. hoc suppositio sit.

CONCLVSIO II.

Partes aliquotæ in continuo non sunt infinitæ, bene tamen partes proportionales sunt infinitæ.

PRob. 1. Pars. nam in continuo potest assignari ultima pars aliquota, ut v. g. in linea potest assignari ultimus palmus secundùm

secundùm extensionem, ergo continuum non habet partes aliquotas infinitas. probatur conseq. quia infinitum est id, quod caret termino.

Prob. 2. Pars. Continuum quoad partes suas proportionales quas includit non habet finem, ergo continuum includit partes proportionales infinitas. prob. antec. nam vel illa ultima pars proportionalis in continuo est divisibilis in alias partes, vel non? si est divisibilis in aliàs partes, ergo illa non est ultima pars; si autem non est divisibilis in alias partes, ergo non potest componere continuum, cum continuum non componatur ex indivisibilibus, ergo continuum quoad suas partes proportionales non habet finem.

Arg. 1. contra 1. concluſ. Si Deus aufferret ab uno continuo v. g. linea omnia sua puncta, equidem talis linea adhuc maneret continua, ergo in continuo non sunt necessaria indivisibilia.

Resp. neg. antec. sicut enim, dum tollitur intima unio animæ ad corpus, non manet amplius homo, ita nec etiam maneret linea vel continuum, si ab eo tollerentur omnia indivisibilia, quæ copulant ejus partes. Si autē linea careret puncto terminativo tunc talis linea solùm esset secundùm suam longitudinem finita privativè seu radicaliter, non autem esset finita seu terminata positivè.

Arg. 2. indivisibile additum alteri potest facere majus, ergo etiam continuum potest componi ex meris indivisibilibus.

Resp. quod indivisibile additum alteri possit facere majus secundùm numerum aut multitudinem, non autem secundùm extensionem.

Contra tempus est majus quod terminatur suo instanti, quàm si non esset terminatum suo instanti, ergo indivisibile v. g. instans etiam facit majorem extensionem.

Resp. quod illud instans terminativum non reddat illud tempus longius, cum illud instans in se non habeat extensionem, addit tamen illud instans aliquid tempori, quoad durationis terminationem indivisibilem, ex quo tamen non sequitur quod instans illud faciat illud tempus longius, sed tantùm terminat tempus, & facit plus.

Arg. 3. contra 2. concluſ. ſi in continuo eſſent infinitæ partes proportionales ſequeretur, quod pullex, vel granum frumenti haberet tot partes, ſicut Cælum, ſed hoc eſt falſum, ergo & id unde ſequitur. prob. ſequela. quia non minus unum granum frumenti includeret infinitas partes proportionales quàm ipſum Cælum, ergo.

Reſp. quod majoritas vel minoritas ipſius continui nõ ſit deſummenda ex partibus proportionalibus, ſed ex partibus aliquotis, unde quia Cælum habet plures partes aliquotas quàm granum frumenti vel pullex, ideo Cælum eſt majus pullic & grano frumenti.

Reſp. 2. quod ſi daretur infinitum, tunc unum infinitum eſſet altero majus non quidem formaliter, & in ratione infiniti (cum in utroque non poſſet perveniri ad terminum) ſed materialiter. Vnde ſi darentur infiniti homines etiam darentur infiniti digiti, & capilli, qui utique capilli & digiti plures eſſent quàm homines.

Arg. 4. ſi darentur infinitæ partes proportionales in continuo ſequeretur quod detur infinitum in actu, ſed hoc eſt falſum & contra mea præcedentia dicta, ergo & concluſio falſa eſt.

Reſp. neg. ſequelam, adhoc enim ut daretur infinitum in actu, deberent hæ partes habere propriam exiſtentiam, vel ſaltem poſſe habere ſimul propriam exiſtentiam (ſicut partes aliquotæ poſſunt ſimul habere propriam exiſtentiam) modò autem partes proportionales exiſtunt exiſtentiâ totius, nec habent potentiam ut poſſint ſimul exiſtere exiſtentiâ propriâ, quia ſic diſſolveretur unio omnium partium, & conſequenter deſtrueretur tota eſſentia continui, quod implicat. At nunc agendum eſt de inceptione & deſitione rerum, unde antequam de hoc aliquid dicam.

Notandum, quod duobus modis poſſit aliquid incipere & deſinere. primò per inſtans intrinſecum; 2. per inſtans extrinſecum: Et quidem illud dicitur incipere per inſtans intrinſecum, quod in tali inſtanti primum ſuum eſſe accipit, quod immediatè antea (hoc eſt in parte temporis antecedente illud inſtans) non habebat. illud autem dicitur deſinere per inſtans intrinſecum, quod in illo ultimo inſtanti habet poſtremò ſuum eſſe, ita ut immediatè

mediatè post illud instans non amplius sit habiturum suum esse. Ac proinde id, quod incipit per instans intrinsecum, dicitur alijs terminis incipere per primum sui esse, quia nimirum de illo verum est dicere in illo instanti, nunc primò res illa est, & immediatè antea non erat. Et similiter id, quod desinit per instans intrinsecum dicitur sub alijs terminis, desinere per ultimum sui esse, quia nimirum de illo verum est dicere, nunc res est, & immediatè post non erit.

Econtra autem id dicitur incipere per instans extrinsecum, quod in eo instanti nondum habet suum esse, sed immediatè postea, id est in parte temporis immediatè sequenti, suum esse habebit. illud verò dicitur desinere per instans extrinsecum, quod in illo jam non habet suum esse, sed immediatè antea habebat. Ac proinde etiam id quod incipit per instans extrinsecum dicitur incipere per ultimum sui non esse, quia nimirum de eo verum est dicere in tali instanti, nunc ultimò res illa non est, sed immediatè post habebit esse. Et similiter id quod desinit per instans extrinsecum dicitur desinere per primum sui non esse, eo quod de eo verum sit dicere in tali instanti, nunc primò res illa non est, & immediatè antea fuit. hoc supposito.

Quæres primò, quomodo incipiant res successivæ, motus scilicet & tempus?

Resp. quod incipiant extrinsecè per ultimum sui non esse, & desinant extrinsecè per primum sui non esse.

Ratio est, quia motus & tempus non incipiunt & desinunt intrinsecè, ergo extrinsecè, conseq. pat. antec. autem prob. quia illa non possunt incipere & desinere intrinsecè, quæ non habent totum suum esse simul in instanti, sed motus & tempus non habent totum suum esse simul in instanti, quia sunt successiva, habentque partem post partem, ergo.

Confir. quia in instanti non est successio, nec prius aut posterius, quia est duratio tota simul, sed motus & tempus habent prius & posterius, ergo motus & tempus nequeunt incipere & desinere intrinsecè. Unde de motu verum est dicere dum incipit extrinsecè, nunc in hoc instanti non est motus (cum scil. in tali instanti nec

dum detur prius & posterius) sed immediatè post erit, in parte scil. statim secuturâ.

Ex hoc sequitur quod res permanentes, quæ incipiunt, & desinunt per motum ut calor, quantitas &c. Si spectentur in fieri, incipiant & desinant sicut motus; si autem illæ res considerentur in facto esse, & sub gradu determinato & in ordine ad certam partem subjecti, sic incipiunt per primum sui esse, & desinunt per ultimum sui esse.

Colliges secundò, quòd indivisibilia rerum successivarum ut mutata esse in motu & instantia in tempore incipiant per primum sui esse, & desinant per ultimum sui esse.

Ratio est, quia indivisibilia illa non possuut existere seu durare in tempore, cum nullam habeant extensionem, sed secundùm se tota in instanti existant, ergo non potest de ijs verificari quod erunt, vel fuerunt in tempore, sed solùm quod sint in instanti, & in tempore antecedenti non fuerint, vel quod sint in instanti, & in tempore subsequenti non erunt, adeoque incipiunt per primum sui esse, dicendo quod nunc sint, & immediatè antea non fuerint, & desinunt per ultimum sui esse dicendo, quod nunc sint, & immediatè post non erunt.

Quæres secundò: quomodo incipiant & desinant res permanentes, & substantiales?

Resp. quod substantiæ sive producuntur per creationem, sicut producuntur angeli, & anima rationalis, sive producantur per generationem ut formæ brutorum, & aliarum rerum sublunarium incipiant per primum sui esse.

Ratio est, quia omnes illæ substantiæ habent totum suum esse simul in instanti, ita ut sit de eis verum dicere, nunc sunt & immediatè antea non fueruut, ergo omnes illæ res incipiunt per primum sui esse.

Porrò substantiæ illæ corporeæ sive corrumpantur, sive annihilentur, ad productionem alterius substantiæ incipientis per primum sui esse, connaturaliter loquendo desinunt per primum sui non esse seu extrinsecè.

Et ratio est, quia aliâs materia prima vel esset sine formâ, vel simul

simul esset sub duabus formis totalibus, cum tamen utrumque sit falsum & impossibile, ut supra ostendi.

QUÆSTIO XIX.

De Maximo & Minimo.

ARTICULUS I.

Utrum tam viventia quàm non viventia habeant terminum suæ magnitudinis, ita ut sub majori magnitudine connaturaliter esse non possint?

NOtandùm hîc, quod duplex sit terminus tam parvitatis quam magnitudinis, unus intrinsecus, & alter extrinsecus, terminus magnitudinis intrinsecus est ille sub quo res potest esse, ita tamen ut sub majori esse non possit, terminus autem extrinsecus magnitudinis est, sub quo res esse nequit, ita tamen ut possit esse sub minori, terminus intrinsecus magnitudinis solet vocari à Philosophis, minimum *quod non*. Similiter terminus intrinsecus parvitatis est illa quantitas vel magnitudo sub quâ res esse potest, ita tamen ut sub minori esse nequeat. Et hic terminus vocatur minimum *quod sic*. Terminus extrinsecus parvitatis est illa quantitas sub quâ res naturaliter loquendò conservari non potest, ita tamen ut sub maj. quantitate possit conservari, & hic terminus vocatur à Philosophis *maximum quod sic*, quia nimirum est maxima quantitas inter minimas, sub quibûs talis res conservari non potest, hoc præmisso sit.

CONCLUSIO I.

Viventia habent terminum intrinsecum suæ magnitudinis.

PRob. quia viventia augentur & crescunt vi caloris innati convertentis alimentum in propriam substantiam viventis, qui calor naturalis tandem agendo in alimentum repatitur & successivè ita debilitatur, ut plus de substantia aliti, quàm de substantia alimenti consummat, ergo iste calor deveniet ad aliquem terminum magnitudinis quem transgredi nequeat.

Prob. secundò: omnia viventia habent formam certam & finitam, ergo etiam quantitatem finitam, quia quantitas, quæ est accidens, debet proportionari substantiæ finitæ in quâ recipitur.

CONCLUSIO II.

Non viventia habent terminum intrinsecum magnitudinis, possunt tamen augeri per juxta positionem ab extrinseco.

PRob. 1. p. quia etiam non viventia habent formam & substantiam certam ac finitam, ergo etiam habent accidentia finita, & consequenter etiam quantitatem seu magnitudinem finitam.

Prob. 2. p. quia ignis v. g. augeri potest semper & semper per juxta positionem ligni combustibilis, ergo non viventia ab extrinseco per solam juxta positionem augeri possunt.

Arg. 1. contra 1. concluſ. si homo maximus superius in capite mordeatur à serpente, tunc superior pars Capitis læsi intumescet, ergo crescet, ergo talis homo maximus adhuc potest crescere.

Resp. quod talis homo solùm fiat maior mathematicè, non autem propriè physicè. tunc autem aliquid fit majus mathematicè, quando pars aliqua, corporis illius per rarefactionem occupat majorem locum, absq; hoc quod per nutritionem & augmentationem acquirat uovam partem substantiæ & quantitatis. tunc autem crescit physicè quando per nutritionem & augmentationem novam partem substantiæ & quantitatis acquirit, quòd hic non fieret. Unde homo ille posset quidem nutriri, non autem semper & semper crescere.

Arg. 2. contra eandem. de Crocotillo legitur, quod semper usque ad finem vitæ crescat, ergo saltem Crocotillus non habet terminum suæ magnitudinis.

Resp. quòd hoc, quod de Crocotillo dicitur, sit tantum fabula. Vel si fabula non sit, dicendum est, quod sicut Crocotillus habet terminum vitæ, ita etiam habet terminum suæ magnitudinis.

ARTICULUS II.

Vtrum tam viventia, quàm non viventia habeant terminum intrinsecum suæ parvitatis?

CON-

CONCLUSIO.

Est affirmativa.

PRrob. 1. p. quia corpus organicum ordinatur ad operationes quæ sub quâlibet minima quantitate exerceri non possunt, ut v. g. homo sub quantitate pullicis suas operationes exercere nequit, ergo viventia habent terminum intrinsecũ suæ parvitatis.

Prob. 2. p. si non viventia non haberent certum terminum suæ parvitatis sequitur, quod in formâ receptâ in tali parva materiâ nullam possent exercere operationem, sed hoc est falsum, ergo & id unde sequitur.

Prob. sequela, quia posset v. g. ignis in partes adeo minimas dividi, ut forma ignis in illa nullam amplius actionem calefaciendi exercere posset, ergo.

Ex quo inferes quod forma ignis in tali minima materia non posset diu permanere, sed jam esset in tendentia ad corruptionem.

Arg. 1. Si ponatur minimus ignis, & dividatur in duas partes, tunc quævis pars ignis adhuc erit divisibilis, ergo non viventia non habent terminum intrinsecum suæ parvitatis.

Resp. ex dictis talem ignem quidem adhuc posse dividi, sed non nisi tendendo ad corruptionem, ita nimirum ut forma ignis desinat esse in tali minimâ materia.

Arg. 2. esse divisibile in infinitum convenit quantitati tanquam ejus proprietas, ergo dato quocunq; minimo adhuc potest dividi, & per consequens dabitur minus minimo.

Resp. esse divisibile esse proprietatem quantitatis mathematicæ (inquâ solùm spectatur quantitas secundùm extensionem, abstrahendo ab operatione, quæ convenit formæ sub tali quantitate constitutæ) non autem est proprietas quantitatis prout invenitur in corpore naturali & physico, in hoc enim forma, quæ est radix operationis, posset propter minimam partem suæ materiæ ita debilitari ut agere amplius non possit, prout antea de igne diviso dixi

Arg. 3. animæ animalium imperfectorum v. g. serpentum sunt divisibiles, ergo etiam in quâvis minimâ parte possunt habere suas operationes, & consequenter etiam habent terminũ suæ parvitatis.

Resp.

Resp. quod etiam illa animalia imperfecta in tantum possint conscindi in partes, ut nil operari possint, quia talia animalia operantur per corpus organizatum, adeoque si per talem concisionem destruatur organizatio corporis, etiam destruetur operatio talium animalium imperfectorum. Et hæc de libro 6. dicta sufficiant.

LIBER SEPTIMVS PHYSICORUM.

De conditionibus ad motum requisitis.

QVÆSTIO XX.

De simultate mobilis & moventis.

ARTICULUS I.

An omne quod movetur, ab alio distincto moveatur?

NOtandum hîc non fieri mentionem de motu per accidens, sed de motu per se. nam per accidens aliquid potest moveri â seipso, ut patet in animalibus, ubi anima movet corpus, & ipsa anima rursus movetur ad motum corporis â se moti. Unde hîc solùm quæstio est, an mobile seu passum debeat distingui ab agente seu movente taliter, ut non possit idem planè movere seipsum, sed necessariò debeat ab alio realiter â se distincto moveri.

Notandum 2. quod corpora sint duplicia, aliqua enim sunt organica, quæ partes heterogenias, id est partes, quæ sunt diversæ rationis, habent, sicut homo habet manus, pedes, caput, cor & similia, quæ partes multum inter se differunt.

Aliud est corpus non organicum, quod habet partes homogenias id est partes ejusdem omnino rationis, sicut partes aquæ in puteo sunt ejusdem omninò rationis, nec sunt deputatæ ad distinctum officium. hoc præmisso sit.

CON-

CONCLUSIO

Omne quod movetur; ab alio â se realiter distincto movetur, adeoq; impossibile est quòd idem planè possit se ipsum movere.

NOn volo dicere quod movens debeat esse suppositum distinctum ab ipso passo seu moto. nam cor movet aliàs partes hominis, & tamen cor non est distinctum suppositum. Unde volo solùm, quod aliquo modo movens debeat esse distinctum ab ipso moto seu passo.

Prob. impossibile est quod aliquid possit esse simul in actu & simul in potentia respectu ejusdem, quia non potest aliquid continere actu & simul etiam in potentia, sed si aliquid moveretur â se ipso tunc simul esset in actu & simul esset in potentia respectu ejusdem nimirum respectu sui ipsius ergo idem non potest â se ipso, sedsolùm ab alio realiter â se distincto moveri. mi. prob. quia movens ut movens, est actu, nihil enim movet actu nisi in quantum est actu, ut fert cõmune axioma, id autẽ quod movetur est in potentia ad recipiendum aliquid ab agente, unde cõmuniter solet dici, quod movens agat & mobile patiatur, ergo si aliquid moveretur â seipso, tunc simnl esset in actu & simul esset in potentia, in actu quidem quia seipsum moveret, in potentia autem quia moveretur â se ipso.

Confirm. quia si aliquid moveret se ipsum, tunc realiter dependeret â se ipso, sed idem non potest realiter dependere à se ipso ego idem non potest movere se ipsum. min. patet & maj. similiter constat, quia omne mobile realiter dependet â movente, cum realiter aliquid recipiat ab agente seu movente ego.

Arg. 1. Viventia ad differentiam non viventium movent se ipsa ergo saltem viventia non moventur ab alio realiter distincto. Prob. antec. quia hæc est differentia inter viventia & non viventia quod non viventia moveantur ab alio, viventia autem non moveantur ab alio.

Resp. quod tam viventia quàm non viventia moveantur â Domino Deo, qui est movens extrinsecum. Est tamen hæc differentia inter illa, quod dum Deus in viventibus unam partem mo-

vet, tunc illa pars movet aliam partem, & hæc rursus aliam ut v. g. Deus movet animam hominis, anima movet cor, cor movet alias partes hominis & ita consequenter. In non viventibus autem non dantur istæ diversæ partes, quarum una moveat aliam, unde in forma dist. ant. viventia movent seipsa mediantibus partibus, quarum una pars â Deo mota movet aliam partem conced. ant. movent se ipsa per se primo & independenter â Deo neg. ant. & ita dist. conseq.

Dices: sed etiam una pars viventis nequit movere aliam partem ego solutio nulla. prob. min. subsumpta, quia secundùm Aristotelem nullum continuum movet aliam partem sed vivens v. g. homo est aliquid continuum ergo in vivente v. g. homine non est una pars movens & alia mota.

Resp. dist. maj. secundum Aristotelem nullum continuum homogenium movet aliam partem conced. maj. nullum continuum heterogeniũ neg. maj. sed vivens est aliquod continuum heteroganum conced. min. vivens est aliquid continuum homogenium neg. min. & conseq.

Arg. 2. voluntas & intellectus in prima sui volitione & intellectione movẽtur â se ipsis ergo datur aliquid quod movet se ipsum. Prob. antec. quia voluntas in prima sui volitione producendo actum volitionis agit in se ipsam atq; eandem volitionem in se recipit. Idem dic de intellectu quod primam suam intellectionem.

Resp. quod tam intellectus quam voluntas in prima sui volitione & prima intellectione non moveantur primo & per se â se ipsis, sed moventur â Deo ut authore naturæ. In aliis autem volitionibus movetur voluntas ab objecto proposito ab intellectu in aliis autem intellectionibus movetur intellectus ab objectis vel potius â speciebus objectorum representativis, quia species etiam efficienter concurrunt ad intellectionẽ, ut cõmuniter docent Philosophi.

Arg. 3. multa sunt, quæ se ipsa intendunt, ut v. g. calor stomachi fortior seu intensior est in hyeme quam in æstate. Item aquæ fontium frigidiores sunt in æstate quam in hyeme: sed hæc intensio non provenit ab alio quâm ab ipso calore stomachi, & ab ipsa aquâ fontali ergo aqua & stomachus movent se ipsa ad majorem calorem vel frigiditatem.

Resp.

Resp. calorem stomachi in hyeme solùm per accidens esse fortiorem quam in æstate, quia in hyeme frigus circumstans constringit poros pellis, & impedit ne calor interior animalis per extremas partes corporis diffundatur. At vero in æstate cum non impediat frigus circumstans, quo minus calor stomachi dilabatur in partes exteriores corporis, hinc dictus calor stomachi in æstate non est ita fortis seu vigorosus ac est in hyeme. virtº enim unita fortior, dispersa autem remissior ut habet commune proloquium.

Idem dicendum de aquis fontium, nam tunc frigus circumstans superficiem aquæ putealis impedit frigus ne exeat, & detinetur aqua, ne vapores adeo frigidos â se spiret, in hyeme ac in æstate quia autem in æstate non adest illud frigus circumstans superficiem aquæ putealis hinc in æstate aquæ puteales sunt frigidiores.

ARTICVLVS II.

An gravia & levia moveantur â se ipsis?

NOtandum hic, quod principium per accidens ipsius motus in non viventibus sit id quod removet impediens seu prohibens motum, sicut removens tabulam in qua est lapis positus est causa per accidens motus lapidis deorsum ad suum centrum. Quæstio ergo hic est, quænam sit causa per se motus gravium & levium. Tendit autē grave ex natura sua deorsum propter materiæ gravitatem, leve autem propter levitatem materiæ tendit sursum. hic præmissis sit.

CONCLUSIO.

Gravia & levia non moventer per se â se ipsis, sed principium per se motus gravium & levium est ipsum generans. Ita Aristot. 8. Phys. textu. 33. & S. Th. ibid.

PRob. 1. Pars. in gravi & levi non viventi sunt omnes partes homogeniæ & ejusdem rationis, nec assignari potest alia pars movens & alia mota, ego gravia & levia non moventur per se à se ipsis.

Prob. 2. Pars. Generans dat gravibus & levibus esse in loco suo connaturali, ergo etiam motus, quo moventur ad locum sibi

connaturalem, erit â generante. conseq.pat.qui enim dat formam dat etiam cætera necessaria, quibus talis forma acquiri possit, ergo si generans dat gravib' & levib' esse in suo loco connaturali, dabit illis etiam motum, quo talem locum acquirant. ant. autem prob. generans dat genito non solùm formam, sed etiam ea quæ naturaliter formam per modum proprietatis consequuntur & quidquid spectat ad connaturalem dispositionem geniti, sed locus connaturalis graviũ & levium pertinet per modum propriæ passionis ad connaturalem eorum dispositionem, ita ut ipsis debeatur in primo instanti generationis ergo.

Arg. 1. generans subinde non est, quando gravia & levia moventur ad sua loca naturalia, ergo ille motus non debet adscribi generanti.

Resp. dist. ant. generans subinde non est formaliter in se ipso conceditur antecedens non est virtualiter seu in virtute â se relicta neg. ant. & cons. unde sicut lapis quamdiu manet in eo virtus projicientis movetur sursum etiamsi projiciens moreretur sub motu talis lapidis, ita generans semper adest in sua virtute id est in forma talibus rebus communicata, quando gravia & levia moventur ad suum locum connaturalem.

Arg. 2. non minus naturale est aquæ calidæ, quod se reducat ad pristinam frigiditatem, quam quod moveatur deorsum, sed reductio ad pristinam frigiditatem non tribuitur genetanti aquam, ergo nec motus deorsum.

Resp. neg. min. nam quod aqua se reducat ad pristinam frigiditatem provenit à forma aquæ recepta â generante, quæ forma est de se determinata & sufficienter in actu constituta, ut ablato impedimento sine nova actione generantis redeat pristina frigiditas aquæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum agens naturale possit agere in distans absq; hoc quod prius agat in corpus intermedium?

CON-

CONCLUSIO.

Agens naturaliter loquendo non potest agere in distans quin prius agat in propinquum, adeoq; agens naturale debet esse immediatum passo vel immediatione virtutis & suppositi simul vel saltem immediatione virtutis.

DIxi in conclusione naturaliter loquendo, quia supernaturaliter & virtute divina fieri potest, quod agens naturale seu corporeum agat in corpus remotum absque hoc quod agat in corpus propinquum.

Prob. Concl. quia quævis res naturalis habet certam sphæram suæ activitatis, intra quam possit agere, sed si agens naturale posset agere in distans, tunc nō haberet certam sphæram suæ activitatis, ergo agens naturale non potest agere indistans quin prius agat in corpus propinquum. Prob.min. quia si agens naturale posset agere in distans tunc non esset aliquid, quod limitaret activitatē & ipsius virtutem activam, ergo si posset agere in distans, non haberet certam sphæram suæ activitatis.

Arg. 1. magnes attrahit ad se ferrum, lupus causat raucedinem in homine, quem aspicit, basiliscus ex solo aspectu oculorum occidit hominem.

Præterea in lebete ad ignem posito aquæ superiores calidiores sunt quam partes inferiores, sed hæc omnia multum distant ab ipso agente, nec agens aliquid producit in corpore propinquo, ergo omnia illa assignata agunt in distans.

Resp. quod magnes priùs producat in aëre aliquam qualitatem, per quam attrahit ferrum, non tamen attrahit aërem, quia in aëre non est talis sympathia & convenientia cum magnete ut attrahatur, talis tamen dispositio est in ferro. Similiter lupus causat in homine ipsum aspiciente raucedinem per aliquam qualitatem in aëre productam.

Pariformiter etiam Basiliscus prius inficit aërem, quo aëre semel infecto etiam occiditur homo.

Cæterum quod in olla seu lebete frigidiores sint aquæ inferiores, quam superiores, cū tamen inferiores sint proximiores igni,

inde provenit, quia in principio calefactionis detinetur calor infundo lebetis, nec potest ob resistentiam aquæ frigidæ superioris tam cito ascendere sursum, at vero devictâ resistentiâ per nimiam calefactionem ascendunt deinde aquę calidiores cum suis exhalationibus ut pote leviores ad partem superiorem lebetis ècontra autem descendunt & partes frigidiores tanquam graviores prope fundum lebetis, & ita fit, quod fundum fit magis frigidum seu temperatum quam sit superior pars lebetis.

Arg. 2. sol agit in hæc inferiora & tamen non agit in corpora intermedia cælestia, puta in venerem mercurium & lunam, ergo sol naturaliter agit in distans. Probatur minor quia sol non calefacit lunam & venerem, sicut ista inferiora. ergo.

Resp. quod solagat in cœlos intermedios, non tamen producat eundem effectum quem producit in his inferioribus, sed producit in eis effectum diversum. unde agens naturale agit in subjectum secundum capacitatem subjecti, sicut idem sol qui per vitrum se se immittit liquefacit ceram, & indurat lutum, quia cera est capax liquefactionis & lutum indurationis. Unde sol in corporibus cælestibus intermedijs producit lucem non tamen calorem, quia illa corpora cælestia intermedia caloris capacia non sunt. Ex quo patet, cur sol in his inferioribus producat calorem, quia nimirum hæc inferiora sunt capacia caloris.

LIBER

LIBER OCTAVVS ET ULTIMUS PHYSICORUM.

De mundo seu universo.

Ea quæ in libro octavo Physicorum traduntur, tradi etiam solent in libro de mundo, quibus etiam aliqua de cælo annectam. Vnde sit.

QVÆSTIO XXI.

De Cælo & Mundo.

ARTICULUS I.

Utrum hic mundus fuerit ab æterno & an in æternum sit duraturus?

CONCLVSIO. I.

Mundus non fuit ab aterno sed in tempore productus, est contra Aristotelem.

PRob. tamen primo ex capite primo geneſis, ubi dicitur, in principio creavit Deus cælum & terram.

Prob. ſecundo ratione, ſi mundus fuiſſet ab æterno â Deo productus tunc ſequeretur, quod aliqua creatura eſſet coæterna Deo, imo colligeretur quod Deus quaſi ex neceſſitate & non liberè mundum creaverit, ſed hoc eſt falſum, ergo & id vnde ſequitur.

CONCLVSIO II.

Mundus prout de facto est, posset quidem per potentiam Dei durare in æternum, de facto tamen in æternum â parte post non durabit sine aliqua mutatione in ipso facta.

PRob. 1. p. quia ea quæ in mundo ſunt vel ſunt res incorruptibiles, & hæc ut patet de ſe, poſſunt ſemper durare: vel ſũt res corruptibiles, & tunc materia (quæ licèt ſit radix corruptionis) etiã eſt incor-

incorruptibilis, quia semper petit sub aliqua forma existere, ergo mundus prout defacto est potest durare in æternum.

Rrob. 2. p. quia post diem judicij (ubi completus erit numerus electorum) cessabit motus cælorum & consequenter etiam cessabunt generationes hominum, & generationes brutorũ, quæ propter hominem sustentandum fiunt. Unde dicitur Isaiæ sexagesimo sexto non occidet ultra sol neq; luna minuetur. Deinde etiam elementa igne illo, quo universum hoc Deus comburet, purgabuntur, cæli etiam novâ perfectione donabuntur, sol & luna lucidiora fient juxta illud Isaiæ trigesimo, Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septemplicior sicut lux septem dierum ergo defacto mundus non durabit in æternũ, quin in eodem fiat aliqua mutatio.

Porro ex omnibus mixtis soli homines remanebunt propter imortalitatem animæ rationalis, ratione cujus etiam omnes in extremo die judicij resuscitabuntur, resurgentq; alij quidem in gloriã alij autem in gehennam juxta merita vel demerita uniuscujusque.

Arg. 1. contra 1. ad causam perfectam & completam statim sequitur actio & effectus, sed Deus est causa completa & perfecta, ergo Deus statim producit mundum ab æterno.

Resp. dist. mai. causa completa & perfecta statim producit effectum, si fuerit causa necessaria seu naturalis conced. mai. si fuerit libera neg. mai. sed Deus est causa completa necessaria neg. min. liberè operans ubi & quando vult conced. min. & neg. consequ. Nec obstat quod DEUS ab æterno sit summum bonum, adeoque statim videatur debuisse se communicare creaturis per productionem mundi: non inquam obstat. quia ad hoc ut Deus sit summum bonum sufficit quod sit sumè communicativus ad intra producendo filium & spirando Spiritum S. Ad extra autem non fuit statim opus, ut produceret hunc mundum visibilem, sed sufficit quod potuerit hunc mundum producere & ita potuerit sese comunicare creaturis.

Arg. 2. Deus fuit ab æterno ergo habuit domicilium, sed domicilium Dei est cælum, quia cælum vocatur sedes Dei, ergo saltem cælum fuit ab æterno.

Resp. quod cum Deus sit immensus, ita ut infinitos mundos possit implere, hinc non eget aliquo domicilio, unde nec est in cælo

lo tanquam in suo adæquato loco, cum Deus ubiq; sit per essentiam potentiam & præsentiam, imo etiam sit in inferno juxta illud Psalmistæ, si ascendero tu illic es, si descendero in infernũ ades, dicitur tamen cælũ sedes Dei, quia Deus ibi se se beatis per visionẽ beatificam communicat, & quia ibi specialiter tam ab angelis quam ab alijs colitur. unde Deus tunc fuit in se seu in sua essentia nec eguit aliquo extrinseco.

Arg. 3. si mundus fuit creatus in tempore, tunc tempus illud, vel fuit hyems, vel æstas, vel autumnus, aut ver; non hyems, tunc enim est summa imperfectio mundi intra sphæram generabilium mixtorum: nec æstas, vel ver, quia ab initio mundi jam omnes fructus fuerunt maturi, nec denique autumnus, quia tunc plantæ ex defectu foliorum vergunt in interitum, ergo mundus fuit ab æterno.

Resp. aliqui quod mundus incæperit autumnali tempore, die octavâ Septembris, eo scil. die quo nata est *Beatissima Virgo Maria*, sole existente in Virgine.

Resp. tamen secundò cum alijs SS. Patribus mundum verno tempore incæpisse, quando scil. ver erat in nostro hemispherio, mense Martio, die Dominicâ, quæ est 25. dies Martij, quo die etiam Israelitæ ex Ægypto exierunt; & præterea eodem die Verbum divinum Angelo nunciante conceptum est in *Virgine*, eodemque die post triginta tres annos mortuus fuit Christus; vel ut alij putant, saltem eadem die resurrexit à mortuis, unde canit Ecclesia:

Primo dierum omnium
Quo mundus extat conditus
Vel quo resurgens Conditor.
nos morte victâ liberat.

Stando ergo in hac sententia, dicendum est ad id quod in contrarium in argumento allatum est, quod in multis partibus arbores in Martio fructificent, imò in multis locis bis fructificant, semel nimirum in vere, & semel in Autumno. Esto etiam sufficiat dicere ad objectionem Contrariorum, satis esse, quod Deus produxe-

rit arbores cum virtute fructificandi. Antequam ad alium Articulum perveniam.

Notandum quod res mundi sint in duplici differentiâ, aliquæ enim sunt permanentes, quæ nimirum habent totum suum esse simul, aliæ autem sunt res successivæ, quarum essentia consistit in hoc, quod habeant partes post partes, ita ut in eis detur pars prior & pars posterior futura.

ARTICVLVS II.

Utrum mundus de potentia Dei absol. potuerit esse ab æterno quoad res permanentes?

CONCLVSIO

Est affirmativa. Ita S. Th. 1, p. q. 46. a. 1. ad 1.

PRobatur, quia quod mundus possit esse ab æterno quoad res permanentes non est repugnantia aliqua assignabilis, ergo de potentia DEI absolutâ quoad res permanentes potuit esse ab æterno. Probatur antecedens. Nam in primis non est repugnantia ex parte DEI producentis, quia DEUS semper fuit infinitæ virtutis, & operatur instantaneè, adeoque sufficit, quod præcedat prioritate naturæ suum effectuum: nec est repugnantia ex parte rei productæ, quia creatura non accepit esse possibile in tempore, sed fuit ab æterno possibilis. Et licet creaturæ non possint habere æternitatem essentialem, quæ est duratio carens principio & fine tam actu quam aptitudine, possunt tamen habere æternitatem accidentalem & defectibilem, quæ scil. actu quidem caret principio non tamē aptitudine. Nec est repugnantia ex parte creationis, quia hæc est instantanea sine ullo præsuppositō subjecto, sed etsi mundus esset ab æterno posset tamen intelligi fuisse factus sine ullo subjecto præsuppositō. Et denique nec est repuguantia ex parte modi producendi liberè, licèt enim agens creatum & deficiens egeat tempore ad deliberandum ut liberè aliquid producat, id tamen non requiritur in agente infinitè perfecto & omni

scio

scio, qui tali tempore ad deliberandum seu agendum liberè non eget, ergo nulla est repugnantia assignabilis quoad hoc quod mundus non potuerit esse ab æterno quoad res permanentes.

Arg. 1. SS. PP. dicunt quod æternitas solùm competat Deo, ergo non potuit competere creaturæ, & consequenter res permanens non potuit esse ab æterno.

Resp. SS. Patres solùm intelligendos esse de æternitate essentiali, non participatâ; unde æternitas essentialis sine dependentia ab alio, soli Deo convenit. Si autem mundus esset ab æterno solùm haberet æternitatem participatam & dependenter à Deo sibi communicatam, ita aut licet de facto & actu non habuisset suæ durationis initium, habuisset tamen initium suæ durationis saltem aptitudine, Deus autem ita est æternus, ut nec aptitudinem habeat ad non essendum ab æterno.

Arg. 2. si mundus potuisset esse ab æterno sequeretur quod non fuisset creatura, sed hoc est falsum, ergo & antec. prob. sequela maj. quia creatio est productio totius entis ex nihilo, sed si mundus fuisset ab æterno, tunc nunquam fuisset nihil, ergo mundus non fuisset creatura.

Resp. quod *ly ex* in definitione creationis posita non habeat hunc sensum quasi res, quæ creatur, debeat prius in aliquâ reali duratione esse *nihil*, sed solùm significat, quod creatio (ad differentiam generationis) non debeat præsupponere aliquod subjectum ex quo fiat, si mundus autem fuisset ab æterno, tunc etiam non præsupponeret aliquod subjectum, ex quo fuisset factus, & consequenter fuisset adhuc creatus.

Ex quo patet quod *ly ex* non denotet successionem seu prioritatem & posterioritatem realem inter esse & non esse creaturæ, sed ad summum importat successionem rationis vel naturæ, quæ etiam in tali casu daretur.

Arg. 3. si Deus produxisset mundum ab æterno, sequitur quòd mundo non potuisset assignari aliquod principium, sed hoc non est dicendum, quia soli Deo non potest assignari principium, ergo.

Resp. dist. sequel. non posset mundo assignari principium &

causa efficiens sui esse neg. sequel. non posset ei assignari principium in sua duratione actuali solùm conc. seq. Deo autem non potest assignari aliquod principium causans ejus esse, & Deus ita est ab æterno, ut nec habeat potentiam ad non essendum ab æterno, ut dictum est.

ARTICVLVS III.

Utrum Mundus quoad res successivas nimirùm quoad motum & tempus potuerit esse ab æterno?

CONCLVSIO.

Mundus quoad entia successiva, motum scil. & tempus non potuit etiam per potentiam Dei absolutam esse ab æterno. Ita colligitur & S. Th. opusc. 27. prope medium.

PRob. motus & tempus *ex natura sua* petunt habere partem priorem & posteriorem in suâ duratione, ita ut una pars prius duret quàm altera, sed prioritas & posterioritas non compatiuntur in æternitate, ergo motus & tempus non potuerunt esse ab æterno. Maj. pat. ex differentia inter res permanentes & successivas, illæ enim habent omnes suas partes *essentiales* simul, istæ autem id est res successivæ cum successione. Min. similiter constat, quia æternitas est tota *simul*, & est unium *nunc* indivisibile.

Confir. motus nequit fieri in instanti, cum debeat habere partes priores & posteriores, sed æternitas est unicum *nunc*, ergo in eo nequit esse motus ab æterno.

Confir. secundo, ens successivum scil. motus & tempus non possunt habere totum suum esse *simul*, sed necessariò debent habere partes, post partes, cum hæc sit eorum natura, ergo motus & tempus non possunt esse ab æterno. Prob. conseq. quia quando aliquod totum est in æternitate, tunc etiam ejus partes debent esse in æternitate, & consequenter simul secundum durationem, sed omnes partes temporis non possunt esse simul in æternitate quantùm ad

suum

ſuum eſſe reale naturæ ſuæ relictum, ergo motus & tempus non poſſunt eſſe ab æterno.

Prob. concluſio ſecundò : de ratione temporis & motus eſt, quod incipiant extrinſecè, ita ut ſit de eis verum dicere, nunc non eſt motus, & immediatè poſt erit, ſed ſi motus & tempus fuiſſent ab æterno, tunc non fuiſſet verum dicere, *nunc* non eſt motus, vel *nunc* non eſt tempus, & immediatè poſt erit, ergo motus & tempus non potuerunt eſſe ab æterno.

Nec obſtat S. Thomas qui 1. p. q. 46. a. 2. ſolvit argumenta contrariorum, quæ contra æternitatem mundi objici ſolent, quia S. Thomas ſolùm vult mundũ abſolutè & quoad ſuam ſubſtantiam ſeu quoad res permanentes potuiſſe eſſe ab æterno, non autem vult quod potuiſſet eſſe ab æterno ſecundùm motũ, adeoq; ſicut mundus durabit in æternum non tamen ſecundùm illum ſtatum in quo jam eſt, ita mundus ab æterno potuit fieri ſecundum ſe, ſed non ſecundùm ſtatum motûs, in quo ab Ariſt. recedit, qui hoc aliquando ſenſerat.

Arguitur primò, potuit ab æterno produci ignis applicatus ſtupæ, ſed in tali caſu combureretur ſtupa, ergo poſſet dari generatio, & conſequenter etiam motus ab æterno.

Reſpondetur neg: min: quia in tali caſu combuſtio ſtupæ ab æterno non potuiſſet eſſe, ex eo, quia in tali caſu non potuiſſet verificari eſſentia ipſius motûs, ſcilicet nunc non eſt motus, & immediatè poſt erit. Prout in concluſionis probatione dictum eſt.

Dices : generatio eſt inſtantanea, ergo potuit generatio ignis eſſe ab æterno.

Reſp. quod licèt generatio ſit inſtantanea, alteratio tamen præcedens ad corruptionem ſtupæ non eſt inſtantanea, ſed ſucceſſiva, & ideo ab æterno non potuiſſet eſſe.

Dices : ſi ſol ab æterno fuiſſet productus, tunc ab æterno illuminaſſet, ergo ſimiliter ſi ignis ab æterno fuiſſet productus, tunc generaſſet ex ſtupa alium ignem.

¥. neg. cons. quia illuminatio solis est instantanea. generatio autē ignis ex stupa involuit præcedentem alterationem,& motum. unde licet actio instantanea potuerit esse ab æterno, non tamen potuit esse ab æterno alteratio prærequisita ad generationem ignis ex stupa.

Arg. 2. potuit Deus creare Cælum cum motu circulari, quia hic motus caret omni principio, eò quod circularis sit, ergo saltem non repugnat motum circularem esse ab æterno.

Resp. quòd motus circularis careat quidem omni principio ex parte mobilis seu magnitudinis in quâ fit,non tamen caret omni principio ex parte durationis,quia oportet partem motûs transire, & partem succedere, sicque debet quævis pars finitè durare, si enim duraret infinitè, sic inquam pro tunc non esset motus, nec successio, finita autem duratio repugnat rei æternæ, quæ producitur sine durationis initio.

Dices: si primum mobile fuisset ab æterno productum, vel tunc, fuisset motum vel non? si primum, habetur intentum, si verò dicatur secundùm, ergo quievisset quiete privativâ, & consequenter habuisset potentiam ad motum circularem, ergo saltem hic motus circularis potuisset esse ab æterno.

Resp. quod primum mobile in tali casu quievisset quiete negativâ, quia licet aptitudo ad motum conveniat cælo ex æternitate, non tamen ei competit ut ex æternitate in actum reduci valeat, idque non ex defectu potentiæ *activæ*, sed ex repugnantia, quam æternitas motus involuit,ex eo scil. quia æternitas prius & posterius (quæ sunt de ratione motûs) non compatitur, nec motus in uno *nunc* seu instanti, quale est æternitas, fieri potest.

Quæres 1.an Aristoteles bene devenerit ex motu in cognitionem unius primi motoris.

Resp. affirm. cum enim in causis moventibns & mobilibus subordinatis non possit procedi in infinitum, ergo tandem deveniendum est ad unum primum motorem qui omnia moveat. dixi autem unum primum motorem, quia si essent duo primi motores tuuc illi duo primi motores essent duæ causæ ejusdem ordinis, & una

una quæque res â quavis illarum penderet,& non penderet, quod tamen repugnat. Vnde Deus ad extra operans non est trinus sed unus, adeoque tantùm est unus primus motor.

Quæres 2. an Deus unicâ die condiderit mundum?

Resp. quòd condiderit mundum sex diebus, ut dicitur Gen. 1. Vnde etiam septima dies vocata est dies Sabbati, id est, requiei. Ex quo inferes opus creationis universi, quod consistit in productione Cæli & Terræ (cætera enim ad opus distinctionis & ornatûs pertinent) contigisse die Dominicâ, cum ab ea die usq; ad diem Sabbat: numerentur septem dies, & Deus die septimâ dicatur quievisse ab opere suo quod patrarat.

Dices: Ecclesiastici 18. dicitur. qui vivit in æternum, creavit omnia *simul*, ergo unico instanti & non sex diebus mundus fuit productus.

Resp. cum S. Th. 1. p. q. 74. a 2. ad 2. Deum revera creasse omnia simul quantùm ad rerum substantiam quodamodo informem: Sed quantùm ad formationem quæ facta est per distinctionem & ornatum, non simul. Vnde signanter utitur verbo creationis, ita expresè S. Th. loco citato.

Resp. 2. quod ly *simul* ibidem idem valeat ac pariter, ita ut sensus sit: Deus tam bene unum quàm alterum creavit, & hæc solutio etiam est bona fundata in S. Scripturâ in quâ dum dicitur, simul insipiens & stultus peribunt, ly simul idem valet ac pariter seu æquè.

Quæres 3. utrum Cælum sit aliquid simplex, vel an sit aliquid compositum?

Resp. quod Cælum sit aliquod compositum physicum constans ex materia, & formâ. Cujus ratio est, quia Cælum est extensum nostrâ quantitate, oculisque cernitur, quod habeat trinam dimensionem, ergo est corpus physicum compositum, cum quantitas sequatur ad ipsam materiam.

Dices perfectissimum compositum est homo, qui est corruptipilis, ergoècontra cum Cælum sit incorruptibile, non erit aliqnod compositum ex materia & forma.

Resp.

Resp. quod licet homo utpote vivens rationale sit simpliciter perfectior Cælo, est tamen imperfectior Cælo secundùm quid, nam licet materia hominis, item anima rationalis sint incorruptibiles, unio tamen harum partium aliquando dissolvetur, quod provenit ex eo, quia materia illa non est satiata suâ formâ. Cælum autem est perfectius homine secundùm quid, quia nec materia nec forma Cæli, nec unio materiæ & formæ cælestis dissolvetur, eò quòd materia cælestis sit satiata suâ formâ.

Et propter hoc dixi in primo Libro Physicorum quod materia sublumaris, & materia cælestis distinguantur, sintque diversæ rationis, quia ur ibidem dixi materia sublunaris dicit ordinem ad formam amissibiliter informantem, & non satiantem totum appetitum materiæ; ècontra autem materia cælestis dicit ordinem ad formam inamissibiliter informantem, & satiantem totum appetitum materiæ.

Dices: materia cælestis est in potentia ad recipiendam formam corruptibilem, defacto tamen eam non recipit, quia non datur agens tantæ superioris virtutis, ut dispositionem corruptionis introducere possit in Cælo, ergo sicut alia sublunaria sunt corruptibilia, sic etiam Cælum ex natura sua erit corruptibile.

Resp. neg. antec. quia corruptibile & incorruptibile sunt differentiæ oppositæ intrinsecè dividentes corpus de prædicamento substantiæ independenter ab agente extrinseco. forma autem ex se cum sit actus, neq; est amissibilis, neq; inamissibilis, sed hoc provenit ab ipsa materia, adeoq; quod forma sublunaris sit amissibilis provenit ex eo, quia materia sublunaris intrinsecè exigit hanc dispositionem corruptibilitatis, cum sit potentia ad omnes formas, forma autem cæli est incorruptibilis, quia materia cæli intrinsecè solùm exigit dispositiones unius formæ, cum sit potentia ad unum actum, & non ad plures actus, seu formas substantiales habendas.

Ex his inferes quod omnia corruptibilia Logicè solùm conveniant in genere corporis, non autem physicè, unde etiam materia cæle-

cælestis &sublunaris solùm analogicè in ratione corporis conveniunt, nec habent eandem formam corporeitatis, quia forma corporeitatis non est alia à formis, quibus corpora sua distinguuntur.

Quæres 4. Utrum cæli influant in hæc inferiora?

Resp. affirmativè. nam per influxus cælestes plurima arcana in viscéribus terræ elaborantur. Item Luna specialiter dominatur cerebro, & ideo dæmones in plenilunio magis vexant arriptitios, & qui se lunæ exponunt, & capite laborant.

Influit autem cælum in hæc inferiora non solùm per lucem suam, sed etiam per alias qualitates occultas, per quas non solùm influit, in plantas & mineralia, sed etiam in viventia animâ sensitivâ imperfecta, non quidem propriâ virtute (cum animantia utpotè viventia sint cælis non viventibus perfectiora) sed virtute ab intelligentia motrice, vel à causa prima sibi communicata.

Negari etiam non potest cælestes influxus *inclinare* homines in hæc aut illa objecta. Unde illi qui nascuntur sub Jove, sunt alacres propter sanguinem, quem illud sydus abundè comunicat; qui verò sub Marte, sunt habiles ad pugnandum. Amentes verò sæpe vocantur Lunatici, quia luna in ipsorum phantasia mirabiles effectus causat. Similiter ij qui nascuntur sub Venere, inclinati sunt ad res Venereas.

Dixi quòd astra homines inclinent ad similia, adinsinuandũ, quod homo per influxus cælestes non necessitetur ad aliquid faciendum, siquidem adhuc retinet suum liberum arbitrium.

Ex quo etiam fit, quòd licet homo ex astrorum dispositione, sub quâ homo fuit natus, possit aliqua conjecturaliter futura prædicere, non autem potest prædicere futuros rerum eventus omnino certitudinaliter esse futuros; aut necessariò esse sic, vel sic executioni mandandos, quia hoc blasphemum esset & hæreticum, multisque censuris in jure subjacet.

Quæres 5. Quot sint cæli?

Resp. aliqui novem esse cælos seu sphæras cælestes. 1. est cælum Lunæ, 2. Mercurij, 3. Veneris, 4. Solis; 5. Martis; 6. Jovis; 7. Saturni; 8. firmamenti, in quo sunt stellæ fixæ, & dicitur cælum mo-

bile quod secum rapit cælos planetarum. 9. deniq; vocatur cælum Empyreum. Et hæc sententia est multorum Phylosophorum.

Nihilominus aliqui numerant undecim cælos, ita ut primum & infimum cælum sit cælum Lunæ, 2. Mercurij, 3. Veneris, 4. Solis, 5. Martis, 6. Jovis, 7. Saturni, 8. Stellatum seu firmamentum (ita dictum, quod stellas firmiter adhærentes & non errantes contineat(9. aqueum seu Cristallinum, 10. primum mobile, 11. cælum Empyreum, id est, igneum, sic dictum non ab ardore, sed â splendore, & hoc cælum Empyreum est sedes Beatorum, & aula Regia Dei Omnipotentis, in quâ se se specialiter Beatis communicat per visionem beatificam, & ab ijsdem specialiter in æternum laudatur.

Quæres 6. an omnes hi cæli specie differant?

Resp. affir. Ratio hujus est, quia quidquid convenit individuo unius speciei, hoc potest convenire aliis, quæ sunt eiusdem speciei, sed cælo Lunæ v. g. convenit aliquid quod non potest convenire alijs cælis, ergo differunt specie inter se. min. pat. quia cælum Lunæ petit ex naturâ sua esse sub cælo solis, & cælum solis petit esse, quasi centrum cælorum omnium, ergo.

Quæres 7. quot sint signa cælestia?

Resp. 12. quæ his versibus continentur.

Est Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, pisces.

Quæres ultimò, quænam dicantur stellæ fixæ, & quænam dicantur errantes?

Resp. quod illæ dicantur stellæ fixæ, quæ eandem semper inter se distantiam servant, & hæ simplici vocabulo solent vocari *stellæ*, suntque in multitudine propemodum infinitæ, quamvis illæ de quibus Astrologi differunt, dicantur esse tantùm mille viginti duæ. Stellæ autem errantes dicuntur illæ, quæ non semper servant eundem ordinem seu distantiam inter se, aut cum stellis fixis, sed modò sunt illis & sibi invicem viciniores modò remotiores, uti defacto cernimus in Sole & Lunâ; Et hæ stellæ dicuntur planetæ, seu errones, suntque numero septem, nimirum Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter & Saturnus. Plura de his Astrologis

ſtrologis dicenda relinquo, utpote qui ſpecialiter inſudant ad curſum cæleſtem acuratè inveſtigandum.

Hoc unicum mihi & omnibus Chriſti fidelibus exopto, ut relictâ hâc mortali vitâ, æviternâ in cælis vitâ & gloriâ perfrui mereamur.

Finis octo Librorum Phyſicorum.

Omnia ad Majorem DEI, DEIparæque Virginis MARIÆ honorem & gloriam.

DVOS LIBROS GENERATIONE ET CORRVPTIONE

DE ORTV ET INTERITV



TRACTATVS IV.

CONTINENS
DVOS LIBROS DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE,
SEV
DE ORTV ET INTERITV.

POst explicatum ens mobile in communi in octo Libris Physicorum, occurrit nunc specialis aliquis Philosophiæ naturalis tractatus, nimirum de ente mobili motu generationis & corruptionis. Est autem objectum hujus tractatûs ens mobile motu generationis & corruptionis, quia in nulla alia parte Philosophiæ agitur de ente mobili sub tali consideratione, quàm in præsenti. Deinde etiam ens mobile motu generationis & corruptionis, continetur sub ente mobili *ut sic totius naturalis Philosophiæ objecto*, & insuper continet omnia, quæ ad hanc partem spectant; continet inquam illa vel tanquam species, ut elementa, & mixta; vel tanquam principia ut materiam & formam generabilium & corruptibilium; vel tanquam proprias affectiones ut ipsam generationem & corruptionem, aliosq; motus v. g. alterationis, intensionis, remissionis, rarefactionis, condensationis, nutritionis, augmentationis, diminutionis, & similes, qui comprehenduntur sub nomine generationis &

corruptionis latè sumpto, prout scil. abstrahit â mutationibus tam substantialibus (quibus res transit de non esse ad esse, aut è contra de esse ad non esse simpliciter & substantialiter, quæ sunt generatio & corruptio propriè dictæ) quàm accidentalibus solùm, quibus res transit de non esse ad esse secundùm quid, aut de uno ad aliud esse accidentale, quæ sunt generatio & corruptio lato modo sumptæ, de quibus omnibus per se agitur in hoc Tractatu.

LIBER PRIMVS

De Ortu & Interitu.

QVÆSTIO I.

De generatione substantiali in communi.

ARTICULUS I.

An detur & quid sit generatio substantialis?

CONCLVSIO I.

Datur vera generatio substantialis, quam definit Aristot. dicens: generatio est mutatio totiùs in totum nullo subjecto sensibili remanente.

PRob. 1.p. Tum quia experientia constat individua cujuscunq; speciei appetere generationem alterius individui pro conservatione speciei. Tum etiam, quia constat lignum mutari in ignem, ignem in cineres &c. nullo subjecto sensibili remanente sive ipsius ligni, sive ignis, sive alterius cujuscunque qualitatis, ergo datur &c. Et ex hoc infertur quod etiam detur corruptio substantialis, cum antequam lignum acquirat formam ignis, debeat corrumpi & desinere esse sub forma ligni.

Prob. 2.p. explicando definitionem. dicitur in primis quod sit *mutatio*, per quam particulam convenit cum creatione & transubstantiatione, quæ sunt mutatio, non tamen sunt generatio. Dicitur *totius in totum* ad excludendam nutritionem, quæ quidem totum

tum alimentum convertit in substantiam aliti, non tamen in totam substantiam aliti. quando autem dicitur quod generatio sit mutatio totius in totum, tunc non est sensus, quasi etiam ipsa materia corrumpatur, sed sensus est, quod præcedens compositum verè corrumpatur aliudq; generetur. Deinde per ly *totius* insinuatur terminus *á quo* generationis; per ly autē *in totū* insinuatur terminus *ad quem* generationis. Dicitur tandem *nullo subjecto sensibili remanente*, per quod insinuatur, quòd subjectum generationis nimirum materia prima, omnibus accidentibus sensibilibus spoliata relinquatur, & ideo non potest compositum substantiale cum suis accidentibus sensibilibus remanere post generationem alterius compositi, aliàs enim generatio coincideret cum alteratione, in qua etiam manet idem compositum modò sub hac, modò sub illa qualitate.

CONCLUSIO II.

Generatio viventium specialiter definitur, quòd sit origo seu processio viventis â vivente conjuncto in similitudiem naturæ specificæ.

EXplicatur definitio: *ly origo*, idem significat ac ortus vel emanatio seu processio rei genitæ â generante. per *ly viventis* excluduntur omnes res inanimatæ vitâ carentes. per *ly â vivente* excluditur productio quorundam animalium, quæ subinde ex putrefactione fiunt. per *ly conjuncto* denotatur differentia inter generationem viventium & non viventium. quia in non viventibus non requiritur, quod res genita sit conjuncta generanti, & intra ipsum, sed sufficit quod materia sit *juxta* posita, sicut v. g. ignis generat ignem ex ligno juxta se posito. At verò viventia inter se formant id quod generant, & ex sua substantia præbent materiam, ex quâ viventia generantur. Vnde ipse fœtus in principio colligatur suo generanti sicut fructus arbori, fœtus deinde colligatur matrici animalium, postea tamen separatur, quando nascitur, ideoq; dicitur procedere â principio vitæ conjuncto; quia primò illi colligatur, & intra ipsum formatur antequam nascatur. dicitur ultimò, *in similitudinem naturæ specificæ* ad denotandum quod id quod procedit â vivente, debeat procedere ut filius ex vi generationis. & ideo emanatio, capillorum vnguium vel pediculorum &c. non dicitur generatio

tio in homine, quia non procedunt ut filij in similitudinem naturæ specificæ. Similiter processio Spiritûs S. in divinis non dicitur generatio, quia licet habeat eandem naturam cum Patre & Filio, non tamen habet illam ex vi suæ processionis, quâ â Patre procedit, processio enim per amorem ex natura sua non petit similitudinem in essentia cum eo â quo procedit, ut docent communiter Theologi.

Arg. 1. contra 1. quando producta fuit Eva ex costa Adami, & Adam ex limo terræ, tunc fuit vera mutatio substantialis, & tamen non fuit vera generatio, ergo ad generationem non requiritur mutatio substantialis.

Resp. illas mutationes non esse propriè generationes, quia generatio substantialis strictè talis fit medijs causis naturalibus, & præviâ alteratione dispositivâ, quod in illis casibus non contigit. deinde nec Adam processit in similitudinem naturæ divinæ, nec Eva *ex vi suæ productionis* præcisè, processit in similitudinem naturæ specificæ cum Adamo, adeoque generationes non fuerunt.

Arg. 2. cont. 2. gallina subinde insidet ovis anserũ, & educit anseres ex ovis, ergo generat anseres; sed tales anseres non sunt eiusdé naturæ specificæ cum gallinâ, ergo in generatione viventium non debet esse processio in similitudinem naturæ specificæ.

Resp. neg. 1. conseq. gallina enim non censetur generare anseres, sed solùm anser cum fœmellâ, qui præbuerunt virtutem illam seminalem ad formandum ovum, unde quod talis gallina ex ovo educat anseres, solùm fit per applicationem activorum ad passiva conservando vel fovendo talem virtutem seminalem.

Arg. 3. Mulus verè generatur ex equo & asinâ, sed mulus non est similis in specie equo vel asinæ, ergo malè dicitur ly in similitudinem naturæ specificæ.

Confir. S. Aug. & alij SS. Patres sæpe testantur, quod ex diabulo incubo, & fœminâ succubâ filij fuerint progeniti, sed tales filij non fuerunt similes dæmonibus, ergo idem quod prius.

Resp. aliqui primo, quod quantum est ex intentione & efficaciâ seminis equi generantis, produceretur equ⁹ sibi similis in natura, de facto tamen quia illud semen commiscetur cum semine asinæ, hinc non producit equum sed mulum; Et hoc sufficit ut equo generanti ex asina mulum adaptetur definitio dicta. Resp

Resp. tamen 2. illam definitionem solùm convenire *causæ univocæ* generanti, non autem causæ æquivocæ generanti, equus autem & asina respectu muli se solùm habent ut causæ æquivocæ.

Resp. ad Confirm. dist. maj. dæmon subinde incubus ex fæminâ succubâ generat per decisionem seminis à se factam negat. maj. per semen quod furtò aliunde ab homine dormiente & polluto in somnijs surripuit, & fæminæ incubæ applicavit conc. maj. & concessâ min. neg. conseq. dico ergo, quod diabolus non habeat semen humanum, & ideo virtute propriâ homines generare non potest, unde si quandoque generare dicatur, id solùm fit ex eo, quia clam furatur semen ab homine, & ideo ille homo, à quo Dæmon furatus est semen, dicitur esse parens illarum prolium, dæmon autem solùm dicitur applicuisse semen fæminæ, quod non est propriè generare.

ARTICULUS II.

Vtrum generatio sit actio distincta à tota præcedenti alteratione?

NOtandum quod ad generationem, saltem connaturaliter loquendo requiratur aliqua alteratio præcedens, sicut ad generationem ignis ex ligno prærequiritur ut lignum alteretur per calorem ignis. Et ideo in præsenti quæritur an generatio (& idem est de corruptione substantiali) *sit aliqua actio distincta* à tota actione dispositivâ, quæ per alterationem operatur in materia, an verò positâ alteratione usque ad ultimam dispositionem sine novâ actione resultet generatio ratione naturalis connexionis cum illis dispositionibus.

CONCLUSIO UNICA.

Alteratio & generatio quamvis sint una actio, sunt tamen realiter diversæ mutationes. Ita collig. ex S. Th 1 p. q. 1. & a 2. ad 4.

PRob. 1. Pars. si generatio esset actio à tota alteratione præcedente distincta sequeretur quod substantia eliciens illâ esset immediatè operativa, sed conseq. est falsum ut patet ex dictis in 2. Physic. ergo generatio non est actio distincta à tota alteratione præcedente. prob. sequela, nam qualis est terminus immedia-

tus, & per se primò productus, talis etiam debet esse virtus operativa, seu principium proximum operandi, quia unumquodque agit secundùm quod actu est illud ipsum, quod immediatè ab eo per se primò producitur, & ita ignis non calefacit inquantum actu est lucidus, sed inquantùm actu est calidus, ergo si datur actio substantialis distincta à tota alteratione præcedenti, quæ immediatè & per se primò terminatur ad substantiam, tunc jam virtus operativa seu principium proximum operandi erit substantia, & consequenter substantia esset immediatè operativa.

Confirm. non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed absque necessitate poneretur illa distincta actio generativa, ergo non datur actio &c. min. prob. nam positâ ultimâ dispositione necessariò resultat forma substantialis sublatâ quâcunque aliâ actione, generatio enim in ratione actionis nil aliud est, quàm actio ultimò dispositiva, quæ *ordine executionis* primariò terminatur adultimam dispositionem, & secundariò in eodem ordine executionis ad formam substantialem, quæ tamen forma substantialis ordine intentionis est terminus primarius, proxima autem dispositio ordine intentionis solùm secundariò intenditur propter formam substantialem, ergo.

Prob. 2. Pars. quia generatio, alteratio & corruptio habent distinctos realiter terminos, ergo sunt distinctæ realiter mutationes. antec. prob. nam alteratio est motus ab unâ qualitate ad aliam, vel ab una qualitate minus intensâ ad eandem ut magis intensam, vel ab eâdem qualitate ut magis intensâ ad eandem ut minus intensam; generatio autem est mutatio de privatione ad formam substantialem, corruptio autem è contra est mutatio de formâ substantiali ad privationem illius, ergo alteratio, generatio & corruptio habent distinctos realiter terminos

Arg 1. contra 1. Part. Arist. in principio hujus lib. sæpe distinguit alterationem à generatione, ergo sunt actiones distinctæ.

Resp. Aristotelem solùm velle quod generatio & alteratio sint duæ mutationes distinctæ, non autem duæ actiones distinctæ.

Contra: sed etiam generatio & alteratio sunt duæ actiones distinctæ, ergo sol. nulla. prob. min. subsump. nam generatio & alteratio

teratio sunt duæ mutationes distinctæ, ergo etiam duæ actiones distinctæ. prob. conseq. ideo generatio & alteratio sunt duæ distinctæ mutationes, quia habent distinctos terminos, sed etiam generationi ut actio est, & alterationi ut actio est, possunt assignari distincti termini, ergo. Prob. min. quia generatio est eductio formæ substantialis, alteratio autem est eductio formæ accidentalis, sed forma accidentalis, & forma substantialis sunt distincti termini, ergo generatio & alteratio habent diversos terminos.

Resp. neg. min. subsump. ad prob. neg. conseq. ad prob. hujus dist. maj. generatio est eductio formæ substantialis tanquam termini primarij neg. maj. tanquam termini secundarij resultantis ex primario conc.maj. & concessâ min. neg. conseq.

Dices actio est egressus seu emanatio effectus ab agente, sed generatio est emanatio diversi effectûs ab alteratione ergo est diversa actio.

Resp. dist. min. sed generatio est emanatio diversi effectûs primarij neg. min. effectus secundarij conc. min. & neg. conseq. dico ergo quod emanatio effectûs primarij, & emanatio effectus secundarij ex primario consequentis, non sit diversa actio, quamvis possit dici diversa mutatio seu nova resultantia: Et ita licet generatio non sit actio propriè loquendo distincta ab alteratione, est tamen nova resultantia termini secundarij, seu nova & distincta *mutatio* ab alteratione, quod libenter concedo.

Adde. concedi posse quod generatio sit actio distincta ab alteratione productivâ accidentis, præcisè & absolutè in ratione accidentis, nihilominus generatio non est actio distincta ab actione alterativa, quæ attingit *accidens in ratione ultimæ dispositionis* ad formam substantialem.

Arg. 2. in instanti generationis agens agit, sed non agit alterando, cum hoc præcedat, ergo agit per actionem distinctam, & consequenter generatio est actio distincta ab alteratione.

Resp. quòd hoc argum. supponat falsum, supponit enim quod actio possit fieri in instanti tam inchoando quàm terminando illam, quod tamen implicat, quia actio necessariò involuit motum, qui in instanti esse nequit, claritatis tamen gratiâ.

Resp.

Resp. dist. maj. in instanti generationis agens agit incipiendo vel continuando actionem neg.maj finiendo illam conc. maj. & sic distinctâ min. neg. conseq. dico ergo, quod in tempore præcedenti instans generationis agens agat tam incipiendo quàm continuando actionem alterativam : Cæterùm in instanti generationis actio præcedens terminatur positâ generatione & formâ, quæ sunt duo termini quoad *executionem* secundarij, ipsius alterationis.

ARTICVLVS III.

Quis sit terminus generationis substantialis ; seu quid fiat, aut producatur per generationem ? Ante resolutionem.

NOtandum, quod hîc non loquar de generatione in ratione actionis propriè dictæ, sub hâc enim considerationc, cum nihil aliud sit, quàm ipsa alteratio ultimò dispositiva, habet pro termino formali & primario ordine executionis ultmam dispositionem ; sed loquor hîc solùm de generatione ut est simplex resultantia formæ substantialis in materiâ seu inquantùm est mutatio hujusmodi materiæ de privatione ad formam, resultans ex prævia dispositione.

Notandum secundò, quod ex ijs, quæ per generationem fiunt, aliquid fiat, seu attingatur *nt quod*, & aliud *ut quo*, seu quod idem est, alius est terminus *qui* & ultimatus generationis, alius autem est terminus *quo* formalis & immediatus.

Et quidem illud dicitur fieri seu attingi ut quod, appellaturq; terminus *qui* generationis, ad quod ultimatè intra genus substantiæ tendit & terminatur generatio. Illud autem dicitur attingi *ut quo*, seu dicitur terminus *quo* generationis, ad quod formaliter & immediatè terminatur, ita ut hoc mediante ulterius ordinetur ad terminum *qui*, ad cujus constitutionem ordinatur.

Rursus terminus *quo* est duplex : unus partialis, qui nimirum in genere causæ formalis specificat, constituit aut formalizat terminum *qui seu terminum totalem* & adæquatum. Et talis terminus est v. g. anima rationalis, alius est terminus *quo totalis*, ut v. g. humanitas prout ex solâ materiâ prima & anima rationali coalescit. porro com-

ro compositum ex tali humanitate & solâ subsistentia, dicitur suppositum seu persona, compositum autē ex suppositō & existentia dicitur compositum existens, his præmissis sit.

CONCLUSIO. I.

Terminus formalis & immediatus generationis, seu quod idem est, terminus formalis partialis quo *generationis substantialis, est ipsa forma substantialis: terminus autem* quo *totalis est compositum ex materia & solâ formâ seclusâ existentiâ & subsistentiâ.*

PRob. tota conclusio simul, nam ille est terminus formalis partialis *quo* generationis substantialis, per quem actualiter specificatur terminus *qui* seu totalis & ultimatus; sed hoc præstat ipsa forma v. g. anima rationalis, quæ actualiter specificat & constituit hominem, ergo forma sustantialis est terminus formalis *quo* partialis generationis substantialis. Et quia etiam per naturam totalem puta per humanitatem constituitur & specificatur homo, hinc etiam terminus formalis totalis, erit compositum ex sola materia & forma secluſa existentia, & subsistentia, quæ est secunda pars concluſ. Et sic patet quod terminus *qui* generationis constituatur *mediate* per formam partialem, immediatè autem per formam totalem.

CONCLVSIO II.

Terminus qui *generationis substantialis non est natura totalis seu compositum physicum ex materia & formâ præcisè, sed est ipsum compositum existens & subsistens* per se. *Ita S. Th. 1. p. q 45. a. 4.*

PRob. illius est fieri seu generari *ut quod* & esse terminum *qui* ultimatum generationis, cujus est esse aut existere *ut quod*, fieri enim terminatur ad esse rei productæ: sed natura totalis non existit nisi *ut quo*, sed solùm compositum ex forma totali subsistentia & existentiâ, ergo terminus *qui* generationis &c. Min. prob. illud enim existit *ut quod*, quod habet & importat existentiam, sed solum compositum ex subsistentia & existentia, ac naturâ totali importat & includit existentiam, non autem solâ natura totalis; cum illud nil aliud sit, quàm compositum metaphysicum ex ipsa natura

& subsistentia, ac existentia, hæc autem tantùm est pars illius compositi, quæ proinde aliam partem excludit, ergo.

Prob. secundo, ille est terminus *qui* generationis subst. ad quem ultimatè & completè terminatur generatio, sed generatio non terminatur completè in natura totali, sed in suppositio per se existente, ergo terminus *qui* generationis substantialis &c. Prob. min. licèt enim natura totalis sit completa in ratione compositi physici, non tamen habet adhuc totum complementum substantiale donec sortiatur subsistentiam & existentiam, qui sunt termini substantiales illius, ergo generatio non terminatur completè &c.

CONCLUSIO III.

Proprietates & accidentia connaturaliter genito debita sunt terminus secundarius generationis, & consequenter fiunt aut resultant ex vi ejusdem actionis per quam res generatur.

PRob. ille est terminus secundarius & ex primo vi ejusdem actionis resultans, qui ponitur eo posito, omni aliâ novâ actione sublatâ: sed positâ rei essentia, quæ est terminus primarius actionis generativæ ponuntur proprietates omni alia sublata actione, ergo proprietates sunt secundarius &c. Prob. Min. quia quæ habent necessariam connexionem cum aliquo ponuntur ad positionem illius absq; nova actione, nisi impediantur aliquo obstaculo: sed proprietates habent necessariam connexionem cum essentia, vel omninò, sicut risibilitas cum essentia hominis, vel saltem connaturaliter, ut frigiditas cum aqua, ergo.

Arg. 1. contra 1. concluſ. terminus *quo* seu formalis generationis debet fieri *ut quo* per ipsam, sed forma substantialis non semper fit per generationem, ut patet in anima rationali, quæ per creationem producitur, ergo forma non est terminus *quo* generationis.

Resp. dist. maj. debet per generationem fieri semper quoad suam entitatem neg. maj. quoad suam entitatem, vel ad minus quo ad sui unibilitatem & communicationem conc. maj. sed anima rationalis non fit per generationem quoad entitatem absolutè spectatam conc. min. quoad hoc quod est animam rationalem unire & communicare materiæ primæ neg. min. & conseq. Arg.

Arg. 2. contra 2. humanitas v.g. quæ est natura totalis est terminus *qui* gnnerationis, ergo ipsum compositum subsistens & existens non est terminus *qui* generationis. Prob. antec. adhoc ut aliquid sit terminus *qui* generat. sufficit, quod sit res completa, sed humanitas est res completa, ergo.

Resp. dist. maj. sufficit quod sit res completa solùm intra lineam physicam essentiæ neg. maj. tam quoad lineam essentiæ quàm etiam quoad terminos intrinsecos ipsius essentiæ, qui termini sunt ipsa existentia & subsistentia conc. maj. sed humanitas est completa præcisè intra lineam essentiæ physicæ, quæ solùm importat compositionem ex materia & forma conc. min. est completa quoad terminos intrinsecos essentiæ, qui sunt existentia & subsistentia neg. min. & conseq. ad hoc autem ut aliquid sit terminus *qui* generationis requiritur quod sit res completa in esse metaphysico, id est intra lineam existentiæ & subsistentiæ, tali autem modo solum compositum existens est res completa, non autem ipsa humenitas præcisè sumpta. Et licèt humanitas sit extra potentiam objectivam, non tamen existit *ut quod*, sed solum *ut quo*, terminus autem *qui* generationis debet existere *ut quod*, hoc verò solùm competit composito existenti & subsistenti.

Arg. 3. transmutatio vel non transmutatio, & alteratio materiæ est terminus *quo* generationis, ergo non ipsa forma substantialis. Prob. antec. nam id quod diversificat actiones, hoc est terminus *quo*, sed ista transmutatio vel non transmutatio diversificat actiones ergo est terminus *quo* &c. Prob. min. nam ideo differunt generatio & creatio hominis, quia in generatione præsupponitur materia per dispositiones transmutata, non autem in creatione, ergo.

Resp. hanc diversitatem provenire solùm à forma substantiali, non quidem præcisè sumptâ, sed ut connotante dispositiones, vel non dispositiones prævias. Et ita generatio substantialis diversa est à creatione, quia in generatione forma substantialis respicit dispositiones prævias mutantes materiam, quas tamen dispositiones non respicit aut præsupponit ipsa creatio, cum hæc fiat ex nullo præsuppositio subjecto.

Ex his infertur, quod in generatione accidentali ipsum compositum sit terminus *qui* illius, cum compositum illud propriè tantùm existat *ut quod*, & consequenter etiam fit *ut quod*.

Licèt autem generatio substantialis terminetur ad esse simpliciter, ac proinde terminus illius totalis debeat esse unus simpliciter, generatio tamen accidentalis, cùm tantùm terminetur ad esse secundùm quid, hinc pro salvandà ejus simplicitate sufficit quod habeat terminum formalem *qno* (qui est forma substantialis) qui sit per se unus, licet terminus totalis *qui* illius sit tantum unus secundùm quid.

ARTICULUS IV.

Quodnam sit subjectum generationis substantialis?

NOtandum quod triplex possit distingui subjectum; vnum enim est subjectum mutationis, quod per generationē transmutatur ex uno in aliud, id est à privatione ad formam, & in hoc omnes Thomistæ conveniunt subjectum mutationis esse materiam primam. aliud est subjectum denominationis, à quo scil. denominatur totum compositum genitum. tertium est subjectum inhæsionis, cui nimirum generatio inhæret, & de hoc subjecto inhæsionis quæritur an sit materia prima, seu an materiæ primæ inhæreat generatio. porro nomine generationis non intelligitur hic generatio, ut actio est, sed ut mutatio est.

CONCLUSIO.

Immediatum subjectum generationis substantialis est ipsa materia prima, adeoq; in materia prima recipitur generatio substantialis. Ita Arist.

8. *Met. text.* 5. *& S. Th. ibid. Lect.* 1.

EXplicatur conclusio: sensus conclusionis non est, quod materia prima sola in aliquo instanti reali existens sine forma sit subjectum generationis, hoc enim implicat, quia aliàs materia prima pro aliquo reali instanti esset sine forma substantiali existens, quod supra implicare ostendi, sed prout in aliquo priori naturæ præsupponitur ad illam actu receptam, & ad constitutionem compositi.

Prob. conclusio. in eo est generatio tanquam in subjecto inhæsionis

hæsionis quod mutatur & quod est subjectum commune utriqúe termino mutationis, sed sola materia prima mutatur, & est subjectum commune utriqúe termino mutationis, quæ est generatio, ergo generatio subjectatur in materia prima. mai. pat. in omnibus mutationibus ; nam in motu locali v. g. ipsum mobile, quod est subjectum commune utriqúe termino motûs, est etiam subjectum inhæsionis ipsius motûs. min. similiter constat. nam termini mutationis substantialis sunt privatio & forma, sed materia prima est subjectum commune tam privationis quàm formæ, cum sit illa quæ transit de privatione formæ ad ipsam formam. ergo.

Arg. 1. Nullum accidens potest immediatè subjectari in materia primâ, sed generatio est aliquod accidens, ergo non potest immediatè subjectari in materia primâ. min. prob. potentia generativa utpote qualitas est aliquod accidens, ergo etiam generatio est accidens ; actus enim & potentia debent esse in eodem genere, puta si potentia fuerit accidens, etiam actus ejus erit accidens.

Resp. neg. min. ad prob. dist. conseq. ergo etiam generatio ut actio est, debet esse accidens conc. conseq. ut mutatio est neg. conc. generatio enim sumpta in ratione mutationis est modus substantialis formaliter seu modaliter distinctus â forma, sed entitativè idendificatus cum illâ, proindeqúe entitativè est substantia & non accidens, sicut etiam supra dixi motum idendificari cum suo termino, & solùm modaliter ab illo distingui.

Ad prob. conseq. Resp. quod actus primus & immediatus in-executione debeat esse ejusdem generis, non autem actus mediatus, & quasi secundarius. Et ita potentiæ generativæ, quæ est accidens propriè correspondet actio alterativa, per quam disponitur materia ad recipiendam formam substantialem, & hæc est accidens quoddam, generatio autem ut mutatio est, resultat ex actione alterativâ.

Dices: in eo recipitur generatio etiam ut mutatio est, cui tribuit suam denominationem, sed hanc tribuit composito & non materiæ primæ, ergo in composito genito erit generatio. min. pat. quia compositum dicitur genitum, non autem materia prima, quæ ut in 1. Physic. dixi, est ingenerabilis.

Resp. quod licet generatio non tribuat qualemcunq; denominationem intrinsecam ipsi materiæ primæ, adeoque nec denominetur genita, recipit tamen aliquam intrinsecam denominationem, puta quod sit generatione affecta vel mutata. nomen enim generationis non est institutum ad denominandum subjectum secundùm proprium nomen, sed ad denominandum suum terminum scil. compositum, quod etiam intrinsecè genitum denominat.

Arg. 2. in eo recipitur generatio ut mutatio, in quo recipitur ejus terminus scil. forma substant. sed hæc non recipitur in nuda materia, ergo materia prima non est immediatum subjectum generationis. min. prob. quia forma substantialis non recipitur nisi in materia ut disposita, sed materia ut disposita non est nuda materia prima, cũ taliter importet accidentia & dispositiones, ergo.

Resp. neg. min. ad prob. dicitur, quod forma recipiatur in materia prout disposita non *in fieri*, quâ ratione formaliter importat accidentia disponentia, sed quatenus materia prima est disposita *in facto esse*, quâ ratione importat solum dispositiones virtualiter in ipsâ manentes, quatenus nimirum ex vi illarum, quæ in composito corrumpendo, præcesserunt, manet determinata & sigillata ad hanc potius formam quàm ad aliam.

Ex quo patet quod dispositiones præviæ formaliter solùm *mediatè* recipiantur in illo subjecto quod disponunt, immediatè autem recipiantur in subjecto corrumpendo. Cæterum in ipso instanti generationis tales dispositiones solùm *virtualiter immediatè*, reperiuntur in materia prima.

Arg. 3. nil potest recipi in materia prima ante formam substantialem, sed si generatio reperiretur in materia prima, tunc jam aliquid in illa recipitur ante formam substan. scil. ipsa generatio, ergo generatio non recipitur immediatè in materia prima. maj. pat. quia ante formam substan. utpote actum primum nullus alius actus recipitur.

Resp. dist. maj. nil potest *ut quod* recipi in materia prima ante formam pro aliquo instanti reali temporis conc. maj. nil potest prioritate naturæ & *ut quo* recipi, neg. mai. generatio autem solùm recipitur prioritate naturæ ante formam tanquam id *quo* recipitur ipsa forma, ad quam generatio est quædam via.

Quæ-

Quæres in quo recipiatur generatio activa seu generatio ut actio, si generatio passiva (ut hîc dixi) subjectetur in materia prima?

Resp. quod generatio ut actio subjectetur in subjecto corrupendo; cujus Ratio est, quia actio alterativa (à quâ generatio ut actio est, non distinguitur) subjectatur in subjecto corrumpendo, ergo etiam generatio ut actio est.

Confir. nam in eo subjectatur actio generativa, in quo subjectatur ejus terminus primarius ordine executionis, actio enim & ejus terminus idendificantur, sed ejus terminus primarius ordine executionis scil. prævia dispositio subjectatur & recipitur in composito corrumpendo, ergo etiam generatio ut actio.

QUÆSTIO II.

De Corruptione substantiali.

CErtum est dari corruptionem substantialem, videmus enim lignum corrumpi & transire in ignem, & similia. Tum etiam quia datur generatio substantialis, ergo etiam datur corruptio substanrialis. prob. conseq. tum quia generatio unius est corruptio alterius. tum etiam quia aliàs sequeretur duas formas substantiales esse in eadem materia, quod tamen implicat. Est autem corruptio secundariò intenta à natura universali ob pulchritudinem universi, quæ magis relucet in corruptione præcedentis compositi, & generatione alterius, prout in Physicâ exposui.

Porro corruptio substantialis bene definitur quod sit mutatio seu transitus materiæ 1. ab esse formæ substantialis ad nõ esseillius.

Explicatur definitio: Dicitur in primis *mutatio seu transitus*, in quo convenit cum generatione. per *sequentes particulas* autem differt corruptio ab annihilatione, in qua nullum subjectum manet sicut in corruptione, in qua manet materia prima. differt autem corruptio à generatione, nam generatio pro termino *à quo* respicit aliquid privativum scil. materiam primam privatam forma substantiali, pro termino autem *ad quem* respicit aliquid positivum, quod tamen ècontrario fit in corruptione substantiali.

AR-

ARTICULUS UNICUS

Vtrum in corruptione substantiali fiat resolutio usq; ad materiam primam, ita ut materia prima nec formam substantialem, nec accidentalem retineat?

ALij hunc titulum sub alijs verbis proponunt dicendo; utrum eadem numero accidentia maneant in genito, quæ fuerunt in corrupto? quod ut intelligas.

Nota, duo esse genera accidentium in composito corrumpendo. aliqua enim sunt propria illius, quæ cum eo habent necessariam connexionem, & hæc sine dubiò destruuntur ad destructionem illius, ut v. g. destructo homine etiam destruitur risibilitas illius. aliqua autem sunt accidentia, quæ sunt ipsi, & etiam genito communia, sicut est v. g. quantitas figura, color, calor &c. & de his est difficultas, an nimirum maneant eadem numero v. g. in isto homine mortuo, quæ fuerant ante instans mortis in illo.

Notandum 2. certum esse terminum *à quo* formalem & immediatum corruptionis substantialis esse privationem formæ substantialis, seu non esse illius, quia ut patet ex definitione, corruptio est mutatio de forma ad privationem formæ seu ad non esse illius. Certum præterea est terminum *qui* & ultimatum corruptionis non esse solam destructionem naturæ totalis seu ipsum non esse illius præcisè, adeoque terminus *qui* & ultimatus corruptionis est destructio totius suppositi. Ratio est quia corruptio opponitur generationi, ergo sicut generatio pro termino *qui* & ultimato respicit totum suppositum existens, ita ècontra corruptio substantialis pro termino *qui ultimato* respicit destructionē hujus totius suppositi.

Notandum 3. quod nulla forma accidentalis *formaliter* loquendo recipiatur in ipsa materia prima ante formam substantialem. prius enim materia debet simpliciter esse per formam substantialem tanquā per suum actum primum, antequā existat secundùm quid per aliquem actum solum accidentalem. his præmissis sit.

CONCLVSIO.

In corruptione substantiali nil manet nisi sola materia prima spoliata omnibus accidentibus, adeoq; non manent eadem numero accidentia in composito genito, quæ fuerunt in corrupto. Ita S. Th. lib. 1. de gen. lect. 10.

Prob.

PRob. per corruptionem destruitur proprium subjectum omnium accidentium, quæ erant in præcedenti composito, ergo etiam saltem secundariò destruuntur omnia accidentia. conseq. prob. quia saltem naturaliter loquendo accidens sine subjecto manere nequit, nec potest transire de subjecto in subjectum. antec. verò prob. quia subjectum inhæsionis omnium accidentium est totum compositum, & non nuda materia prima, sed per corruptionem destruitur totum præcedens compositum, ergo & destruitur subjectum omnium accidentium connaturalium, quæ illi inerant. Prob. maj. quia illi inhærent reliqua accidentia cui inhæret quantitas (siquidem mediante quantitate reliqua connaturalia accidentia recipiuntur in subjecto) sed quantitas inhæret toti composito, & non materiæ primæ nisi *ut quo* quatenus scil. illa est pura potentia & prima radix recipiendi, ergo. min. prob. passio inest ei tanquam subjecto cujus est proprietas, sed quantitas est quasi proprietas substantiæ completæ ex materia & formæ constitutæ, ergo. min. prob. in hoc enim differt substantia corporea completa à substantia spirituali, quod illa sit radix quantitatis sitque extensionis capax, hæc autem essentialiter sit inextensibilis, ergo.

Arg. 1. Arist. & S. Th. sæpe videntur asserere quod maneant eadem accidentia in genito quæ fuerant in corrupto, ut quòd maneat eadem quantitas, calor, vel dimensio, ergo.

Resp. Arist. & S. Thomam solùm velle quod maneant eadem accidentia *specie* in genito, quæ fuerant in corrupto, non autem quod maneant eadem *numero*. Quod si autem S. Thomas videatur asserere quod etiam eadem quantitas maneat in homine mortuo, solùm intelligendus est quod maneat in homine eadem quantitas *radicaliter* seu obedientialiter, in quantum materia hominis reunietur animæ, & consequenter etiam ad eadem accidentia amissa.

Arg. 2. post mortem animalis apparent in cadavere eadem accidentia, quæ erant in corpore vivo, puta eadem figura, idem color & calor, eædem maculæ & cicatrices &c. ergo non destruuntur omnia accidentia quæ erant in composito, & consequenter nec fit resolutio usque ad materiam primam spoliatam omni formâ accidentali.

Resp. quod solùm maneant eadem accidentia *specie*, non autem *numero* propter variationem subjecti.

Contra: non est assignabilis aliqua causa quæ producat hæc diversa accidentia numero, ergo manent eadē numero accidentia &c.

Resp. neg. ant. quia hujusmodi accidentia producuntur ab ipso generante, si habeat adhoc sufficientes vires; si autem has non habeat, tunc producuntur â causis universalibus, ad quas spectat supplere defectus agentium particularium.

Arg. 3. saltem dispositiones præviæ recipiuntur & manent in ipsa materia prima, ergo materia prima in corruptione substantiali non est spoliata omni formâ.

Confir. si in corruptione substantiali maneret materia nuda, sequeretur quod idem esset comedere cibos subtiles & crassos, sed consequens est falsum, ergo. prob. sequela. nam per comestionem & digestionem corrumpuntur cibi, adeoq; manet ibi solùm materia prima, quæ in omnibus est ejusdem rationis. ergo.

Resp. ad 1. quod illæ dispositiones solùm sint in materia prima virtualiter & ut quo, non autem formaliter immediatè & *ut quod*.

Resp. ad 2. neg. seq. ad prob. dicitur quod licet in corpore nutrito nil ex alimento præter materiam primam remaneat, non tamen sequitur illud absurdum, quia licet non remaneant eædem *numero* qualitates, quæ erant in cibis, remanent tamen similes seu eædem specie, & ideo si cibi nocivi sint, afferunt qualitates nocivas; si autem sint salubres, afferunt etiam qualitates viventi seu alito congruas & salubres.

Quæres quomodo intelligatur illud axioma, quod generatio unius sit corruptio alterius?

Resp. hoc axioma intelligendum esse hoc modo, quod generatio unius *concomitanter* sit corruptio alterius; inquantum nimirum ad expulsionem seu corruptionem unius formæ, altera per generationem succedit, vel in quantum una forma per generationem introducta aliquomodo efficienter expellit formam præcedentem, ita ut corruptio exerceat aliquam causalitatem connaturalem & dispositivam ad generationem, quia per expulsionem formæ præcedentis disponitur & aptatur materia ad novam formam recipiendam.

QUÆ-

QVÆSTIO III.

De alteratione.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit alteratio, & an sit motus continuus?

ALteratio hîc solùm sumitur strictè quatenus est mutatio terminata ad *solam qualitatem talem*, quæ magis propriè quàm reliqua accidentia facit alterare, sicut est v. g. calor & frigus.

Definitur autem alteratio specialiter dicta, quod sit motus ad qualitatem sensibilem habentem latitudinem cum contrarietate subjecto invariato manente secundùm essentiam.

Explicatur definitio: *ly motus* ponitur loco generis: *ly ad qualitatem sensibilem* ponitur loco differentiæ; unde per illam particulam differt alteratio ab augmentatione, quæ ad novam quantitatem; & â motu locali, qui ad ubi terminatur: excluduntur etiam per illas particulas qualitates spirituales.

Dicitur 3. *habentem latitudinem cum contrarietate*, per quas particulas excluduntur qualitates, quæ contrarietates non habent, uti etiam lux, quia alteratio respicit qualitates contrarias & corruptivas, eò quod alteratio ex natura suâ deserviat generationi & corruptioni, ad quas requiruntur qualitates contrariæ tanquâ dispositiones.

Dicitur ultimò *subjecto invariato manente secundùm essentiam*: quia scil. non corrumpitur statim compositum physicum, licet disponatur ad corruptionem, atque in hoc distinguitur alteratio â generatione, nã in generatione præcedens compositũ nõ manet, bene tamen in alteratione, ut patet in aquâ calidâ, quæ licet â frigore alteretur ad calorem, invariata tamen manet secundùm essentiam. His præmissis sit.

CONCLUSIO. I.

Alteratio in communi bene & adæquatè dividitur in alterationem specialiter dictam, intensionem & remissionem.

PRob. nam alteratio in communi nil aliud est quam motus â qualitate ad qualitatem contrariam, & habentem gradualem

latitudinem abstrahendo ab hoc, utrum qualitates illæ sint entitativè contrariæ, sicut calor & frigus, vel tantùm modaliter contrariæ, ut calor minus & magis intensus. alteratio autem specialiter dicta est motus à qualitate entitativè contrariâ ad aliam qualitatem entitativè contrariam, ut v. g. â calore ad frigus. intensio autem est motus à qualitate remissa & imperfecta ad eandem ut magis intensam ut v. g. â calore ut duo ad calorem ut sex. remissio autem è contra est alteratio â qualitate magis perfecta & intensâ ad eandem ut magis remissam, ut v. g. â calore ut sex ad calorem ut duo. ergo cum non sint assignabiles aliæ species alterationis, divisio hæc erit bona & adæquata.

CONCLVSIO II.

Alteratio specialiter dicta est motus continuus.

PRob. quia habet terminos positivos contrarios v. g. calorem & frigus; habet etiã latitudinẽ ratione resistentiæ contrariæ qualitatis successivè pertransibilem, ergo est motus continuus.

Arg. 1. contra 1. alteratio specialiter dicta est vera intensio, ergo sunt tantum duæ species alterationis. antec. prob. quia per alterationem specialiter dictam non acquiritur qualitas absolutè sumpta sed cum aliquibus gradibus, ergo per ipsam alterationem specialiter dictam intenditur.

Resp. quod intensio sit acquisitio qualitatis entitativè ejusdem solùm cum majori graduali perfectione, ita ut terminus â quo illius sit eadem qualitas entitativè talis, v. g. idem calor quoad substantiam est terminus *á quo* intensionis ipsius. At verò alteratio specialiter dicta pro termino *â quo* respicit qualitatem entitativè contrariam, adeoque alteratio specialiter dicta non est intensio propriè dicta.

Arg. 2. Quantitas non dividitur in quantitatem specialiter dictam, augmentationem & diminutionem, ergo nec qualitas in prædictas tres species. Item motus localis non dividitur in ubi secundùm se, ascensum & descensum, ergo nec qualitas debet dividi in illas tres species.

Resp. neg. conseq. disparitas est, quia quantitas quando primò

mò producitur, consequitur ad materiam seu substantiam corpoream per modum dimanationis; quando autem præsuppositâ aliquâ quantitate alia pars additur vel tollitur, tunc jam est augmentatio vel diminutio, & sic nō est locus motui ad quantitatē secundùm se. Adde quod quantitati nil sit contrarium; qualitas autē una potest esse alteri entitativè contrariâ, & ideo ad qualitatem secundùm se potest terminari motus. Loquendo ergo non de qualitatibus, quæ consequuntur, ad essentiam vi generationis, sed de qualitatibus, quæ transactâ generatione in subjecto perfecto quoad omnia sua, connaturalia, producuntur, convenienter ex illis distinguimus triplicem rationem terminandi motum alterationis.

Similiter dicitur de *Vbi* concesso ant. neg. conseq. dispar. est, quia intra idem *vbi* non datur latitudo & distantia, ut fiat majus vel minus in ratione loci, eò quod locus sit adæquatus locato, & sic nisi locatum crescat, vel decrescat, non crescet vel decrescet locus extrinsecus. Augmentum autem vel decrementum locati non potest per se ad motum localem, ut est acquisitivus talis *Vbi*, adeoque solùm datur distantia inter unum & aliud *Vbi*, seu inter diversa loca. At verò qualitas habet aliquid sibi contrarium & latitudinem successivè etiam pertransibilem, habet etiam divisibilitatem extensionis ratione subjecti quanti, & divisibilitatem motûs ratione successionis, & denique divisibilitatem formæ penes magis & minus in intensione & remissione.

Arg. 3. contra 2. concluſ. Arist. 8. metaph. tex. 23. dicit: dicere alterationem fieri continuè est adversari manifestis. similia etiam habet S. Th. 6. Physic. tex. 56. ergo alteratio specialiter dicta non est motus continuus.

Resp. Aristotelem & S. Thomam solùm negare alterationem esse continuam prout continuum idem significat ac semper durans sicut est motus cæli, & in hoc sensu sanctus Doctor bene dicit solum motum localem Cæli esse continuum; non autem negat, sicut nec Philosophus, alterationem esse continuam, prout continuum opponitur discreto, seu prout ly esse continuum idem est ac mensurari aliquâ parte continuâ temporis.

Sicut autem in tempore datur pars temporis, & etiam in-

divisibile instans, ita in motu continuo alterationis datur pars qualitatis, & aliquid indivisibile, scilicet mutatum esse.

ARTICVLVS II.

Quomodo fiat intensio qualitatum?

CONCLUSIO I.

Intensio qualitatum non fit per remotionem sui contrarij, nec in intensione destruitur præcedens qualitas & alia perfectior advenit.

PRob. 1. p. quia sæpe qualitas intenditur in aliquo subjecto, in quo non habet aliquid contrarium, ergo intensio qualitatum non fit per remotionem sui contrarij. Probatur antecedens, quia gratia & charitas Beatæ Virginis Mariæ quotidie intendebantur, & tamen in Beatissima Virgine nunquam erat aliquid contrarium gratiæ vel charitati, siquidem illa nullum peccatum, ne quidem minimum habuit, ergo.

Prob. secunda. p. quia per intensionem præcedens qualitas perficitur, ergo non destruitur.

CONCLUSIO II.

Intensio qualitatis non fit per additionem qualitatis ad qualitatem præexistentem. Ita S. Th. 22. q. 25. a. 15.

PRob. ratione, si intensio qualitatis fieret per additionem qualitatis ad qualitatem, ita ut qualitates realiter inter se distinguerentur, tunc vel essent distinctæ specie vel numero, sed nil horum potest dici, ergo intensio qualitatis &c. Prob. min. nam in primis non distinguuntur specie, eò quòd unus calor cum alio sit ejusdem speciei, habens eandem ultimam differentiam. Tum etiam quia calor adveniens debet perficere præexistentem, ergo nequit specie ab eo distingui. Probatur etiam minor, pro secunda parte, quòd scilicet non possint distingui solo numero. quia alias duo accidentia solo numero distincta possent recipi in eadem parte subjecti, sed hoc implicat, ergo non distinguuntur solo numero. sequela maj. patet. Min. autem prob. quia acidentia individuantur â subjecto, eo quod unitas & distinctio materialis petenda sit ab

ab unitate vel distinctione materiæ, sicut è contra distinctio formalis & essentialis petenda est ab unitate vel distinctione formæ, materia autem accidentium est subjectum ipsorum, atque adeo si semel essent duo accidentia solo numero distincta in eadem parte subjecti, tunc jam essent duo, ut supponitur, & non essent duo, quia tantùm haberent idem numero subjectum, à quo accidentia individuantur, ergo duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto.

CONCLVSIO III.

Intensio qualitatis fit per majorem radicationem in subjecto, quæ major radicatio fit per hoc quod præexistenti qualitati superaddatur novus modus perfectionis. ante probationem conclusionis.

NOtandum quòd quatuor sint distinguenda in qualitate, nimirum essentia, existentia, unio ejus cum subjecto seu actualis inhærentia, & tandem modus perfectionis, seu majoris radicationis, qui per intensionem ei advenit, & realiter modaliter distinguitur à præcedentibus, cum adveniat & pereat illis invariatis, hoc præmisso.

Prob. conclusio, intensio qualitatis fit per acquisitionem alicujus realis perfectionis, ad propriam lineam seu speciem illius qualitatis, quæ intenditur, pertinentis, ratione cujus modi superadditi ipsa qualitas præexistens fit perfectior & actualior juxta propriam speciem, sed nova illa perfectio adveniens, solùm est modus aliquis perfectior, ergo intensio qualitatis fit per additionem modi alicujus perfectionis. major patet. min. autem prob. nam illa nova perfectio non potest esse nova entitas qualitatis, ut probatum est conclusione præcedenti, ergo solùm erit novus modus superadditus.

Confir. nam ille modus superadditus potest recipi in eadem parte subjecti, ita ut perficiat præexistentem qualitatem intra suam propriam lineam, quæ duo ab aliquo alio præstari nequeunt. ergo intensio qualitatis fit per additionem novi modi perfectionis. Prob. antec. nam illa nova perfectio modalis in quantum est modus, debebit recipi in re modificatâ, id est in illo calore v. g. â quo specie

modali

modali & incompleta differt, in quantum nimirum ille modus est quædam actualitas & perfectio reductivè pertinens ad speciem caloris: & cùm ille modus sit ipsum (ut ita dicam) *magis seu quantitas virtualis caloris*, hinc non constituit subjectum simpliciter calidum, quia jam supponit subjectum calidum, sed tantùm constituit subjectum magis calidum, ergo ille modus supperadditus potest recipi in eadem parte subjecti, & perficere præexistentem qualitatem intra propriam lineam.

Arg. 1. potest qualitas una cum sua perfectione intensiva, id est in *facto esse*, jam intensa separari à subjecto per virtutem divinam, ergo intensio qualitatis nō consistit in majori radicatione subjecti.

Resp. dist. conseq. ergo non consistit in majori radicatione actuali conced. conseq. in majori radicatione saltem aptitudinali, neg. conseq. unde in tali casu qualitas illa, quæ in *facto esse* jam fuisset intensa, esset perfectior per ordinem ad subjectum, in quo esset magis radicabilis & participabilis, quia scilicet adhuc diceret radicalem, seu aptitudinalem radicationem ad subjectum, licet non diceret actualem radicationem in subjecto.

Arg. 2. alteratio est motus ad qualitatem, sed intensio est alteratio, cùm sit species alterationis, ergo terminatur ad qualitatem, & consequenter fit per additionem qualitatis ad qnalitatem.

Resp. dist. maj. alteratio terminatur ad qualitatem semper de novo producendam, neg. maj. terminatur ad qualitatem vel de novo producendam, vel si jam supponitur producta, ad eam perficiendam conced. maj. in hoc enim differt intensio à prima alteratione, quod hæc producat de novo qualitatem, intensio autem qualitatem per extensionem augeat & perficiat. Adeoq; terminus intensionis non est entitativè totaliter distinctus à qualitate præexistente, sed solùm est modaliter distinctus, in quantum eadem qualitas fit perfectior.

Dices; in motu locali acquiritur novum ubi destructo priori, & in augmentatione acquiritur nova quantitas, ergo similiter in intensione acquiritus novus terminus entitativè distinctus destructo primo & consequenter etiam nova qualitas.

Resd. dist. conseq. ergo etiam in intensione acquiritur nova quali-

qualitas, si intensio qualitatis non fieret in eadem parte subjecti & non supponeret qualitatem entititativè jam productam conceditur conseq. Si intensio fiat in eadem parte subjecti *ad differentiam motûs* augmentationis, & supponat qualitatem entitativè jam productam, ad differentiam motûs localis non supponentis *ubi* jam productum in loco neg. conseq. Unde sicut dicimus scientiam v. g. logicalem esse unam simplicem qualitatem, nec per plures demonstrationes logicales produci novum habitum scientiæ logicalis, sed tantùm extendi ad plures conclusiones, ita hic dicendum de intensione qualitatis, quod non producatur nova qualitas, sed præcedens tantùm magis radicetur, & perficiatur in subjecto.

Arg. 3. augmentum virtutum fit proportionaliter eo modo quo fit augmentum corporale, sed augmentum corporale fit per additionem partis ad partem, ergo simiiiter augmentum virtutum seu qualitatum fit per hujusmodi additionem.

Resp. maj. esse veram servatâ proportione, & *natura* utriusq; augmenti, augmentum enim corporale extensivum fit ad diversas partes subjecti, & ideo fit per additionem partis ad partem, augmentum autem intensivum, cùm sit in eadem parte subjecti, hinc non potest fieri per additionem partis ad partem.

Arg. 4. Si intensio solùm fiat per additionem novi modi, sequitur quod non sit differentia inter intensionem & extensionem alicujus qualitatis v. g. scientiæ, sed consequens non est dicendum ergo nec antecedens.

Resp. neg. sequel. nam licet extensio qualitatis etiam fiat solum per additionem novi modi, differt tamen à modo intensionis per hoc, quod in intensione adveniente modo majoris radicationis pereat modus minoris radicationis, quia scilicet modus ille perfectior continet eminenter alios inferiores modos, & ideo alij modi ibi non dantur. At verò modi extensionis se se compatiuntur, habent enim suam perfectionem singularem & independentem ab invicem, & ideò extensio dicitur fieri per additionem modi, intensio autem per variationem modi.

Arg. ult. impugnando rationem pro conclusione adductam. nam vel ille modus qualitati præexistenti in intensione superad-

ditus est ejusdem speciei cum illa vel diversæ? si primum, ergo dantur duo accidentia solo numero distincta in eadem parte subjecti si autem dicatur secundum ergo modus ille non perficeret qualitatem illam intra eandem lineam, & consequenter ratio pro conclusione adducta nil probat.

Resp. modum illum distingui specie imperfecta & modali à qualitate, ea scilicet generali ratione, qua modus differt à re: pertinet tamen ad speciem illius tanquam modus ejusdem, & consequenter perficit illam qualitatem intra propriam lineam, & speciem, quod de qualitate superaddita dici non posset, si differet specie, differret enim illa qualitas specie completa, sicque non amplius pertineret ad qualitatem præexistentem. pro complemento hujus articuli.

Notandum, quemlibet modum quo perficitur, & magis radicatur qualitas in subjecto, si consideretur ut est *in fieri vel fui acquisitione* esse formaliter divisibilē in partiales modos priores & posteriores in infinitum, ut ita continuè & successivè per partes priores & posteriores ipsius motûs intensionis acquiri possit, si autem spectetur *in facto esse*, tunc dico modum illum esse formaliter indivisibilem, & acquiri per indivisibile mutatum esse ipsius motûs.

Ex quo patet, quod medietates illæ seu modi partiales sint ejusdem speciei, & solo numero distinguantur, ita tamen ut posterior sit perfectior intra eandem speciem eminenter continens posteriorem.

Neque exinde sequitur duo accidentia solo numero partiali distincta esse in eadem parte subjecti, quia prior modus cùm sit terminus *à quo* intensionis, perit formaliter adveniente posteriori & perfectiori, in quo eminenter continetur, adeoq; non sunt ibi plures modi, quin potius adveniente modo ut tria, corrumpitur modus ut duo, adveniente modo ut quatuor, perit modus ut tria &c. & sic manet eadem qualitas sub uno modo tantùm, qui tamen præcedentes virtualiter vel eminenter contineat, sicut etiam adveniente forma perfectiori continente virtualiter & eminenter formas imperfectiores, hæ desinunt informare subjectum, sicut adveniente formâ animalis, desinit forma embrionis.

Quæres

Quæres primò. quid sit rarefactio, & condensatio?

Resp. quòd rarefactio sit quædam partium corporis dilatatio, sive mutatio aliqua quâ partes corporis magis diffunduntur, magisque à se distant, unde rarum dicitur id, quod sub magna dimensione parum materiæ continet, ut patet v. g. in aqua vel cerâ ebulliente.

Econtra autē condensatio est compressio seu contractio partium, aut mutatio aliqua quâ partes ejusdem corporis inter se comprimuntur, suntque minus distantes, & ad minorem quàm antea locum idoneæ: adeoque densum est id, quod sub parva extensione multum materiæ continet, ut patet v. g. in cerâ multùm compressâ. Utraque autem scilicet tam rarefactio quàm condensatio est quædam alteratio.

Quæres 2. quis sit terminus rarefactionis & condensationis?

Resp. quòd per rarefactionem non acquiratur nova quantitas nec per condensationem quantitas aliqua deperdatur (quia in rarefactione nō acquiritur nova materia, nec in condēsatione deperditur nova materia, quæ est subjectū quantitatis) nec etiā rarefactio ex meritis proprijs terminatur ad majorem extensionem localem, nec condensatio ex meritis proprijs terminatur ad majorem extensionem localem, sed rarefactio primariò terminatur ad raritatem, ex qua consequitur major extensio localis, & condensatio primariò terminatur ad densitatem, ex qua consequitur minor extensio localis.

Dixi quòd rarefactio *ex meritis propriis* non terminetur ad majorem extensionem localem, nec condensatio *ex meritis propriis* ad minorem extensionem localem, quia rarefactio & condensatio ratione adjuncti, id est ratione quantitatis per rarefactionem & condensationem modificatæ & applicatæ, bene possunt ad majorem vel minorem extensionem localem terminari.

LIBER SECVNDVS

De ortu & interitu.

QVÆSTIO I.

De Elementis & eorum qualitatibus.

ARTICVLVS UNICVS.

Quid est quot sint Elementa, est quænam qualitates illis conveniant.

CONCLVSIO I.

Elementum est corpus simplex ex quo fiunt alia, ipsum verò non fit ex aliis, seu quod idem est, elementum est id, in quod corpora mixta ultimò resolvuntur, ipsum autem non resolvitur in alia simpliciora corpora.

EXplicatur definitio. dicitur inprimis *corpus* id est compositum ex materia & forma, & per hanc particulam excluduntur â ratione elementi prima principia scilicet materia & forma, quæ non sunt corpora composita.

Dicitur 2. *simplex* per quod elementum differt à mixto, quod non solùm ex materia & forma formaliter componitur, sed insuper virtualiter componitur ex elementis, quæ non actu & formaliter, sed virtualiter duntaxat sunt in illo, & sic elementum dicitur esse simplex, non absolutè, cùm componatur ex materia & forma, sed comparativè ad mixta, quæ mixta dum corrumpuntur, etiam resolvuntur in elementa. nam dum moritur homo v. g. tunc corpus ejus, partim resolvitur in terram, partim in aquam, partim in aërem, partim in ignem saltem mediatè, quatenus nimirum ex corpore mortuo elevantur exhalationes, quæ facilè ignem concipiunt

unt, at verò elementum non est tali modo resolubile, sed solùm resolvi potest in materiam & formam.

CONCLVSIO II.

Quatuor tantùm sunt Elementa, scilicet ignis, aër, aqua, & terra, & quatuor primæ qualitates corundem, scilicet caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas.

PRob. Tot sunt Elementa, quot sunt possibiles combinationes quatuor primarum qualitatum, sed tantùm sunt possibiles quatuor combinationes quatuor primarum qualitatum corpori simplici connaturales, ergo etiam sunt tantùm quatuor elementa. maj.pat. sicut enim quævis connaturalis temperies quatuor primarum qualitatum petit aliquod corpus mixtum, in quo connaturaliter sit, ita quævis connaturalis combinatio earundem quatuor primarum qualitatũi exigit aliquod corpus simplex, cui sit connaturalis & propria. mn.autem prob.quia hæ solùm posset esse combinationes connaturales corpori simplici competentes scilicet calidum & siccum, calidum & humidum, frigidum & humidum, frigidum & siccum: aliæ enim duæ combinationes, quæ fieri possunt, nimirum frigidi & calidi, sicci & humidi, nequeunt esse connaturales ulli corpori simplici, aliàs includerent qualitates inter se pugnantes & contrarias sicut mixtum, & non differret ab illo; ergo tantùm possunt fieri quatuor combinationes primarum quatuor qualitatum.

CONCLVSIO. III.

Ignis est calidus & siccus in summo, aër est calidus & siccus citra summum, seu in gradu remisso; aqua est humida in summo, frigida citra summum, & terra est frigida in summo, & sicca citra summum.

PRob. 1. Pars quia ignis ex omnibus elementis summè calefacit, estque summè activus, habens qualitatem summè activam, quæ supremo modo consummat omnes evaporationes, quibus consumptis, siccitas oritur, ergo ignis est cælidus & siccus in summo.

Prob. 2. Pars. quia calor in summo est proprietas ignis, & humiditas in summo est proprietas aquæ, ergo aër solùm potest esse citra summum calidus, & humidus.

Prob. 3. Pars. quia aqua summè humectat, & plus humectat, quam aër, cum aer quandoque exsiccet, aqua autem, nunquam exsiccat. Deinde frigiditas in summo exsiccat, quod aquæ non potest competere, ergo aqua est humida in summo & frigida citra summum.

Prob. ult. Pars. quia frigiditas in summo, debet competere vel terræ vel aquæ, sed frigiditas in summo non convenit aquæ, cum non sit compatibilis cum summa humiditate, ut ostensum est, ergo frigiditas in summo convenit terræ. Et licèt hæc frigiditas, superficialiter non appareat, apparet tamen in intimis terræ cavernis.

Confir. Ideo aër est calidus citra summum, quia est immediatè post ignem, ergo cum post aërem sit aqua, & post aquam terra, terra ratione hujus summæ distantiæ ab igne erit summè frigida.

Prob. deinde, quod terra solùm sit sicca citra summum. quia siccitas in summo convenit igni, ergo non terræ: maximè quia si terra esset summè sicca jam dudum esset redacta in cineres, quia summe siccum pulverizatur, ut ait Aristoteles, sed consequens non est dicendum ergò nec antecedens.

Arg. 1. contra 2. conclusionem Si daretur elementum ignis positum super aërem, tunc consumeret aërem sibi vixinum, sed hoc non est dicendum, ergo non datur elementum ignis.

Resp. neg. maj. quia corpora cœlestia propter dispositionem Authoris naturæ & universi impediunt, ne ignis aërem vicinum consumat, eò vel maximè quia cælum aqueum, acrimoniam & activitatem ignis attemperat.

Arg. 2. contra 3. aqua est frigidior terrâ, ergo aqua est frigida in summo. Antecedens probatur, tum quia per sensum tactus sentimus majorem frigiditatem in aquâ quàm in terrâ. Tum etiam quia si terra esset summè frigida, tunc non esset apta habitatio hominum, quod dici non debet, ergo.

Resp.

Resp. quod aqua superficialiter sit frigidior terrâ, terra autem superficialiter non est ita frigida, & ita est apta habitatio hominum. In profundis autem speluncis, ubi elementum terræ est purius, ibi inquam terra est summè frigida, & frigidior quàm sit aqua.

Arguitur tertiò. Genes. 1. dicitur, terra autem erat arida, ergo terra est magis sicca, quàm frigida.

Resp. hoc solùm probare, terram esse siccam prope summum. S. Thomas autem, quando 1. p. q. 69. a. 1. ad 5. ait quod in terrâ principalis ejus proprietas sit siccitas, non loquitur ex sententia propriâ, sed solùm loquitur in sententia probabili S. Basilij. Vel dic, quod S. Thomas velit, quod siccitas sit principalis proprietas terræ *nobis magis nota & manifesta*, quàm frigiditas illius.

Quæres primò; quid sit calor tanquam prima qualitas?

Resp. quod calor ut prima qualitas, sit qualitas congregans homogenia, seu similia, & disgregans hetherogenia seu dissimilia, ut v. g. patet incalore resolvente plumbum, cui admixtum est aurum, tunc enim in unum congregantur partes ejusdem rationis v. g. plumbi simul, & partes auri etiam simul; per accidens autem subinde calor involuit partes hetherogenias, ut patet in calore simul congregante lutum & paleas.

Quæres secundò, quid sit frigus?

Resp. quod sit qualitas congregans similaria vel dissimilaria, uti ratione frigiditatis congregantur lapides cum paleis & luto.

Quæres tertiò, quid sit siccitas?

Resp. quod siccitas sit qualitas difficile terminabilis alieno termino, facilè autem proprio, ut ignis ob suam siccitatem difficulter ab alijs terminatur, cùm potiùs circumstantia corpora consummat, & ita non facilè ab alijs terminatur.

Quæres quartò, quid sit humiditas.

Resp. quod sit qualitas difficilè terminabilis à proprio termino, facilè autem terminabilis alieno termino. Et hoc patet in aëre vel aquâ, quæ facile induunt figuram cujuscunque corporis, in quo includuntur, ut v. g. aqua in vase triungulari fit triangularis, inter proprios autem terminos difficulter clauditur, quia semper diffluit, nisi à terrâ vel alio constringeretur.

Resp.

Resp. affirmativè, quia scilicet inter se invicem agunt, & repatiuntur: comparativè tamen ad mixtum magis activè concurrit calidum & frigidum; ècontra autem humidum & siccum magis passivè se habent. Et hoc patet in figulis qui lateres faciunt, ibi enim calor conjungit partes humidas & siccas.

QUÆSTIO II.

De mutua Elementorum generatione?

ARTICULUS UNICUS.

Quomodo Elementa possint ex se mutuò generari?

NOtandùm hic, quædam Elementa esse symbola, quæ nimirum in una qualitate conveniunt, sicut ignis & aër in calore: alia autem Elementa sunt dissimbola, quæ in nulla qualitate conveniunt, sicut ignis & aqua.

Notandùm secundò, quod cum Elementa sint partes principaliores universi, hinc unum elementum non potest totum converti in aliud. Unde solùm quæstio est, an una pars elementi possit converti in aliud elementum.

CONCLUSIO.

Quodlibet Elementum potest ex alio etiam dissimbolo generari, quamvis facilior fiat generatio ex elemento symbolo.

PRob. 1. pars. quia ignis non solùm partem aëris (qui est elementum symbolum) sed etiam partem aquæ (quæ est elementum dissymbolum) potest in ignem convertere, subinde quidem mediatè, ut dum priùs aquam in vaporem, & vaporem in ignem convertit. Subinde autem immediatè propter suam magnitudinem & vehementiam v. g. aliquam guttam aquæ in ignem projectam convertere potest; ergo quodlibet elementum potest ex alio etiam dissimbolo generari.

Probatur secunda pars. Quia facilius est igni destruere tantum

tum unam qualitatem sibi contrariam, quàm duas qualitates elementi dissimboli sibi contrarias, ergo facilius fit generatio ex elemento symbolo quàm dissimbolo.

Arguitur primò, terra habet magnam gravitatem, cujus non est capax aër, & è contra inest aëri magna raritas, cujus terra est incapax, ergo non potest ex aëre generari terra, vel è contra.

Resp. quòd aër tendens ad corruptionem possit habere gravitatem, & similiter terra tendens ad corruptionem possit habere levitatem, ita nimirum, ut tam raritas terræ, quàm gravitas aëris in tantum crescat, ut utriusque elementi formæ pereant.

Arguitur secundò, generatio fundatur in contrarietate, ergo cùm inter elementa dissimbola sit major contrarietas, etiam erit facilior generatio.

Resp. negando consequentiam; contrarietas enim qualitatum conducit quidem ad generationem, facilitatio autem illius generationis desumitur à paucitate contrariorum, dummodo tamen sufficiens activitas in agente inveniatur.

Notandùm hic, quod ex elementis symbolis non possit generari elementum tertium distinctum specie, ut patet in igne & aëre, si enim ex mutuâ reactione remaneret solus calor, tunc non esset apta dispositio ad generationem tertij elementi; si autem remaneret sola humiditas aëris, & siccitas ignis, tunc etiam non posset fieri elementum tertium specie distinctum, quia elementum non componitur ex qualitatibus contrarijs.

Nihilominus ex elementis dissimbolis posset generari tertium elementum specie distinctum, ut patet in igne & aqua: si enim ex illorum mutuâ reactione, ignis produceret calorem in aqua destructâ frigiditate, & aqua vicissim humiditatem in igne destructâ ejus siccitate, tunc solùm remanebit calor & humiditas, quæ est debita combinatio ad generationem aëris, tanquam tertij elementi distincti.

QVÆSTIO III.

De mixtione & mixtis.

ARTICVLVS I.

Quid sit mixtio, & quomodo elementa maneant in mixto.?

NOtan. quod mixtio propriè dicta (de quâ solùm hic est sermo) nil sit aliud, quàm miscibilium alteratorum unio substantialis. adeoq; ad mixtionem requiritur, quod plura corpora per qualitates contrarias inter se ipsas agant & reagant, adeo ut deperdant propriam suam formam substantialem & aliam acquirant. Differt autem mixtio â generatione, quia generatio fit ex privatione ad formam, mixtio autem fit ex pluribus aggregatis in unum inter se reagentibus. hoc præmisso sit.

CONCLVSIO. I.

Possibilis est mixtio non solùm ex elementis, sed etiam ex multis aliis rebus, puta ex liquoribus præsertim specie diversis.

PRob. quia sicut elementa possunt in unum locum congregari, & simul secundùm suas partes sese dividendo agere & reagere in se invicem ratione contrariarum qualitatum, donec sese mutuò corrumpant, ita eodem modo possunt liquores inter se confundi, & sese secundùm suas partes dividere, agendo per suas qualitates sibi invicem contrarias, donec sese mutuò corrumpant, & ex materiâ illorum educatur forma alicujus mixti, ergò.

CONCLUSIO II.

Elementa non manent formaliter secundùm suas formas substantiales in mixto, sed manent solùm in mixto virtualiter, ratione quatuor primarum qualitatum, quæ in mixto sunt, ad quandam temperiem redactæ.

Prob.

PRob. 1. pars, quia aliàs mixtum non esset ens per se sed per accidens, seu per aggregationem, quia formaliter constaret ex pluribus entibus completis, nimirum ex ipsis integris elementis, sed consequens est falsum, ergo & antecedens.

Prob. 2. pars, ibi propriè dicitur aliquid virtualiter manere, ubi manet ejus virtus, sed in mixtis verè manet virtus seu qualitates elementorum, id est humiditas, frigiditas, calor, & siccitas, ergò elementa manent virtualiter in mixto ratione suarum qualitatum ad temperiem redactarum.

Arg. 1. contra 1. Si ex aliquibus liquoribus posset fieri mixtio, tunc maximè fieret ex vino & aquâ, sed ex vino & aqua non potest fieri mixtio, ergo ex liquoribus non potest fieri mixtio. probatur minor, quia Alchimistæ possunt ex vino aquâ mixto extrahere aquam per immissionem medullæ junci, ergo signum est, quod ex aqua & vino non fuerit generatum aliquod mixtum.

Resp. quod si talis aqua extrahatur, tunc signum est, quod vinum fuerit nimis debile ad destruendam substantiam aquæ; vel dic, quod talis aqua solùm possit extrahi, quandò non permittitur sufficiens tempus ad hoc, ut vinum possit agere in aquam, & ejus substantiam destruere; alias si permittatur sufficiens tempus, tunc non potest extrahi ampliùs illa aqua vino infusa, sed solùm extrahitur aliquis humor, qui in colore duntaxat præsefert speciem aquæ, in re tamen vinum est.

Arg. 2. contra 1. Elementa manent formaliter in mixto ratione temperamenti ipsius mixti, sed temperamentũ est quædam quinta simplex qualitas, resultans ex quatuor primis qualitatibus, easque solùm virtualiter continet, ergo elementa manent in mixto ratione alicujus quintæ qualitatis.

Resp. neg. min. temperamentum enim nihil aliud est, quàm ipsæ quatuor primæ qualitates ad debitam temperiem & proportionem redactæ.

Ex dictis intelliges, mixtionem rectè esse definitam, quòd sit miscibilium alteratorum & secundùm suas formas substantiales corruptorum unio quoad materiam & qualitates ad temperiem redactas sub vnâ & eadem forma substantiali mixti.

ARTICVLVS II.

Utrum in mixtis sit dabile temperamentum æquale ad pondus, ita ut in mixto omnes primæ qualitates sint in æquilibrio, nec una alteri prædominetur?

CONCLUSIO. I.

Temperamentum sanguineum est omnium optimum, tum ad vitam & sanitatem, tum etiam ad ingenium.

PRob. 1. pars, quia vita & sanitas maximè consistunt & conservantur in calore, & humiditate, & operationes vitales fiunt beneficio spirituum vitalium, quæ in animali sunt purissimæ partes sanguinis, ergò.

Prob. 2. pars, quia operationes ingenij & intellectûs pro hoc statu dependent ab operationibus sensuum, quibus species vitales aut animales summoperè deserviunt, ergò.

Fateor tamen modicam bilem cum moderatâ melancholiâ juvare ad acumen ingenij, quia moderata bilis facit operationes alacres, melancholia autem juvat ad operationes constantes, si fit moderata.

CONCLUSIO II.

Naturaliter in mixtis non potest dari temperamentum æquale ad pondus.

PRob. quia si daretur in aliquo mixto temperamentum æquale ad pondus, ita ut quatuor qualitates essent in æquilibrio, tunc tale mixtum non haberet locum aliquem naturalem in universo, nec proinde esset naturaliter mobile motu locali, sed consequens est falsum, ergò. Prob. sequela, quia locus naturalis mixti est illud elementum, quod in eo per suas qualitates prædominatur, sed si omnes qualitates elementorum essent in æquilibrio & in omnimodâ æqualitate, tunc nullum elementum prædominaretur in mixto, ergò. Arg.

Arg. 1. contra conclusionem. Perfectissima forma mixti, qualis est anima rationalis, petit perfectissimum temperamentum, sed illud est temperamentum ad pondus, ergò datur tale temperamentum.

Resp. neg. min. perfectissimum enim temperamentum est id, in quo perfectissima reperitur proportio qualitatum cùm prædominio alicujus aut aliquarum ex ipsis, quia cùm eâ salvatur conveniens partium diversitas.

Arg. 2. Saltem in Christo fuit datum temperamentum æquale ad pondus ergo.

Resp. neg. antec. quod in Christo fuerit temperamentum æquale ad pondus, fuit tamen in Christo temperamentum omnium perfectissimum, & ideo corpus ipsius doloribus maximè fuit obnoxium, maximèque ob suam teneritudinem sensitivum.

Quæres hic. Utrum simile possit agere in simile? sensus est, an v. gratia, duo ignes in eodem gradu ut quatuor intensi, in se invicem agere possint?

Resp. quod agens non possit agere in subjectum, quod est sibi simile, tam quoad qualitatem secundùm speciem & gradum spectatum, quàm etiam quoad densitatem & raritatem.

Ratio est: quia omne agens in tantum agit in aliud, in quantum sibi illud intendit assimilare, hic enim est finis agentis & actionis illius, ergò si supponitur passum jam esse omnimodè simile, non aget in illud, cum cessante fine etiam cessent ea, quæ sunt propter finem.

Confir. in tantum agens agit in aliud, in quantum in eo aliquid producit, sed calidum ut quatuor (verbi gratia) non potest in alio secundùm eundem gradum calido producere calorem; non quidem calorem ut quatuor aut infra, cum jam habeat calorem ut quatuor; nec supra, quia agens illud non continet aliud, quàm calorem ut quatuor, ergò agens non potest agere in omninò sibi simile.

QVÆSTIO ULTIMA.

De reproductione rei productæ, seu de circulo & regressu rerum.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum res producta possit eadem numero redire aut reproduci?

CONCLUSIO. I.

Res successivæ, sicut est motus & tempus, semel extinctæ, eadem numero reproduci non possunt.

PRob. quia tempus & motus ad sui unitatem numericam petunt continuitatem suæ durationis, ergò res successivæ. &c. antecedens patet. quia esse unum numero motum, & esse motum continuum, idem sunt. consequentia autem probatur, quia hoc ipso quod motus & tempus extinguantur, debet necessariò interrumpi eorum duratio.

Præterea ex oppositò sequeretur esse unum numero motum, ut supponitur, & non esse unum numero motum, quiaesset interrumptus.

CONCLVSIO II.

Res permanens semel extincta, naturaliter reproduci nequit, bene tamen supernaturaliter.

PRob. 1. pars. quia â privatione ad habitum naturaliter non datur regressus, nec agens naturale potest reproducere eandem actionem, per quam res illa primò fuit producta, ergò res permanens extincta naturaliter reproduci nequit.

Prob. 2. pars quia fide docemur fore resurrectionem mortuorum. ergò. Deinde etiam Deus agit per intellectum & voluntatem, qui actus semper manent in Deo in æternitate, & etiam actio

Divina

Divina continet omnem perfectionem tam specificam quam individualem causæ creatæ, ergò potest Deus eandem rem permanentem semel extinctam reproducere.

Arg. 1. contra 1. conclus. Tempus corruptum adhuc continetur in potentiâ Dei, ut in suâ causâ, ergò potest reproduci â Deo, sicut res permanens.

Resp. Tempus quidem contineri in potentiâ Dei ut productum, non tamen ut reproducibile; tempus enim corruptum ut reproducibile nunquam fuit contentum in potentiâ Dei, non ob defectum virtutis Divinæ, sed ob repugnantiam facti.

Arg. 2. contra 2. conclusionem. aliqua animalia ut pullices, pediculi, reviviscunt. Similiter Leæna Leunculos natos per triduum â nativitate, luget eosdem ut mortuos, post tres dies autem Leo rugitu eos revocat ad vitam. Pellicanus etiam seipsum occidit, & postea proprio sanguine pullos ad vitam revocat, ergò naturaliter res semel extincta reproduci potest.

Respondent aliqui, illa animalia imperfecta non esse eadem numero sed specie, & facilè per operationem astrorum, & caloris naturalis animalis produci.

Resp. tamen secundò, illa animalia potiùs videri mortua, quàm esse mortua, & deinde virtute solis, vel virtute naturali animalis quasi reviviscere. Similiter etiam Leunculi illi solùm putantur esse mortui, in rei veritate autem dormiunt, & deinde à Leone rugiente à somno excitantur. Illud autem quod adducitur de Pellicano est tantùm fabula.

Notandum hîc, quod ens accidentaliter successivum, ut calor, (cùm essentialiter sit ens permanens) bene possit per Dei potentiam reproduci, non autem res essentialiter successiva, qualis est motus & tempus. Pro complemento hujus tractatus.

Quæres, an semen viri necessarium sit ad efformationem fætûs activè concurrendo?

Resp. affirmativè, quia semen est virtus generantis, & cùm semen viri sit materia valde spirituosa, spiritus autem plurimùm ad activitatem conducat, ideo semen viri activè concurrit ad generationem fætûs. Dixi quod semen viri activè concurrat, quia semen

fæminæ

fœminæ solùm concurrit passivè subministrando materiam fœtûs. Licèt autem aliqui medici negent fœminas emittere semen, sed solùm subministrare humorem quendam (sicut spadones) non autem verum semen, verior tamen est sententia communis Philosophorum, quod fœminæ verum semen emittant, eadem sententia colligitur ex S. Th. 1. p. q. 32. a. 4.

Quæres secundò, quo tempore partus humani contingant? Resp. ordinariè contingere nono mense; addit tamen Hypocrates, experientiâ compertum esse, quod etiam mense septimo naturaliter partus contingant. Octavo autem mense ferè semper sunt partus infelices, quia nimirum infantes septimo mense lucem extra maternum uterum videre procurant, quam si non consequantur, egent octavo mense, ut recreentur â labore susceptо; qui si illis non concedatur, sed mense octavo nativitas succedat, labor labori additur, sicque priori labore lassatæ proles, posteriorem laborem sustinere non valent, & ita pereunt. Adeoque nono mense regulariter partus feliciter fit; quanquàm etiam aliqui decimo mense partus contigisse, experientiâ compertum habeant.

Finis utriusque Libri de Ortu & Interitu.

Omnia ad majorem Dei, Deiparæq; Virginis Mariæ Gloriam.

QUÆ-

QUÆSTIO APPENDICULARIS.

De Meteoris.

ARTICULUS I.

Quænam sit Materia remota & proxima meteorum.

CONCLUSIO I.

Materia remota omninm meteorum aut mixtorum imperfectorum est terra aut aqua, propinquior verò vel proxima est vapor aut exhalatio, quæ à terra aut aquâ non differunt substantialiter. ante probationem.

NOtandum, quod vapor nil aliud sit, quàm halitus seu spiratio humida, ex aqua aut è locis humentibus & aquosis, vi caloris à sole vel ab alio agente impressi elevatus, qualem halitum vides ascendentem ex ollâ, in quâ aqua propter subjectum ignem efferveſcit. Exhalatio autem est halitus non humidus sed siccus è terrâ vi caloris ab aliquo agente impressi eductus. Hoc suppositio.

Probatur 1. p. nam ex vaporibus generantur nebulæ, rores, nubes, pluviæ, grandines, &c. ex exhalationibus autem generantur venti, tonitrua, fulmina, cometæ & similia, ex utrisque verò mixtim fiunt alia, maximè verò fossilia, ut lapides, sulphur, &c. nec non metalla, ut aurum & argentum, si non immediatè (volunt enim Alchimistæ metella immediatè fieri ex sulphure & argento vivo) saltem mediatè, quatenus hæc ulterius ex vapore & exhalatione concrescunt, ergo materia proxima meteorum erit vapor, & exhalatio, remota verò terra & aqua, quæ hujusmodi vaporem & exhalationem subministrant. Aër verò & ignis ista non subministrant, quia non habent diversas partes crassas & subtiles, per quarum separationem evaporatio fiat, vel exspiratio.

Prob. 2. p. quia vapor & exhalatio nihil aliud sunt, quàm subtilio-

tiliores partes terræ & aquæ, ergo substantialiter non differunt ab aqua & terra.

CONCLVSIO II.

Causa efficiens per se rerum meteororicarum, est maximè virtus solis & astrorum.

PRobatur. quia sol & astra suo calore pervadendo terram & aquam, easque rarefaciendo seu attenuando, exhalationes & vapores educuut, eductos autem in sublimè elevant, interventû levitatis (quæ calorem & raritatem consequitur) elevatos deinde in varia formant meteora, medijs tamen alijs causis inferioribus, puta in cometas, medio calore supremæ regionis aëris, in nubes & pluvias beneficio frigoris mediæ regionis aëris, in fulgura & fulmina beneficio motus & agitationis, ergò.

Dixi in conclusione *causa per se*, quia causa per accidens seu purè occasionalis etiam potest esse antiperistasis seu contrarium obsidens, ita ut deinde corpus obsessum crescat ratione illius obsessionis, ex quâ excrescentia resultat forma meteori, puta nubis, grandinis, &c.

CONCLVSIO III.

Loca meteorologicarum impressionum propria sunt aër, aqua, & terra, maximè verò aër, ignis verò nunquam, nec corpora cælestia.

PRob. quia in terrâ oriuntur metalla & fossilia, in aquâ & mari etiam contingunt diversæ impressiones, ut æstus salsedo &c. in aëre generantur cometæ, pluviæ, grandines & hujusmodi, quæ propriè meteora vocantur, in igne autem nil tale generatur, quia ille ob activitatem suam & acrimoniam omnia consummit, multò minùs in cælestibus corporibus ob eorum incorruptibilitatem, ergò.

Arg. primò contra primam. Diversæ affectiones insinuant diversas naturas, sed vapores & exhalationes habent diversas affectiones à terrâ & aquâ, hæ enim sunt frigidæ densæ, & graves, illi autem halitus è contra sunt calidi rari & leves, ergò terra & aqua

non

non subministrant illos vapores & exhalationes ad meteora requisitas.

Resp. maj. esse veram de affectionibus nativis & germanis, non autem de adventitijs, & ab extrinseco impressis, quales sunt calor, raritas, & levitas vaporum & exhalationum.

Arg. secundò. Halitus seu spiratio exhalata à rosis v. g. aut carnibus, vel animalibus, est diversæ naturæ ab eis, ergo etiam illæ exhalationes sumptæ à terrâ & aquâ.

Resp. neg. consequentiam, quia spiratio exhalata à terrâ aut aquâ nil aliud est, quàm ipsa terra aut aqua attenuata, ut colligimus ex eo, quod se ipsa revocet ad qualitates nativas suas, quod nequit dici de alijs.

Arguitur tertio. Alchimistæ conficiunt verum aurum & argentum vi caloris ignis, ergo causa per se meteororum non est virtus solis.

Resp. ex dictis in physicâ, quod vel Alchimistæ non conficiant verum aurum, cùm illud aurum nec habeat proprietates veri auri, vel si faciant verum aurum, illud solùm faciunt applicando activa passivis, & per calorem ignis. Cùm quo tamen stat, quod causa *præcipua* meteororum sit virtus ipsius solis, quod solùm conclusio intendit.

ARTICULUS II.

De meteoris ignitis, & quibusdam in aëre apparentibus.

METeora ignita dicuntur exhalationes, quæ flammam concipiunt, quæ proinde antequàm accenduntur, formam terræ habent, ut communiter docent Philosophi.

Inter alia verò ignita in aëre apparentia præcipuè apparet cometa, qui est meteorum ignitum constans multà exhalatione sicca & calida, pingui tamen & crassa, partesque benè coagmentatas & cohærentes habente. Apparet autem cometa subinde crimitus, id est, habens formam crinium, subinde autem barbatus, vel caudatus. Tempus autem in quo gignitur Cometa est preci-

puè autumnus, nam hyemis frigiditas & humiditas evocationem copiosarum exhalationum, impedit, debilis verò calor vernitemporis nequit eas elevare, & deniqúe fervor æstatis illas consummit & dissipat.

Porrò cometæ mali plerumqúe & ordinariè præcursores esse solent, nam vel significant terræ motum, pestem, famem, bellum aut mortem Regis seu alterius magni Principis.

Nascuntur etiam in aëre fulgura & fulmina. Est autem fulgur nil aliud, quàm exhalatio calida & sicca intra nubem inardescens, ex collisione ad ipsam nubem, vel ex motu intra illam, ut per antiperistasim circumobsistentis nubis.

Fulmen verò est similiter exhalatio ignita non in nube manens, sed ex illâ magno impetu excussa & vibrata. ad fulgur & fulmen reducitur tonitruum, quod solùm quendam specialem sonum ob magnam resistentiam nubis, quæ frangitur per fulgura & fulmina, superaddit.

Licèt autem fulmen interdum lapidem deferat (qui in nube ipsâ concrescere & generari potest ex vapore veluti lutoso seu multum exhalationis terrestris habente, ipsâ exhalatione siccâ & accensâ decoquente, siccante, & indurante illum) non tamen ipsum fulmen est lapis, ut homines plæbæi putant, alioquin non esset tam subtile, ut posset corpora traijcere, & per solos poros penetrare, ut facit, sed est ipsa exhalatio sicca & accensa lapidem illum deferens aut trudens, eo modo, quo pulvis tormentarius in bombardâ accensus pilam, aut globum trudit aut defert.

Apparet etiam in aëre Iris, quæ est arcus multicolor in nube roridâ, opacâ, & concavâ ex reflexione radiorum solis oppositi apparens. Dicitur autem Iris (quæ est signum pluviæ, & propter hoc Iris describitur in nube roridâ, quæ in aquam & pluviam facilè resolvitur.) esse multicolor, quia primus & supremus ejus circulus est puniceus, medius viridis, tertius autem & infimus est purpureus.

Quæres hic, an ventus solùm sit aër commotus?

Resp. quod venti non sint aër commotus, sed spirationes aut exhalationes agitatæ, aërem commoventes.

Causa

Causa autem cur venti seu exhalationes illæ in transversum agitentur, duplex est. Prima est vis aut vehementia, quâ ab astris sursùm elevantur exhalationes illæ terrestres ex unâ parte, & ex alterâ parte vehemens etiam impetus, quo â frigore mediæ regionis aëris eas addensante, deorsum retroducuntur. Ex quo fit, quòd cum neutra pars vincat, venti neque sursùm neque deorsum, sed obliquè fluant, aëremque agitent, tantâ subinde vi, ut domos evertant.

Secunda causa est influxus cælorum, & præcipuè Solis ac Lunæ, nam sicut ex impressione Lunæ, mare fluit & refluit, ita ex impressione ejusdem aut aliorum astrorum obliquatur exhalatio, & in hæc inferiora truditur.

Meteora autem aquea, quæ in aëre concrescunt, sunt potissimùm, nubes, pluviæ, nives, grandines, glacies, ros, & pruina. Ex quibus nubes est vapor addensatus, pluvia verò est nubes in aquam soluta. Nix est nubes, quæ antequàm in aquam resolvatur, â vehementi frigore congelatur. Grando est pluvia antequam ad terram pertingat, congelata. Glacies est aqua in stagnis & paludibus, fluminibus, & alijs hujusmodi locis congelata. Ros est vapor exiguus & subtilis in infimâ aëris regione, cùm Cælum est serenum, quietum & tepidum, in tenuem quasi imbrem solutus.

Pruina denique est vapor in infimâ aëris regione ab acri frigore in duriorem quasi nivem, cum aër immotus & serenus est, congelatus. pro horum omnium intelligentiâ majori.

Notandum, quòd aër in tres regiones dividatur, scilicet in infimam, mediam, & supremam. Infima aëris regio est, quæ ab extremâ terræ & aquæ superficie protenditur usque ad eum locum, in quo desinit reflexio solaris. Suprema regio aëris est, quæ inter cavum ignis & paulò infrà altissimorum montium fastigia intercepta est. Media tandem regio aëris est, quæ inter illas duas jacet. Suprema regio aëris propter maximam vicinitatem ignis, est magis calida & sicca: infima etiam regio aëris propter reflexionem solarem est fermè plus calida, quàm naturalis ejus conditio exigat. In media autem regione aër est magis frigidus, tum propter vapores, qui cùm eò perveniunt, sublatis jam impedimentis

ad nativum frigus se se ultrò revocant, tùm propter distantiam radiorum solis, illucusque suâ reflexione non penetrantium, defectum & elongationem.

ARTICVLVS III.

De mixtis imperfectis, seu meteorogicis impressionibus, quæ in aquâ fiunt.

AQua dividitur in maria, fontes, locus, fluvios, torrentes, stagna, paludes, & puteos.

Mare est immensa aquarum congeries, ad quod flumina, unde promanant, relabuntur.

Fons est caput aquæ è terrâ scaturientis, rivis fluminibusque dans quandoque initium.

Lacus est locus profundus, cùm aquis perpetuis ibi natis, rivis etiam aut fluvijs subinde dans initium.

Fluvius est aqua continuò decurrens, perenni fluxu è mari aut aliquo fonte vel lacû emanans.

Torrens est aqua, quæ ex pluvijs vel nivibus liquefactis confluit, atque in æstate torrescit.

Stagnum dicitur ab aquâ stante, & non decurrente, quæ aliquandò siccatur.

Palus est species stagnantis aquæ.

Puteus denique est locus defossus, qui perpetuas habet aquas è terræ venis manantes, non tamen fontium more foras prorumpentes. Ex quo patet; alio modo sumi ly fontem ab hominibus plebæis & alio modo â Philosophis: nam plebæi Ly fons & puteus sumunt pro eodem, cum tamen philosophicè loquendo non sint idem.

Notandum hìc, quod sicut ab influxu Lunæ provenit, quòd mare sex horis fluat, & sex alijs horis refluat, ita incrementum vel decrementum, quod in quibusdam fontibus, lacubus, aut puteis cernitur, procedit ab eodem influxu Lunæ.

Cæterùm sapor salsus in mari causatur interventu ingentis copiæ exhalationum siccarum non omninò decoctarum quibus respersum est, quasque pro maximâ parte DEUS ipsi

didit

indidit tertiâ die creationis Mundi, partim â sole exurente causatas, âventis delatas & decidentes â se receptas.

Eadem ratione salsedo fontium, lacuum, & puteorum provenit vel ex mari, vel ex terris, quas aquæ illæ pertranseunt. Generantur autem in aquis Margaritæ seu uniones, imò sunt etiam quidam fluvij, in quibus virtute solis & astrorum generatur aurum, ut narrat Plinius.

ARTICVLVS IV.

De mixtis imperfectis seu meterologicis impressionibus in terrâ contingentibus?

SUnt subinde in terrâ quidam ignes subterranei, qui in terræ sinu, aut cavernis è sulphure plurimum & bitumine (id est â succo quodam pingui & calido, liquoris oleacei & aerei) accenduntur, & subinde evomuntur exterius.

Fiunt etiam in terrâ quidam terræ motus, cujus nomine intelligitur commotio, seu concussio quædam ipsius terræ, aut saltem alicujus partis illius; neque enim præter terræ motum, qui tempore passionis contigit, ullum generalem fuisse terræ motum existimo.

Causatur autem terræ motus ab halitu seu spiratione alidâ & siccâ terræ viscribus inclusâ, & foras erumpete nitente.

Porro in terrâ, virtute solis atque astrorum generatur aurum argentum stanũ &c. Ex his autem metallis aurum ob suam puritatẽ est præstantissimum, habens etiam occultissimas quasdam virtutes â conditore hujus universi sibi impressus, quibus sanitati humani corporis subvenire possimus. Et hæc de meteoris dicta sufficiant.

Omnia ad majorem Dei, Dei paræq; Virginis Mariæ, gloriam.

TRACTATVS V.

CONTINENS TRES LIBROS DE ANIMA, SEU DE ENTE NATURALI VIVENTE, ET VITALITER MOBILI.

TRansactis libris de ortu & interitu, nunc in tres Libros de anima disserendum restat. Est autem objectum formale *quo* hujus Tractatus, ipsa anima, objectum autem formale *quod* est ipsum ens animatũ, seu mobile ad formam intrinsecam animatam. Cujus ratio est. quia objectum horum librorum continetur tanquam pars & species sub objecto totali Physicæ, sed objectũ totius Physicæ est ens mobile, ergo horum librorum objectum *quod*, est ens mobile speciale, scil. ens animatum: Anima autem est objectum formale *quo*, cum aliud specialius objectum assignari nequeat.

LIBER PRIMVS De Anima.

CIrca Librum primum prorsus nil speciale est, quod Aristoteles tradit. Nam Aristoteles in hoc libro primo, duo tantùm facit, proponendo scilicet dignitatem hujus Tractatûs propter nobilitatem objecti, & deinde monstrando ejusdem Tractatûs utilitatem, eò quòd notitia hujus tra-

ctatûs viam sternat ad Ethicam, Metaphysicam & alias scientias addiscendas. In tertio autem capite hujus libri ostendit Aristoteles animam non movere se ipsam, sed moveri â primo motore Deo, in 4. verò capite demonstrat, quòd anima non sit quædam harmonia, & tandem in 5. capite asserit, quòd anima non sit corpus quoddam subtilissimum. Unde paucis insinuatis ijs, quæ in hoc libro primo tractantur, cum specialem difficultatem non habeant, ad librum secundum accedam. Sit ergò.

LIBER SECVNDVS
De Anima.

QUÆSTIO I.
De Essentia animæ in communi, nec non de divisione animæ & modis vivendi.

ARTICULUS I.
Quomodo definiatur anima?

CONCLUSIO.
Anima benè definitur, quòd sit actus primus corporis physici organici, potentiâ vitam habentis.

EXplicatur definitio. dicitur *actus*, quæ particula ponitur loco generis, quia per hanc convenit anima cum formis accidentalibus, distinguitur autem ab illis per *ly primus*, quia anima est actus primus, id est simpliciter dans esse, quod formis accidentalibus non convenit.

Dicitur 2. *Corporis Physici* ad differentiam substantiæ angelicæ, quæ ita est forma *subsistens completa*, ut non admittat corpus tanquam sui compartem.

Dicitur 3. *Organici*, non quasi anima præsupponat corpus organizatum, sed quia ipsa facit corpus organizatum organizatione substantiali & radicaliter, id est, facit corpus vivum exigens partes

partes heterogenias, quæ sunt diversæ rationis â se invicem, sicut caput v. g. est diversæ rationis â pede.

Dicitur ultimò. *Potentiá vitam habentis*, id est, habentis potentiam ad hoc ut vivat vitâ accidentali & in actu secundo, quæ à vita substantiali, ut à prima radice & â potentijs vitalibus, ut â principio proximo procedit, qualis vita est accretio, nutritio, augmentatio &c. & hæc definitio convenit etiam animæ rationali, quia anima rationalis ut talis est forma corporis humani.

Arg. 1. Anima est potissima perfectio rei animatæ, ergo non est actus primus, sed actus secundus. prob. conseq. quia actus secundus est perfectior, quàm actus primus.

Resp. dist. Antec. actus secundus est perfectior actu primo, si uterque spectet ad ordinem substantiæ conced. Antec. si actus primus spectet ad ordinem substantiæ, actus autem secundus ad ordinem accidentis neg. ant. & conseq. Anima autem rationalis spectat ad ordinem substantiæ, habetq; se per modum radicis ad omnes potentias â substantia dimanantes.

Arg. 2. cont. illam particulam *ly Corporis*. quod advenit materiæ nudæ, non est actus corporis physici, sed anima advenit materiæ nudæ, ergo non est actus corporis physici. min. prob. Quia anima advenit materiæ existenti sub forma corporeitatis, ut ordinariè fatentur Thomistæ, ergo anima non advenit materiæ nudæ.

Resp. dist. antec. anima ut est forma & secundùm suam entitatem considerata advenit materiæ nudæ conced. antec. anima ut anima seu quatenus tribuit gradum vitæ, neg. antec. ergò anima non est actus corporis, si consideretut secundùm suam entitatem conced. conseq. si consideretur anima prout tribuit gradum vitæ neg. conseq. Hic autem non loquor de animâ secundùm suam entitatem & substantiam absolutè, quia ut sic, advenit materiæ nudæ, sed loquor de anima, secundùm quod est anima, id est, secundùm quod tribuit gradum vitæ, cùm ergo hic gradus vitæ sit posterior gradu corporeitatis, hinc præsupponit gradum corporis; adeoq; anima ut anima, est actus corporis, non quidem constituti in esse talis ab alia formâ vel actu, sed â se præsupositi.

Nec dicas: hinc sequi animam advenire enti in actu. Nam ad

hoc necesse esset, quod adveniret absolutè & secundùm suam entitatem enti in actu constituto per aliam formam, non autem quatenus præcisè consideratur ut informans secundùm ultimum suum gradum vitæ. Nec dicas, ergo non est differentia inter formas animatas & inanimatas, cum etiam hæ formæ inanimatæ præter gradum communem corporeitatis, tribuant hunc specialem gradum corporeitatis. Nam formæ animatæ tribuunt gradum specificum & activitatem supra omnem formam corpoream, quod tamen aliæ formæ non faciunt.

ARTICVLVS II.

Quot sint animæ in genere & quot sint modi vivendi?

CONCLUSIO I.

Anima ut sic benè dividitur in vegetativam, sensitivam & rationalem. ita Arist. lib. 2. de anima. c. 3. & S. Th ibid, lect. 4.

PRob. Anima ut sic est principium radicale vivendi vel movendi se, (in quo vivens differt à non vivente) vivens enim est id, quod habet principium activum sui motûs, non vivens autem habet principium passivum duntaxat, ergo tot erunt animæ, quot erunt diversa genera vivendi, sed sunt tantùm tria genera vitæ, scilicet vegetativæ, sensitivæ & rationalis, v. g. vegetativæ in plantis, sensitivæ in animalibus, & animæ rationalis in homine, ergo tantùm sunt tres animæ, scil. vegetativa, sensitiva, & rationalis.

CONCLUSIO II.

Quatuor sunt modi vivendi, quorum alij seorsim ab alijs reperiri possunt, scil. vegetativus, sensitivus, locomotivus & intellectivus.

Ita S. Th. 1. p. q. 78. a. 1.

PRob. Tot sunt modi vivendi, quot modis contingit haberi vitam, sed hoc fit tantùm quatuor modis. ergo. maj. patet: min. autem prob. Nam ea tantùm habent vitam, quæ se ipsa movent, vel quò ad executionem tantùm, prout vegetativa, vel quo ad executionem & formam simul, ut sensitiva (ex quibus tamen aliqua non cognoscunt objecta, nec localiter moventur ad illa, ut

Conchi-

Conchilia, alia autem cognoscunt non tantùm objecta, sed etiam ad illa se movent, ut alia bruta perfecta, & hæc bruta perfecta constituunt tertium gradum vivendi seu localiter se movendi: Et quia ista bruta perfecta non tantùm habent suas potentias â generante, sed etiam habent species objectorum medijs sensibus acquisitas, quæ species in ordine sensibili sunt ipsæ formæ, ideo talia bruta dicuntur movere se quoad executionem & formam simul. Tandem alia sunt, quæ se movent non tantùm quò ad executionem, & formam, sed etiam quo ad finem, cognoscendo proportionem finis cum medio, quod soli homini convenit, ergo.

Arg. 1. contra 1. In bona divisione unum membrum non debet includi in alio, sed anima vegetativa includitur insensitiva, & sensitiva in rationali, ergo non est bona prædicta divisio.

Resp. animam vegetativam ut limitatam ad solum gradum vegetandi (qualis est forma plantæ) non includi in sensitiva, nec sensitiva ut est limitata ad solum gradum sentiendi (qualis est forma bruti) includitur in rationali, sed potius se invicem excludunt. Et sub hâc ratione sunt membra dividentia animam ut sic.

Arg. secundò contra eandem. Quatuor sunt modi vivendi, ergo etiam sunt quatuor animæ, quæ sunt principia horum actuum.

Resp. neg. conseq. disparitas est, genera enim animarum sumuntur ex diverso genere operandi, in movendo se supra modum inanimatorum, modi autem seu gradus viventium sumuntur ex majori vel minori perfectione intrà idem genus se movendi. Unde dum gradus viventium dividitur in sensitivum & locomotivum, tunc inquam ly sensitivum dicit imperfectum modum seu gradum in genere sensus, sicut sunt animalia, quæ habent quidem sensum tactûs & motum dilatationis vel restrictionis, non tamen habent motum progressivum, eò quod omnes sensus perfectè non habeant: ut sunt Conchilia & ostreæ. Cæterùm locomotivum sumitur pro gradu *perfecto* intra idem genus *sensitivum*. Jam autē cum animæ dividantur pænes ipsa *generavitæ* & se movendi supra *genus* inanimatorum, idcirco inquam locomotivum & sensitivum continentur sub eodem genere movendi se supra modum inanimatorum, ac proinde anima non dividitur penes esse sensitivum & locomotivum.

Porrò locomotivum ut est gradus vivendi, sumitur hic pro locomotivo *perfecto tantùm*, & ita sumptum non est idem quod *sensitivum tantùm*, nec convenit omnibus animalibus, sed tantùm istis, *quæ habent sensus perfectos, quibus cognoscunt distantia*, id est, quæ non solùm habent *sensum tactûs*, sed etiam alios *sensus*.

ARTICULUS III.

Utrum in vivente sit tantùm una anima, & quomodo vegetativa in sensitivâ, & utraque in rationali contineantur?

CONCLUSIO. I.

In quovis vivente solùm est unica anima substantialis.

PRob. nam si in composito naturali essent plures formæ substantiales, tunc illud non esset ens per se, sed solùm per accidens, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Prob. sequela: quia secunda forma substantialis jam adveniret enti constituto in actu per formam substantialē, ponereturq; talis res directè in prædicamento substantiæ tanquam aliquid completum ergo.

Prob. conclusio 2. Nam anima rationalis v. g est corporea ut quo, vegetativa, sensitiva & intellectiva, ergo potest esse forma corporis, eique tribuere gradum vegetandi, sentiendi & intelligendi.

CONCLUSIO II.

Anima rationalis continet animam vegetativam & sensitivam formaliter eminenter, ita ut anima rationalis possit tribuere corpori verum vegetandi gradum & sentiendi. Ita S. Th. q. de anima. a. 11. & 1. p. q. 6. a. 4.

PRob. quia continere aliquid formaliter est includere in se rationem formalem rei contentæ; sed anima rationalis includit in se rationem formalem, formæ sensitivæ vegetativæ & corporeæ substantialis, ergo anima rationalis est formaliter vegetativa, sensitiva, corporea (*ut quo*) & forma substantialis. Prob. min. quia anima rationalis formaliter constituit hominem in ratione substantiæ corporeæ vegetativæ, sensitivæ & rationalis, ergo etiam

etiam ipsa formaliter ut quo erit corporea, vegetativa, & sensitiva. Prob. conseq. Implicat quòd forma tribuat aliquem effectum formalem, seu constituat aliquid formaliter tale *ut quod*, nisi ipsa sit formaliter talis *ut quo*, cum effectus formalis primarius nil aliud sit quàm ipsa forma ut communicata: ergo. Quod autem anima rationalis contineat gradus inferiores non solum formaliter sed etiam eminenter.

Prob. quia continere formaliter eminenter aliquid est includere ejus rationem formalem seclusis imperfectionibus & sine limitatione, sed anima rationalis continet sensitivam sine imperfectionibus & limitatione, quam habet in bruto, in quo est sensitiva tantùm sine rationali; & formaliter anima rationalis est vegetativa sine limitatione ad illam, quam habet in plantis, & denique anima rationalis est corporea *ut quo*, sine imperfectionibus & limitatione, quam habet res purè corporea: anima enim rationalis ita est corporea *ut quo*, ut non sit solùm talis, sed etiam vegetativa, rursus ita est vegetativa, ut tamen etiam sit sensitiva, & tandem ita est sensitiva, ut tamen etiam sit rationalis, ergo anima rationalis non solùm formaliter sed etiam eminenter est sensitiva, vegetativa, & corporea *ut quo*.

Ex quo habetur, concl. non intendere, quòd anima rationalis contineat formaliter animam sensitivam & vegetativam secundùm suas speciales differentias, quas habent in brutis aut plantis, aliàs homo esset formaliter brutum aut planta, sed solùm continet animam vegetativam & sensitivam secundùm rationes communes sublatis imperfectionibus.

Arg. 1. contra 1. Mortuo homine manet eadem ejus numero forma corporea, quæ erat antea, ergo forma corporeitatis est realiter distincta ab alia forma specifica, & consequenter in composito substantiali dabuntur saltem duæ formæ substantiales. Prob. antec. quia aliàs in triduo mortis Christi non mansisset idem numero corpus, nec possemus dicere, quòd hæ sint eædem numero reliquiæ hujus Sancti, quod tamen est falsum: ergo.

Resp. neg. antec. ad probationem dicitur. Quòd si ly corpus sumatur pro composito ex materia & forma, tunc non mansit in triduo

triduo idem corpus Christi, quia ibi habuit formam cadavereitatis, si autem sumatur ly corpus pro sola materia, tunc fuit idem numero corpus, quia eadem materia, quæ fuit sub forma rationali in illo triduo erat sub forma cadaverina, eadem inquâ, si non formaliter ob novam sigillationē seu ordinem ad distinctam quantitatem, saltem materialiter in se spectata, & in hoc sensu dicimus, hoc corpus aut has reliquias esse hujus Sancti. Est tamē differētia inter corpus Christi in triduo mortis & inter reliquias Sanctorum, quia corpus Christi in triduo mortis adhuc subsistebat subsistentiâ & existentiâ verbi, quam ante habebat, reliquiæ autem Sanctorum non subsistunt etiam eâdem subsistentiâ quam habebant sub forma seu anima rationali.

Arg. 2. Si anima rationalis esset vegetativa formaliter, deberet etiam dici corporea, quia sicut dat esse vegetativum, sic etiam dat esse corporeum, sed anima rationalis non potest dici corporea, ergo nec etiam potest dici vegetativa.

Resp. Animam rationalem posse dici corpoream *ut quo*, in quantùm est forma corporis, non tamen potest dici vegetativa *ut quod*, quia anima rationalis in se est spiritualis.

Dices Si anima rationalis solùm esset corporea *ut quo*, sequitur quod non sit differentia inter animam rationalem & alias formas materiales, sed consequens est falsum, ergo & antecedens.

Prob. sequela. quia etiam aliæ formæ materiales solùm sunt corporeæ *ut quo*. ergo.

Resp. neg. sequel. ad prob. dist. anteced. etiam aliæ formæ materiales sunt corporeæ ut quo absque limitatione, seu cum extensione ad alios gradus superiores neg. ant. cum tali limitatione & sine extensione ad alios gradus superiores conced. ant. & neg. cons. Nam forma ligni v. g. ita est corporea, ut se non extendat ad gradum sentiendi vel ratiocinandi, anima autem rationalis est quidem corporea ut quo, ita tamen ut adhuc se extendat ad alios gradus superiores vegetandi, sentiendi, & intelligendi,

QUÆ-

QVÆSTIO II.

De Informatione & indivisibilitate animæ.

ARTICULUS I.

Utrum quatuor humores, dentes ungues & capilli informentur seu vivant animâ totius.

NOtandum. Quòd, cùm homo sit microcosmus id est parvus mundus, hinc sicut in mundo sunt quatuor elementa, ita in homine sunt quatuor humores, his quatuor elementis correspondentes. Nam flava bilis, quæ est calida & sicca correspondet igni, sanguis, qui est calidus & humidus, correspondet aëri, phlegma seu pituita quæ est frigida & humida, correspondet aquæ,& melancholia, quæ est frigida & sicca, correspondet terræ.

Notandum 2. quòd duplex sit sanguis, unus substantialis, qui est unus ex quatuor humoribus, & alius nutrimentalis, qui in colore est quidem similis sanguini substantiali, non tamen participat veram & substantialem rationem sanguinis, dicitur autem nutrimentalis;quia ex eo immediate nutritur animal. Porrò quæ hic de sanguine dixi, etiam applicari debent alijs tribus humoribus, ita ut alia sit pituita naturalis, alia autem nutrimentalis & similitudinaria &c.

CONCLUSIO. I.

Non tantum ossa, nervi, caro, sed etiam sanguis perfectus, aliiq; tres humores naturales, scilicet pituita, cholera & melancholia informantur seu vivunt animâ totius.

PRima Pars admittitur ab omnibus & prob. Nam quidquid pertinet ad integritatem naturæ, hoc informatur animâ totius, sed caro ossa & nervi pertinent ad integritatem naturæ, ergo informantur animâ totius.

Prob. 2. Pars.nam sicut quatuor elementa comparantur tanquam partes principales ad universum,ita quatuor humores com-

parantur ad hominem tanquam parvum mundum seu microcosmum; sed quatuor elementa spectant ad hoc universum tanquam principales ejus partes, ergo etiam quatuor humores spectabunt ad hominis compositionem, sed quidquid spectat ad integritatem substantialem hominis, informatur anima rationali, ergo etiam isti quatuor humores informantur anima rationali.

CONCLVSIO II.

Dentes, ungues & capilli informantur anima totius.

PRob. quia dentes ungues & capilli verè crescunt per intus susceptionem alimenti & per radices, sicut crescunt arbores, ergo etiam vivunt, sed non vivunt animâ distinctâ ab anima rationali, cùm in homine solùm sit una anima, ergo vivunt & informantur animâ totiùs.

Arg. 1. alimentum non informatur animâ, sed sanguis est alimentum animalis juxta medicos, cum animal immediatè nutriatur ex sanguine, ergò sanguis non vivit.

Resp. Concessâ majori dist. min. sanguis perfectus est nutrimentum animalis neg. min. sanguis imperfectus & similitudinarius conced. min. & similiter dist. conseq. Et hoc modo etiam intelligendus est S. Th. quando dixit, quòd sanguis sit nutrimentum viventis.

Dices etiam sanguis perfectus est solùm nutrimentum viventis, cùm ex illo fiant partes solidæ, puta caro ossa & nervi, ergo nec iste sanguis perfectus informatur animâ. Probatur consequentia. Quia nutritio est mutatio substantialis de non esse formæ substantialis ad esse illius, ergo si sanguis perfectus sit solùm nutrimentum viventis, necdum vivit, sed primò per conversionem in carnem vel ossa aquirit formam viventis.

Resp. neg. conseq. ad prob. dicitur, nutritionem esse subinde transitum absolutè de non esse formæ ad esse formæ illius, quandoque verò esse transitum de uno gradu vivendi ad alium gradum, ut in præsenti fit, quando enim fit nutritio ex sanguine imperfecto & similitudinario, tunc absolutè fit transitus de non esse formæ viventis ad esse illius. Quando autem fit nutritio ex sanguine

guine puro & naturali, ita ut acquiratur nova pars substantiæ vivæ, scilicet caro vel ossa, tunc non fit transitus de non esse formæ viventis ad esse illius, sed solùm fit transitus de gradu vegelabili ad gradum sensitivum.

Arg. 2. si sanguis informatur animâ, sequitur quòd Christus debuerit reassumere totum sanguinem, quem effudit toto tempore passionis, sed hoc est falsum, quia de facto adhuc retinetur sanguis Christi Romæ, ergo sanguis non informatur animâ. maj. pat. Nam quod Christus semel assumpsit, nunquam dimisit.

Resp. quòd Christus reassumpserit omnem sanguinem naturalem & perfectum; non autem reassumpserit sanguinem imperfectum & similitudinarium, qui adhuc solùm retinetur Romæ & in alijs partibus. Igitur sanguis, quem Christus emisit per sudorem, solùm fuit sanguis imperfectus, ac proinde illum non reassumpsit.

Dices. ergo etiam Christus reassumpsit omnes capillos, cum isti vivant, & tamen adhuc asservantur aliqui capilli.

Resp. neg. sequel. Quia illud axioma, quod Christus assumpsit, nunquam dimisit, solùm intelligendum est de partibus principalioribus & per se spectantibus ad integritatem naturæ, quòd Christus eas nunquam dimiserit, vel certè reassumpserit, non autem de partibus minus principalibus, quales sunt capilli aut ungues. Sed de his plura Theologi.

Nota hîc. quòd licèt per se & ordinariè semen & lac fiant ex superfluo alimento, natura tamen, quæ est in omnibus provida, dum videt quod deficiat semen aut lac necessarium ad conservationem speciei, ideo ex illo alimento, quod convertendum erat in substantiam aliti, partim convertit in semen, partim in lac. Porrò quiâ tam lac quàm semen non ordinantur ad conservationem vel perfectionem integralem ejus in quo est, sed alterius individui suæ speciei, ideo valde probabiliter tenent multi philosophi, quòd nec lac nec semen vivant animâ totius.

Nam licèt causa principalis concurrens ad generationem debeat vivere, non tamen ejus causa instrumentalis, qualis est semen, sed sufficit quòd semen vivat in potentiâ ut ait Aristoteles 2. de anima tex. 10. Et licet etiâ illa semina, quæ simul sunt fructus,

(ut sunt semina arborum &c.) vivant, non tamen illa semina, quæ non sunt simul fructus, ut sunt semina animalium. Nihilominus contraria sententia de semine, suâ probabilitate non caret.

ARTICULUS II.

Utrum anima sit divisibilis vel indivisibilis?

CONCLUSIO. I.

Animæ plantarum & imperfectorum animalium (quæ dicuntur sectilia) ut sunt vermes, serpentes & hujusmodi, sunt divisibiles.

PRob. Quia quod dividitur, est divisibile, sed animæ plantarum & hujusmodi animalium imperfectorum dividuntur, ergo sunt divisibiles. Prob.min. Nam partes illæ divisæ in plantis adhuc vivunt & nutriuntur, in animalibus autē illis imperfectis partes abscissæ adhuc moventur, ut patet in serpente diviso.ergo.

CONCLVSIO II.

Anima rationalis & aliorum animalium perfectorum non sunt divisibiles.

PRob. 1. p. Nam anima rationalis est spiritualis entitativè, ergo non est divisibilis. prob. conseq. quia ratio partium tantùm convenit rebus quantitativis & materialibus.

Prob. 2. p. Quia nunquam videmus partem abscissam animalis perfecti sive hominis sive leonis sive equi &c. vivere: ergo animæ hujusmodi animalium perfectorum non sunt divisibiles.

Ex quibus patet. quod animalia imperfecta habeant corpora ita organizata, ut ad minus aliquam operationem vitalem v. g. motum dilatationis vel constrictionis exercere possint in omnibus suis partibus etiam abscissis, hoc autem partibus abscissis animalium perfectorum non convenit.

Arg. 1. Supra rejeci formas partiales, ergo formæ animalium imperfectorum non habent partes, in quas dividi possunt.

Resp. me rejecisse formas partiales heterogenias & specie inter se diversas, sive à formâ totali distinguantur, sive dicantur eam con-

conflare non autem rejeci formas partiales homogenias, id est partes formæ ejusdem rationis inter se, in quas dividi possint beneficio quantitatis, à qua rationem partium formaliter sortiuntur, quas partes in animabus imperfectis animalium admittendas esse convincit ratio; maximè cùm sint magis immersæ materiæ quàm aliæ formæ animalium perfectorum.

Arg. 2. dum homo decapitatur tunc caput abscissum subinde adhuc movet oculos vel aperit os. Imò caput S. Pauli abscissum adhuc ter saltavit in terra exclamando nomen Iesûs: ergo pars separata animalis perfecti vivit.

R. neg. quòd hujusmodi partiũ motus vel saltus sint â principio activo interno, sed sunt â virtute impulsiva, per principiũ externũ, (nimirum â spiritibus vitalibus immediatè antea ad locum læsum magno cum impetu confluentibus) capiti impressa, naturaliter loquendo.

Quod addo, quia illud quod legitur de capite S. Pauli, fuerat miraculosum, nec tamen illi motus aut verba erant vitalia seu ab interno principio, sed fiebant virtute divinâ.

QVÆSTIO III.

De potentijs animæ in communi.

ARTICVLVS UNICUS.

Quot sint genera potentiarum & quodnam sit illorum subjectum?

SUpponendum hic tanquam certum, quòd potentiæ specificentur per ordinem ad actus & objecta formalia, quia per ordinem ad actus & objecta formalia diversificantur potentiæ, ut patet: ergo etiam ab illis specificantur, cum idem sit specificativum seu constitutivum rei, quod est illius distinctivum. hoc præmisso sit.

CONCLVSIO. I.

Quinque sunt genera potentiarum seu facultatum animæ in varias species divisibilia, nimirum vegetativum, sensitivum, appetitivum & locomotivum,

PRob. Quia potentiæ vitales (ad differentiam potentiarum non vitalium, quæ versantur circa res maximè externas) habent quintuplex objectum conjunctum formaliter distinctum, ergo etiam dantur quinq; genera potentiarum. conseq. patet, quia objecta formaliter distincta diversificant potentias. antec. autem prob. nam id, circa quod facultas animæ operatur, vel est alimentum intus susceptum ut convertibile in propriam substantiam, vel mediante semine est convertibile in aliam substantiam, & ad hoc ordinatur potentia vegetativa, vel est aliquid sensibile singulare, & ad hoc ordinatur potentia sensitiva: vel est universale ut intelligibile, ad quod ordinatur potentia intellectiva, vel est bonum sub ratione boni, & est illud idem objectum sensibile aut intelligibile, repræsentatum sub ratione convenientis prout solùm terminat actum intentionis, & pro hoc datur potentia appetitiva. Vel solum est bonum apprehensum & desideratum ut assequibile per motum localem, seu ut terminat motum executionis mediorum, & ad hoc ponitur potentia locomotiva. Primum itaque ex istis objectis unitur viventi realiter secundùm suam entitatem physicam ut constat, alia autem uniuntur intentionaliter & per species, vel omnino spirituales & â materia depuratas, sicut unitur objectum potentiæ intellectivæ, vel aliquo modo adhuc materiales in esse intentionali, qua ratione unitur objectum potentiæ sensitivæ, ergo.

Prob. 2. p. quia sicut prædictæ operationes & objecta dividuntur in ulteriores species, ita etiam potentiæ: nam potentia vegetativa dividitur in nutritivam, augmentativam & generativam, sentitiva autem dividitur in sensus externos, ut visum, auditum, &c. & sensus internos ut phantasiam, sensus communes &c. potentia intellectiva in intellectum agentem & possibilem, appetitiva in sensitivam & rationalem seu volitivam, & tandem locomotiva dividitur in facultatem progressivam, volativam, natativam dilatativam &c. ergo ista quinque genera potentiarum sunt divisibilia in diversas species.

CONCLUSIO. II.

Potentiæ organicæ animæ subjectantur immediatè in composito, & non in sola materia aut forma. Prob.

PRob. qnia illud est subjectum potentiarum organicarum, quod primò & per se per eas operatur, sed primò & per se operatur per illas ipsum compositum: ergo. major patet & minor similiter constat; quia ideo virtus calefactiva subjectatur in igne, quia ignis media virtute calefactiva operatur.ergo.

Nec refert, quòd omnes potentiæ vitales tanquam proprietates ab essentia animæ dimanent, & consequenter videantur in ea subjectari: quia potentiæ organicæ non dimanant immediatè ab essentia animæ, sed tantùm mediantibus organis corporeis.

Arg. 1. contra 1. conclusionem. appetere convenit cuivis potentiæ, cum quævis potentia appetat suum objectum, ergo appetitivum non debet constituere speciale genus potentiæ.

Resp. quod appetitus sit duplex. Unus naturalis & innatus per modum ponderis vel naturalis inclinationis consequens cujuscunque rei essentiam. Alius autem est elicitus consequens apprehensionem vel cognitionem. Primus ergo appetitus convenit omnibus potentijs, non autem secundus, & ideo ponitur quinta potentia appetitiva.

Arg. 2. sensus & intellectus sunt duo genera potentiarum, ergo etiam appetitus sensitivus & rationalis, & consequenter erunt sex genera potentiarum.

Resp. neg. conseq. disparitas est. Quia sensus versatur circa singularia, intellectus autem circa universalia. At verò uterq; aputpetis, nimirum tam appetitus sensitivus quàm intellectivus fertur in idem objectum, nimirum in singularia, non enim appetimus bonum universale *& in abstracto*, sed hoc vel illud in particulari, & consequenter uterquè appetitus habet idem genus objecti. Cùm ergo constet ex dictis, quòd potentiæ diversificentur in ordine ad objecta, & appetitus tam sensitivus quàm intellectivus habet idem objectum, non autem sensus & intellectus, hinc sensus & intellectus constituunt diversum genus potentiarum animæ, non autem appetitus rationalis & sensitivus.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De anima vegetativa ejusq; potentijs.

ARTICVLVS UNICUS.

Quid sit anima vegetativa & quænam ejus potentiæ?

CONCLVSIO I.

Anima vegetativa bene definitur, quòd sit actus primus corporis physici organici potentiâ vitam vegetativam habentis.

ET hæc definitio convenit animæ vegetativæ in ratione essentiæ seu in esse entitativo spectatæ, nec eget explicatione, sed jam patet ex dictis. Si tamen consideratur anima vegetativa in ordine operativo & in ratione naturæ, tunc definitur, quod sit principium nutriendi & augendi in ijs, quæ solùm nutriuntur & augentur, sit autem etiam principium generandi in ijs duntaxat, quæ generant sibi simile.

CONCLUSIO II.

Anima vegetativa ut sic *prout abstrahit ab animabus viventium tam perfectorum quàm imperfectorum, habet tantùm duas potentias, scilicet nutritivam & augmentativam; sumpta autem in particulari prout contracta est ad gradus viventium, quæ sibi simile generant aut generare possunt, habet adjunctam tertiam potentiam, scilicet generativam.*

PRob. 1. p. quia omni viventi convenit quod se ab intrinseco nutriat & augeat, in quo differt vivens à non vivente, ergo anima vegetativa in communi tantùm habet potentiam nutritivam & augmentativam.

Prob. 2. p. ab actu ad potentiam est bona consequentia, sed viventia perfecta actu generant sibi simile, ergo etiam habent potentiam generativam.

CONCLVSIO. III.

Generatio simpliciter loquendo est opus connaturalissimum viventis perfecti. dixi

DIxi in conclusione, *simpliciter loquendo*, ut insinuem intellectiones & volitiones, cum sint spirituales, esse aliquid perfectius secundùm quid ipsa generatione materiali, simpliciter tamen generatio substantialis est perfectior, quia habet perfectiorem terminum per generationem productum, nimirum ipsam substantiam, cum tamen per intellectionem solùm producatur aliquod accidens, nimirum species expressa. Ex his.

Prob. conclusio. Illud est opus connaturalissimum quod est opus perfectissimum intra lineam substantiæ, sed talis est generatio, utpote quæ terminatur ad substantiam totalem per se subsistentem, ergo.

Confir. id est opus connaturalissimum, ad quod viventia perfecta maximè inclinantur, sed omnia viventia perfecta maxime inclinantur ad generationem, ita ut ab hac solùm per gratiam Dei cessare possint, ergo.

Arg. 1. contra 1. Generatio etiam convenit non viventibus, ergo male ponitur pro potentia animæ virtus generativa. Antecedens pat. in generatione ignis.

Resp. hic non esse sermonem de generatione communiter dicta, sed de generatione vitali, quæ fit à principio cunjuncto ipsi viventi, sub qua ratione generatio non convenit non viventibus.

Arg. 2. plures sunt potentiæ animæ vegetativæ ut attractio cibi; digestio, decoctio &c. ergo plures sunt facultates animæ vegetativæ.

Resp. dictas tres potentias, nutritivam scilicet augmentativam, & generativam, esse generales, quæ sub se continent alias speciales; unde hæ posteriores spectant ad nutritivam, cui famulantur & dispositive operantur ad generationem substantiæ.

ARTICULUS II.

An & quid sit nutritio & augmentatio?

CONCLUSIO I.

Datur vera nutritio & augmentatio.

PRob. nam videmus quod animalia post sui generationem per actionem caloris naturalis deperdant quasdam partes sub-

ſtantiæ, maximè dum infirmantur, deinde etiam per nutritionem ex alimento factam iterum novas partes & etiam novam quantitatem (ut maximè patet in viventibus, qui creſcunt) aquirunt, ergo datur à parte rei nutritio & augmentatio.

CONCLVSIO II.

Nutritio bene definitur, quod ſit motus terminatus ad novam partem ſubſtantiæ per converſionem alimenti in ſubſtantiam aliti. Augmentatio verò bene definitur, quod ſit motus terminatus ad majorem quantitatem, quàm fuerat deperdita, vel quod ſit motus à minori quantitate ad ad majorem.

HÆc concluſio patet ex dictis, nec eget explicatione, patetque ex illo, quod nutritio & augmentatio inter ſe diſtinguantur, tam ut actiones, quàm ut mutationes ſunt. Quia nutritio & augmentatio habent diverſos terminos primarios, ergo diſtinguuntur realiter. Probatur antec. nutritio enim in quantum actio, primario ordine executionis terminatur ad formam aliti ut ad terminum *quo* & ad ipſum ſuppoſitum alitum reduplicàtive ut tale ſeu ut alitum, tanquam ad terminum *qui*, at vero augmentario tam ut actio quàm ut mutatio per ſe primò terminatur ad quantitatem ut ad terminum *quo* & ad ſuppoſitum *prout auctum*, tanquam ad terminum *qui*: ergo.

Adde, quod nutritio terminetur ad novam partem ſubſtantiæ, augmentatio autem ad majorem quantitatem ergo habent diverſos terminos, & conſequenter etiam diſtinguntur realiter.

Arg. 1. contra 1. Matthæi 15. ait Chriſtus, omne quod intrat in os, in ventrem vadit & per ſeceſſum emittitur, ergo alimentum non tranſit in ſubſtantiam aliti, & conſequenter non datur nutritio.

Reſp. quod ibi *ly omne* debeat ſummi ſecundùm diſtributionem accomodam, ita ut ſenſus ſit, ex omni quod intrat in os, *aliquid*, id eſt, quod eſt craſſius, per ſeceſſum emittitur, non autem eſt ſenſus, quaſi *totum* & omne alimentum iterum per ſeceſſum emittatur.

Arg. 2. contra 2. Ariſtoteles capite 5. hujus libri text. 41. ait, quod

quod nutritio & augmentatio ratione distinguantur, ergo non distinguuntur realiter.

Resp. quòd ibi ly *ratio* sumatur prout idem valet ac essentia, ita ut sensus sit, alia est essentia nutritionis, & alia est essentia augmẽtationis, quod nihil est contra conclusionẽ. Circa hunc articulũ.

Nota, quod si nutritio sumatur impropriè pro quâdam partiali aggeneratione substantiæ, tunc nutritio duret toto tempore vitæ. Similiter si augmentatio sumatur pro motu terminato ad quantitatem partialem abstrahendo â majori vel minori quantitate, tunc etiam durat toto tempore vitæ. At verò si nutritio & augmentatio sumantur pro acquisitione partialis substantiæ majoris & quantitatis majoris, sic toto tempore vitæ non durat, quia calor naturalis animalis tandẽ ita deficit, ut non possit plus convertere in substantiã aliti, quam per caloré naturalẽ fuerit deperditum.

Nota 2. Quod licet partes viventis materialiter varientur, puta quatenus vivens vi caloris naturalis aliquas partes deperdit & alias acquirit, formaliter tamen sunt eadem, quatenus nimirum partes de novo advenientes succedunt in locum aliarum, & trahuntur ad eandem unitatem numericam viventis. Unde sicutin Logica dixi, quod licèt locus turris sancti Stephani verbi gratia semper materialiter mutetur, formaliter tamen propter eandem distantiam ad centrum terræ & polos mundi maneat idem, ita etiam hic vivens materialiter mutatur, formaliter autem manet idem, quatenus habet partes sibi sub eodem modo aut quantitate vel figura succedentes.

QVÆSTIO V.

De Anima sensitiva ejusq; potentiis.

ARTICULUS I.

Quid sit anima sensitiva, & quotuplex sit sensibile?

NOta hìc, quod anima sensitiva eo proportionabiliter modo definiri debeat sicut anima vegetativa, unde anima sensitiva in ratione essentiæ seu formæ, est actus primus corporis

poris physici organici potentiâ vitam sensitivam habentis, seu cui vitam sensitivam confert anima autem sensitiva ut est natura seu principium operandi definitur ? Quòd sit primùm & radicale principium sentiendi, sed hæ definitiones explicatæ manent ex supradictis.

Notæ 2. Quòd objectum sensûs externi sit sensibile singulare localiter præsens in debita distantia. In qua definitione ponitur ly *singulare*, quia solus intellectus potest percipere universalia verbi gratia colorem ut sic &c. dicitur secundò, *localiter præsens*, in quo differt sensibile externum ab interno, quod potest esse absens nam phantasia v. g. etiam objecta absentia percipit: dicitur ultimo *in debita distantia*, quia cum sensibile comparetur ad sensum sicut agens ad passum cui speciem imprimit, hinc debet ei sufficienter esse approximatum. Porrò licèt sensus recipiendo speciem dicatur esse potentia passiva, quatenus tamen fœcundata tali specie elicit actum cognitionis, dicitur esse potentia activa.

Nota 3. Quod sensibile externum dividatur in sensibile per se, quod scilicet ratione sui percipitur, ut color, sonus, figura &c. & in sensibile per accidens, quod nimirum non sentitur, nisi ratione alterius, id est ratione sensibilis, cui per se conjungitur, ut substantia, quæ non videtur nisi ut stat sub colore, unde substantia nullo modo immutat sensum ratione sui, nec ullam ei imprimit speciem sui repræsentativam; eadem enim est visio ante consecrationem hostiæ, quando aderat substantia panis, & post consecrationem, quando abest.

Nota quartò. Quòd sensibile per se subdividatur in sensibile proprium & sensibile commune. sensibile proprium est id, quod per se primò ab uno tantùm sensu percipitur ut v. g. color à visu, sonus ab auditu &c. & hoc est quintuplex, nimirum visibile, sub quo continetur color & lux, audibile, odorabile, gustabile, & tangibile, sensibile autem commune est id, quod per se secundò tantùm & à pluribus sensibus externis percipi potest, ut quantitas & figura &c. & hoc sensibile commune etiam est quintuplex, scilicet motus, quies, numerus, figura & magnitudo, quia nimirum quodvis horum percipitur à pluribus sensibus, ut v. g. figura

à sensu

à sensu tactûs & visûs, similiter numerus motus & alia ut consideranti patebit, percipiuntur inquam à sensibus externis non quidem per se primò, cum non specificent ipsos, sed tantum per se secundò quatenus nimirum objectum proprium & per se primò specificativum non potest percipi sine illis. Si quæ verò sint alia sensibilia communia, ut tempus unitas, situs, distantia, tunc illa ad hæc reducuntur, tempus enim reducitur ad motum tanquam ejus affectio habens eundem modum essendi successivum, unitas autem reducitur ad numerum, distantia ad magnitudinem & situs ad figuram.

CONCLVSIO I.

Omnis potentia cognoscitiva sive sensitiva sive intellectiva eget aliqua specie repræsentativâ objecti ad eliciendam cognitionem.

PRob. omnis potentia secundùm se est indifferens ad hoc potius objectum in particulari quam ad illud cognoscendum, ergo debet determinari per aliquid intrinsecum, sed ista determinatio solùm fit per ipsam speciem, per quam repræsentatur objectum, quæque est naturalis similitudo objecti in esse intelligibili, ergo omnis potentia &c.

CONCLUSIO II.

Sensibile commune non imprimit sensui externo propriam speciem à specie sensibilis proprij, sed tantum eam modificat, ità ut per eandem speciem sic modificatam percipiat sensus non tantum sensibilia propria sed etiam communia.

PRob. 1. Pars. nil potest immutare sensum per propriam speciem nisi sit objectum illius specificativum, sed sensibile commune non est objectum specificativum sensus, cum à pluribus respiciatur, ergo sensibile commune non imprimit sensui externo propriam speciem à specie sensibilis proprij distinctam maj. pat. quia quod imprimit speciem propriam, hoc per se primò respicitur, sicut etiam primò repræsentatur per talem speciem, sed quod per se primò respicitur, est specificativum, cùm ab eo essentialis differentia desumatur. ergo.

Prob. 2. p. quia albedo v. g. quæ est sensibile proprium per se immutat sensum, ita ut sensus solùm possit videre album; quod autem sensus videat album quadrarum vel triangulum aut rotundum provenit â sensibili communi modificante hanc speciem: ergo sensibile commune modificat speciem sensibilis ptoprij.

Arg. 1. contra 1. Si potentia sensitiva egeret specie, tunc species illa deberet esse medium cognitionis, sed species non est medium cognitionis, ergo potentia sensitiva non eget specie. prob. min. si species esset medium cognitionis, tunc species deberet prius cognosci ante objectum repræsentatum, sed non cognoscitur species prius antequam cognoscatur objectum repræsentatum, ergo species non est medium cognitionis.

Resp. neg. min. ad prob. dicitur quod medium sit duplex, aliud *quo*, & aliud *per quod*, & quidem primum medium non necessario debet prius cognosci ante objectum, cum sit ipsum objectum repræsentatum in esse intelligibili, medium autem *per quod*, præcognoscitur ante objectum, quale medium est v.g. Imago Cæsaris, prius enim debeo cognoscere imaginem, antequam cognoscam Cæsarem; species autem intentionalis sumpta ab objecto est tantum medium *quo*.

Arg. 2. contra 2. Species coloris v.g. albedinis non repræsentat nisi albedinem, ergo adhoc ut visus percipiat motum vel figuram & alia sensibilia communia indigebit nova specie illarum distincta â specie coloris, quæ species distincta solùm â sensibili communi provenire potest.

Resp. antec. esse verum de specie coloris præcisè sumptâ, secus autem loquendo de specie coloris modificata.

Dices. Sensibile commune potest percipi absque sensibili proprio, sicut videtur magnitudo & motus animalis procul distantis, cum tamen non videatur color animalis.

Resp. quod in tali casu videatur color imperfectè & confusè ratione nimiæ distantiæ, quæ impedit, ne sensus ab objecto sensibili perfectè immutetur, adeoq; non est opus, ut sensibile commune propriam, & distinctam speciem imprimat.

ARTI-

ARTICULUS II.

In quo reliquæ difficultates expediuntur.

QUæres 1. An sensibile immediatè positum supra sensum impediat sensationem; v. g. an si color immediatè poneretur supra oculum, impediat ne oculus videat?

Resp. affir. Ratio est, quia sensus tantùm percipit objectum sibi proportionatum, dum autem objectum est immediatèe positum supra sensum, tunc vel planè non emittit speciem, vel certè illa species est nimis materialis, ita ut sensus sufficienter per illam objectum cognoscere non possit, ergo debebit intercedere aliquod medium in quo species suam crassitiem, quam habet ab objecto deponat, & depuret, ut sic apto modo possit fieri sensatio.

Ex quo patet quod approximatio agentis ad passum lædat actionem, si per talem approximationem lædatur necessaria dispositio ad agendum, prout hìc fit, ut dictum est.

Quæres 2. an sensus lædatur â vehementi sensibili, verbi gratiâ, an oculus lædatur â nimia luce?

Resp. affir. Patet hoc experientiâ, provenit autem hæc læsio non â specie sensibili per se loquendo, quia species excellens non est contratria facultati sensitivæ. Læditur ergo sensus per accidens quatenus ad eliciendam beneficio speciei sensibilis excellentis excellentem sensationem confluunt spiritus vitales in majori copia, quibus summoperè incalescit organum & subinde læditur. Cæterùm sensus per accidens errare potest circa sensibile proprium, (quiá sensibile proprium immittit speciem sui repræsentativam, prout est à parte rei, nisi aliunde impediatur) per se tamen potest errare circa sensibile commune, quia hoc non imprimit propriam speciem, sed tantùm speciem sensibilis proprij modificat.

QVÆSTIO VI.

De sensibus externis in particulari.

ARTICVLVS I.

In quo expediuntur ea, quæ ad sensum visûs pertinent.

Quæres

QUæres 1. quodnam sit objectum adæquatum visus?

Resp. objectum formale & adæquatum potentiæ visivæ esse lucem & colorem sub ratione visibilis.

Ratio est, quia id est objectum formale & adæquatum, quod per se primo respicitur, & ultra quod potentia non potest ferri, sed potentia visiva non potest ferri ultra lucem & colorem, ergo. min. prob. nam non solùm color est visibilis, sed etiam lux, imò lux potest videri sine colore, ut patet in intuentibus aërem, qui tamen non est colore affectus, non tamen econtra potest videri color sine luce. ergo.

Quæres 2. quodnam sit organum visus?

Resp. Quod quamvis pupilla pertineat ad organum visûs, principaliter tamen potentia visiva collocatur in ipsis nervis visualibus â suprema parte cerebri descendentibus, adeoque visus est tanquam in subjecto & organo totali, in pupilla seu humore crystallino, ac in nervis visualibus usq; ad conjunctionem ipsorum in medio, hi enim nervi postquam pauliſper unus â dextera, & alter â siniſtra parte cerebri deorsum protendebantur, postea in media via coëunt inter se & omninò adunantur.

Ita tenet S. Thomas opusc. 43. cap. 3. ubi ait: quod organum proximum & extrinsecum visûs sint oculi, primum autem & intrinsecum sint nervi visuales, unde non negat S. Thomas pupillam pertinere ad organum visûs, imò hoc ipsum affirmat Lectione quinta de sensu & sensato, sed solum vult pupillam se habere ut organum externum, nec ibi consummari visionem, sed intra in nervis visualibus. Sed de his plura medicis dicenda relinquo.

ARTICVLVS II.

In quo exprdiuntur ea, quæ circa sensum auditûs tractantur.

QUæres primò quid sit sonus?

Resp. quod sonus sit qualitas per se sensibilis ex vehementi collisione corporum sonantium & resilientiâ medij resultans.

Ex qua definitione habetur, quod sonus ordinariè requirat tria

tria corpora, scilicet percutiens & percussum, & medium confractum atque resiliens; quamvis verum sit quod subindè corpus percussum & medium resiliens idem sint, ut cum ipse aër vehementi impetu collidit alium aërem, ut patet in sonitu ventorum, tunc enim id quod ex tali percussione resilit, est aër.

Quæres secundò, quo modo formetur Echo?

Resp. quod Echo formetur per hoc, quod sonus incidens in corpus aliquod durum (maximè autem concavum) & repercutiens ipsum, regrediatur per eandem lineam, & ideo sic potest definiri Echo. Est sonus â corpore duro & obsistente in proferentem repercussus.

Quæres 3. quodnam sit subjectum seu organum auditûs?

Resp. quod non sint aures externæ, quia homo cui essent aures abscissæ adhuc potest audire. Unde subjectum adæquatum potentiæ auditivæ est quædam substantia aërea intus in aure existens simul cũ nervis auditorijs, qui descendunt â cerebro usq; ad aures & illi substantiæ aëreæ in tympano utriusq; auris inclusæ continuantur, eo proportionabiliter modo, quod e nervis opticis respectu pupillæ paulo ante dixi. Et ratio hujus est, quia substantia illa aërea & tenuis est aptissima ad species audibiles recipiendas, uti sunt pupillæ ad recipiendas species visibiles, ergo sicuti hæ spectant ad organum visûs, ita etiam illa substantia aërea spectat ad organum auditûs. Quòd autem non in eâ solâ, sed etiam in nervis, quibus mediis illa substantia in tympano utriusq; auris inclusa conjungitur, subjectetur, probatur, quia scil. aliàs esset in duplici subjecto disjuncto, adeoq; foret duplex potentia auditiva in homine, quod tamen est falsum, ergo.

ARTICVLVS III.

In quo expediuntur ea quæ ad sensum olfactûs pertinent.

QUæres 1. quid sit odor, qui est objectum olfactûs?

Resp. quod sit qualitas quædam mixta ex temperamento primarum qualitatum ex prædominante siccitate humidum decoquente resultans. Ex qua definitione patet, quòd subjectum omni carens humiditate non habeat odorem, ut patet in cineribus

& ossis aridis. Unde subjectum odoriferum debet habere aliquam humiditatem, quæ tamen â siccitate prædominante vincatur saltem ordinariè loquendo, & quo ad partes subtiliores rei odoriferæ, esto partes crassiores subinde in humiditate excedant, ut patet in aquâ rosacea, in cujus partibus subtilioribus & fumidis prædominatur siccitas, esto in partibus crassioribus humiditas prædominetur. Porro medium illud per quod defertur odor ad olfactum potest esse aër vel aqua.

Quæres 2. An odor secundùm esse suum naturale diffundatur ad olfactum, an verò tantùm secundùm esse intentionale?

Resp. quòd ad hoc ut percipiatur odor, non requiratur, quod perveniat usq; ad odoratum in esse naturali ratione illius exhalationis & substantiæ fumidæ, quam corpus odoriferum â se emittit, & in quâ tanquam in proprio subjecto residet ipse odor (puta in esse naturali) sed sufficit quod emittat sui speciem. Constat enim quòd quædam sint animalia, ut vultures, quæ â pluribus milliaribus olfaciunt cadavera Teste Plinio, sed non est verosimile quod odor talium cadaverum secundùm esse naturale in tanta distantia percipiatur, ergò secundùm esse intentionale tantùm.

Quæres 3. quodnam sit organum seu subjectum proprium odoratûs?

Resp. Organum odoratûs non esse nasum externum, unde potentia odorativa subjectatur in quibusdam corunculis mamillaribus propinquis cerebro & duobus nervis descendentibus â cerebro, â quibus dependent hæ corunculæ mamillares, & per eas expanduntur usque ad ossa foraminosa. Et Ratio hujus est, quia hæ carunculæ mamilares cùm sint propinquiores cerebro, quod est frigidum & humidum, sunt valde humidæ, & consequenter etiam sunt aptæ ut mediantibus nervis quibus conjunguntur versus cerebrum percipiant odorem, in quo prædominatur siccitas.

ARTICULUS IV.

In quo expediuntur ea, quæ circa sensum gustûs tradunt nr?

QUæres 1. quid sit sapor qui est objectum gustûs?

Resp. saporem bene definiri quòd sit passio seu passibilis qualitas

qualitas causata â sicco terrestri in humido aqueo prædominante, cum decoctione calidi qui gustum secundùm potentiam alterando reducit in actum. debet autem siccitas saporis esse terrestris magis quàm ignea, quia nimirùm siccum igneum ob sui acrimoniam totum humidum depasceret. Solet etiam definiri sapor, quod sit qualitas secunda in quâ humidum prædominatur sicco.

Dices: fames est appetitus calidi & sicci, sic è contra sitis est appetitus frigidi & humidi, ergo cum calidum illud & siccum, quod est cibus, sit sapidum, sapor fundabitur in sicco magis, quàm in humido.

Resp. neg. cons. quia fames est appetitus cibi in quantũ est saporosus, sub quâ ratione importat humidũ ut prædominans sicco.

Porro cum gustus sit quidam tactus, tactus autem ad differentiam aliorum sensuum externorum non versetur circa tangibile distans per medium, sed requirit ipsum medium conjunctum potentiæ cognoscenti, ideo gustus non requirit medium extrinsecum seu distans; cæterùm *medium intrinsecum* gustûs est ipsa caro linguæ quam Deus porosam & humidam effecit, porosam quidem ut per illos poros transeat sapor usque ad Organum gustûs; humidam autem ut ipsos cibos humectet.

Quæres 2. quodnam sit organum gustûs?

Resp. quòd non sit ipsa caro linguæ, sed nervus aliquis mollis â cerebro descendens sub carne per totã linguam dispersus, qui nervus licet in tota linguâ sparsus sit, ita nimirùm ut in totâ linguâ sapor gustetur, præcipuè tamen & acrius viget in cuspide linguæ.

ARTICULUS V.

In quo expediuntur ea quæ circa sensum tactûs traduntur.

QUæres primò. Quod nam sit objectum tactûs?

Resp. esse multiplices res tangibiles, quæ tamen conveniunt in unica ratione formali. Illæ autem res circa quas tactus versatur, non solùm sunt quatuor primæ qualitates v. g. calidum, frigidum, humidum & siccum, sed etiam sunt aliæ qualitates ex his quatuor primis ortæ, unde versatur tactus circa grave, & leve, durum & molle, rarum & densum.

Quæres secundò, quod nam sit Organum tactûs.

Resp. quòd organum tactûs sit nervus quidam sub carne per totum corpus diffusus in modum retis, caro autem est medium intrinsecum tactûs (medium enim extrinsecum habere nequit, ut paulo ante de gustu dixi) per quod species qualitatum tangibilium deferuntur ad hujusmodi sensorium, differt autem gustus à tactu, quia gustus solùm sit in linguâ, tactus autem in toto corpore.

LIBER TERTIVS
De Anima.
QUÆSTIO I.
De sensibus internis.
ARTICULUS VNICVS.

In quo resolvuntur ea quæ circa sensus internos, nimirum circa sensum communem, phantasiam, æstimativam, & memoriam tradi solent.

QUæres primò, an, & quid sit sensus communis?

Resp. quòd nomine sensus communis nil aliud intelligatur, quàm potentia ordinata ad discernendũ inter objecta externorum sensuum, dum actu percipiuntur ab hujusmodi sensibus. Defacto autem datur in animalibus talis facultas, quæ necessariò debet esse distincta à sensibus externis, ergo datur sensus communis præter sensus externos. Min prob. pro 1. p. quando enim comedimus pomum v. g. tunc discernimus inter colorem, qui percipitur, à visu, saporem, qui sentitur à gustu, inter odorem, qui percipitur ab olfactu &c. Constat etiam pro 2. p. quia ad discernendum inter objecta sensibilia oportet quòd ab una & eadem potentia percipiantur, sed unus & idem sensus externus non percipit omnia sensibilia, ergo non potest inter ea discernere, sed id præstari debet alia potentia superior. Prob. antec.

nam

nam ſicut ad diſcernendum inter amarum & dulce nõ ſufficit quod unus homo guſtet amarum, & alter dulce, ſed idem homo utrumq; guſtare debet, ita ut ſenſus diſcernat inter ſenſibilia, debet unus ſenſus communis omnia objecta ſenſuum externorum percipere, qui idcirco vocatur ſenſus communis, quia nimirum eſt commune receptaculum ac veluti centrum ſpecierum ſenſuum externorum, & omnia ipſorum objecta percipit, quando ab ipſis actu obſervantur. Unde ſenſibile proprium, quod eſt objectum adæquatum uniuſ ſenſûs externi, ſolùm eſt inadæquatum reſpectu ſenſûs communis, & idem dic de omnibus ſpeciebus omnium externorum ſenſibilium, quæ ſingillatim ſumptæ ſunt inadæquatæ reſpectu ſenſûs communis, collectivè autem ſumptæ adæquantur illi.

Porro ſpecies ſenſuum externorum fiunt ab objectis cum ſubordinatione ad influentias cælorum. Species autem in ſenſibus internis producuntur ab objectis tanquam à cauſis principalibus mediantibus ſpeciebus & actibus illorum ſenſuum ſive externorum, ſive internorum, quorum operationes præcedunt, ſicut operatio ſenſûs communis præcedit operationem phantaſiæ, & actus æſtimativæ actum memoriæ per ſe loquendo.

Quæres ſecundò, quid ſit Phantaſia, quæ in homine ſimpliciter dicitur imaginativa?

Reſp. quod Phantaſia ſit potentia ſenſitiva interna ordinata ad percipienda objecta ſenſibilia abſentia ſeu ut abſtrahunt à præſentia & abſentia, ſed hæc Phantaſia datur tam in nobis (quia experimur, quòd objecta ſenſibilia etiam abſentia percipiamus non tantùm in vigilia, ſed etiam in ſomnijs) quàm etiam in brutis, quæ ſe non moverent ad objecta abſentia niſi illa cognoſcerent, ergo datur phantaſia.

Appellatur autem hæc facultas in homine imaginativa, eò quòd ex imaginibus ſeu ſpeciebus acceptis formet ſibi alias imagines, puta ex ſpeciebus montis & auri format imaginem montis aurei.

Quæres tertiò, quid ſit æſtimativa, quæ in homine cogitativa vocatur?

Reſp. quod potentia æſtimativa ſit facultas interna ſenſitiva,

quæ percipit objecta sensibilia secundùm aliquas rationes insensatas, id est à sensibus externis non perceptas, puta rationem convenientiæ vel disconvenientiæ, amicitiæ vel inimicitiæ, quæ apprehenduntur in objecto sensibili, quâ ratione ovis dum oculo corporeo videt lupum, per suam potentiam æstimativam cognoscit lupum esse suum inimicum, ideo enim ovis fugit, non quia videt talem colorem & figuram (quia etiam talis color est in alijs animalibus, quæ tamen ovis non fugit) sed quia naturali instinctu apprehendit lupum ut sibi nocivum, quod est apprehendere objectum sub aliqua ratione insensatâ, hoc est à sensibus externis non percepta. Idem etiam experimur in nobis, dum v. g. ex levibus signis sæpe siniſtrè, & aliter quàm oculis nostris observatur, objectum apprehendimus, & exinde in nobis judicia temeraria oriuntur.

Appellatur autem hæc facultas in nobis cogitativa, quasi coagitativa, quia nimirum apud se cogitando confert rationes illas, de quibus ita indicat, unde inquit S. Th. quòd Phantasia in nobis sit aliquomodo judicativa circa singularia, sicut intellectus circa universalia.

Quæres 4. An memoria sit sensus aliquis in nobis?

Resp. affir. nam memoria nil est aliud quàm facultas quædam sensitiva interna, quâ cognoscimus sensibilia absentia quoad rationes illas insensatas, phantasia autem solùm ea percipit, prout â sensibus externis fuerunt cognita, sed datur talis facultas in animalibus, ideo enim ovis fugit & abhorret à loco, in quo vidit lupum, quia nimirum memoratur sui inimici illic visi, & ideo canis fugit clam furari carnes, quia memoratur acceptorum verberum, ergo datur in animalibus perfectis memoria, quæ tamen in homine simpliciter dicitur reminiscentia, quia in homine est vis hujusmodi objectum aliàs sic apprehensum, in mentem aut cogitationem revocandi, non per modum cujusdam discursûs inferendo unum ex alio. Unde etiam huic facultati tribuit S. Th quòd possit discurrere circa singularia imperfectè, sicut intellectui convenit discurrere circa universalia.

Quæres ult. Ubi reperiantur hi quatuor sensus interni in homine?

Resp.

Resp. in cerebro, nam in cerebro sunt quatuor veluti cellulæ prima est in anteriori parte cerebri in quâ residet sensus communis, & à qua oriuntur nervi, quibus continuatur sensibus externis. Secunda sequitur immediatè procedendo versus posteriorem partem capitis, & in eâ residet phantasia seu imaginativa. tertia cellula est in media parte cerebri, in qua residet æstimativa. quarta cellula, in qua est memoria, est in parte posteriori capitis, quam solemus perfricare ad commovendas species, & ad exicitandam memoriam, cum volumus alicujus recordari.

QVÆSTIO II.

De Anima rationali secundùm se, eiusq. intellectu agente, & possibili:

ARTICVLVS UNICUS.

Utrum Anima rationalis sit purè spiritualis & incorporea habens intellectum agentem & possibilem?

CONCLUSIO. I.

Anima rationalis est spiritualis & incorruptibilis.

PRob. 1. quia id est spirituale quod est omnino absolutum à materia, & ab ea independens, sed anima est aliquid omninò independens à materia ut patet in animabus separatis sanctorum & Damnatorum ergo anima est spiritualis.

Confirm. Anima rationalis habet operationes omninò spirituales, ergo etiam ipsa est spiritualis prob. consequentia, quia talis est substantia, qualis est operatio elicita à substantia, sed operationes elicitæ ab anima sunt omnino spirituales ergo, prob. min. quia operationes animæ sunt intelligere & velle, sed intelligere & velle sùt omninò aliquid spirituale, quia licet intellectio animę pro hoc statu conjunctionis ad corpus aliquo modo dependeat à corpore ratione specierum à sensibus corporeis emendicatarum, & ratione phantasmatum, ad quæ intelligens pro hoc statu se debet convertere, absolutè tamen non est necesse quod se convertat ad phantasmata, ut patet in anima separata, ergo.

Prob.

Prob. 2. quia fide credimus vitam æternam ergo ánima rationalis debet esse immortalis & incorruptibilis.

Deinde anima rationalis secundum se spectata caret omni principio corruptionis nimirum materiâ ergo etiam anima debet esse incorruptibilis & immortalis.

Dices anima est destruibilis â Deo ergo etiam est corruptibilis. prob.ant. quia Deus potest subtrahere suum concensum conservativum animæ rationalis, ergo.

Resp. quod licet anima rationalis possit destruí â DEO subtrahente suum concursum conservativum, ex hoc tamen solùm sequitur, quod anima rationalis sit à principio extrinseco nimirum à Deo corruptibilis, non autem sequitur quod anima rationalis ab intrinseco, id est ratione alicujus principij sibi intrinseci inclinantis ad corruptionem, sit corruptibilis.

CONCLUSIO II.

Una anima rationalis non est perfectior alterâ in perfectione specifica, benè tamen potest perfectior esse alterâ, perfectione individuali.

PRob. 1. Pars. quia tàm in una quàm in altera anima rationali salvantur omnia essentialia prædicata specifica eodem modo, ut patet, ergo una auima ralionalis non potest esse perfectior alterâ in perfectione specifica.

Prob. 2. Pars. illa forma est perfectior alterâ perfectione substantiali individuali intra eandem speciem, quæ habet perfectius subjectum, sed una anima rationalis est in subjecto seu corpore perfectiori, ergo individualiter potest esse perfectior alterâ. maj. pat. quia perfectius subjectum & perfectior ejus dispositio ordinantur, ad perfectionem formam recipiendam, & etiam perfectior forma ordinatur ad nobilius subjectum. min. etiam constat, quia unum corpus est perfectius & melius dispositum quam aliud ratione melioris temperamenti, ergo.

Confirm. si una anima non est individualiter perfectior alterâ, sequitur quod anima Christi individualiter non esset perfectior animâ Judæ, sed consequens est falsum, ergo & id unde sequitur.

CON-

CONCLUSIO. III.

Datur in anima rationali intellectus agens & possibilis.

PRob. 1. Pars. quia nomine intellectûs agentis intelligitur facultas animæ seu virtus quædam activa producens in intellectu possibili species intelligibiles ad recipiendum objecta, sed talis facultas est necessariò admittenda, ergo etiam debet admitti intellectus agens. prob. min. nam intellectus possibilis, cùm ex se non habeat species intelligibiles, sed sit veluti tabula rasa, hinc debet eas recipere aliundè, ergo debet dari aliqua virtus, quæ eas ei imprimat, atqui nec objecta exteriora, nec sensus externi vel interni possunt immediate & propriâ virtute producere & imprimere intellectui possibili species illas spirituales & intelligibiles, cùm illa sint agentia corporea, ac proinde improportionata, ergo debet dari in animâ alia virtus, quæ eas producat, & hæc est intellectus agens.

Prob. 2. Pars. quia nomine intellectûs possibilis hîc intelligitur quædam facultas spiritualis, quam constat dari in nobis, cùm proprium illius actum eliciamus, eo quòd non solùm cognoscamus res materiales, sed etiam spirituales, ad quas facultates sensitivæ nequeunt assurgere, ergo debet dari aliqua ab eis distincta & superior, quæ est intellectus. Vocatur autem intellectus possibilis, quia intelligendo per speciem (quæ est naturalis similitudo objecti) in esse intelligibili potest fieri omnia, ut v. g. intellectus intelligendo leonem, fit leo in esse intelligibili, intelligendo equum in esse intelligibili fit equus. &c. Dicitur etiam intellectus passibilis, seu patibilis, quia recipiendo species ab intellectu agente quodammodo patitur.

Arg. 1. contra 1. Si anima sit spiritualis sequitur quod corpus non possit existere per existentiam spiritualem animæ, sed consequens est falsum, ergo & antecedens.

Resp. quòd sicut anima est corporea *ut quo* & ideo est forma corporis, ita etiam animæ existentia (quæ animæ proportionari debet) est corporea eminenter, & ideo corpus per illam existere potest.

Arg. 2. aima dependet â corpore in ſuis operationibus, cùm non intelligat niſi dependenter à ſenſibus corporeis, ergo etiam anima in ſuo eſſe dependet â corpore, & conſequenter anima erit corporea.

Reſp. diſt. conſeq. ergo etiam anima dependet à corpore abſolutè neg. conſeq. pro hoc ſtatu conjunctionis conced. conſeq. hoc autem non eſt propriè dependere à corpore; ſicut enim finis non dependet propriè â mediis ut talia ſunt, cùm potius comparetur ad ea ut cauſa ad effectus, ita quando operationes ſenſuum in homine ordinantur ad intellectionem tanquam ad finem, intellectio illa non dicetur dependere ab illis.

Arg. tertiò, in diverſis Concilijs & Divis Patribus habetur quod ſolus Deus ſit immortalis, ergo anima non eſt immortalis.

Reſp. quod ſolus Deus ſit immortalis per eſſentiam, itaut nequè ab intrinſeco ſit deſtruibilis, nec ab aliquo extrinſeco poſſit deſtrui, at verò anima rationalis eſt quidem ex natura ſua & principijs intrinſecis incorruptibilis, ita tamen ut poſſit ab extrinſeco per ſubtractionem conſervativi concurſûs divini deſtrui, quod tamen Deo repugnat ut paulò ante dixi.

Argumenta contra ſecundam concluſionem ſolùm probant, quod anima rationalis & perfectio ſubſtantialis ſpecifica ſeu quoad prædicata eſſentialia conſiſtat in indiviſibili, non tamen probant quod perfectio ſubſtantialis individualis per ordinem ad diverſa corpora (non tamen ad idem corpus) perfectius organizata, conſiſtat in indiviſibili, ut una non poſſit in ſe recipere magis & minus in perfectione ſubſtantiali individuali.

Arg. quartò contra tertiam. in anima ſeparata non manet intellectus agens, ergo nec etiam in homine.

Reſp. quod ſicut potentia nutritiva & augmentativa manebunt in Beatis, & tamen non habebunt ſuum officium, ſed tantùm manebunt quoad ornatum, ſic etiam illectus agens ſolum manebit in anima ſeparata quoad ornatum.

Quæres, quodnam ſit objectum noſtri intellectûs poſſibilis?

Reſp. quod objectum adæquatum terminativum intellectus poſſibilis ſit ens ſeu verum in tota ſua latitudine ſumptum, objectum

ctum autem motivum illius pro hoc statu est quidditas aut natura materialis à singularibus abstracta.

Ratio primæ partis est, quia intellectus noster omne ens potest intelligere, non solùm substantiam & accidens, res materiales & spirituales, ens reale & rationis, sed etiam Deum & creaturas, ergo objectum adæquatum terminativum nostri intellectûs est omne ens.

Ratio secundæ partis est, quia objectum motivum potentiæ, dicitur illud quod eam movet imprimendo illi suam speciem, sed pro hoc statu conjunctionis animæ cum corpore solæ naturæ materiales universales imprimunt intellectui possibili speciem medio lumine, seu beneficio intellectûs agentis eam à phantasmatibus abstrahentis, quæ indirectè tantùm & secundariò repræsentat singularia, ergo objectum nostri intellectus motivum pro hoc statu erit sola quidditas materialis ut abstracta & universalis.

In statu autem separationis objectum motivum intellectus potest esse illud omne, cujus species primariò & directè repræsentativas Deus illi infundit; licèt illud propriè nequeat dici motivum, cum ipsum nec mediatè nec immediatè imprimat speciem.

Dices, si objectum adæquatum nostri intellectus sit omne ens, sequitur quod intellectus noster possit clarè videre Deum, & cognosere entia supernaturalia, quòd tamen est falsum.

Resp. quod intellectus habeat duplex objectum unum proportionatum sibi, quod proprijs viribus attingere potest, & hoc est quidditas rei materialis. Aliud est objectum adæquatum, quod cùm non semper sit proportionatum viribus naturalibus intellectûs, hinc intellectus tale objectum non semper viribus naturalibus potest attingere, benè tamen per virtutem supernaturalem superadditam, & ita per solum lumen Gloriæ clarè potest videre Deum, esto ex viribus naturæ imperfectè Deum possit cognoscere.

ARTICULUS II.

Quid sit species impressa & expressa?

CONCLUSIO I.

Species impressa in esse representativo est formalis similitudo sui objecti primariò per illam representati.

PRob. id est formalis similitudo alterius, quod formaliter aliud representat, sed species impressa formaliter representat suum objectum primarium, ergo est formalis similitudo sui objecti primarij, min. patet quia ad hoc est instituta species impressa (ad differentiam formarum naturalium in esse entitativo spectatarum) ut formaliter representet suum objectum.

Ex quo colligitur, quod cùm species impressa formaliter assimiletur objecto representato, in esse representativo, hinc etiam in esse representativo sit ipsum objectum.

Colligitur secundò quod cum species impressa determinet potentiam, quæ secundùm se erat indifferens ad intelligendum hoc potius quàm aliud, determinare autem spectet ad genus causæ efficientis, hinc species intelligibilis efficienter concurrit ad intellectionem.

CONCLVSIO II.

Species expressa est quædam imago ex specie impressâ expressa, quæ representat objectum in actu secundo seu ut cognitum, unde fit, quod species expressa (quæ alio nomine vocatur verbum mentis) distinguatur ab ipsa intellectione.

PRima pars patet, quia per speciem impressam representatur objectum necdum ut cognitum, per speciem autem expressam representatur ut cognitum, adeoquè in actu secundo.

Probatur secunda pars, quia actio realiter distinguitur à termino, sed species expressa est terminus realiter productus per intellectionem, ergo realiter distinguitur ab illo.

Ex hac conclusione colligitur, quod ipsa distinctio seu expressio verbi seu speciei expressæ non sit actio realiter & adæquatè distincta ab omni intellectione, quia hæc dictio est actio vitalis intellectus, ergo est intellectio.

Porrò

Porrò licèt omnis intellectio Creata producat verbum, in visione tamen Beatifica verbum seu speciem expressam producere nō possumus, cùm omnis species creata sit inferioris ordinis & immaterialitatis ad repræsentandum Deum quidditativè prout est in se, ut probant Theologi 1. p. q. 12. a. 2.

Arg. primò contrà primam, si species repræsentativa albedinis & nigredinis essent ipsa albedo & nigredo formaliter in esse intelligibili, sequeretur quod essent incompossibiles in eodem oculo, sicut illi colores se simul in eodem subjecto non compatiuntur, sed consequens est falsum, ergo & antecedens.

Resp. neg. sequel. quia hujusmodi colores sunt quidem incompossibiles in esse naturali, eò quod entitas nigredinis opponatur entitati albedinis, non tamen opponitur in esse repræsentativo, quia tantum abest quod species & cognitio unius contrarij tollat speciem & cognitionem alterius, ut potius eam juvet, unum enim contrarium melius cognoscitur per oppositionem alterius, unde etiam communiter dicitur, quod contraria juxta se posita magis eluceſcant.

Adde, quod ens in esse naturali habeat modum recipiendi nimis coärctatum, faciendo cum accidente unum compositum accidentale, at verò intellectus in esse intelligibile habet modum recipiendi magis amplum, ita ut per talem speciem fiat ipsa res seu ipsum objectum repræsentatum.

Arg. 2. Si species ad actionem vitalem concurrat activè, sequitur quod species impressa sit etiam aliquid vitale, sed hoc est falsum, cum perveniat âb aliquo extrinseco, ergo.

Resp. dist. sequel. deberet esse aliquid vitale per modum potentiæ vitalis ortæ â principio radicali vitæ neg. sequela; deberet esse aliquid vitale per modum determinationis principij vitalis concurrentis ad intellectionem conced. sequela, sed species impressa non est aliquid vitale per modum potentiæ vitalis conced. min. non est aliquid vitale per modum determinationis & complementi potentiæ vitalis neg. min. & conseq.

Arg. 3. contra. 2. Verbum nil aliud est, quàm id quo mediante cognoscitur objectum, sed intellectio etiam est id quâ mediante co-

te cognoscitur objectum, ergo intellectio non distinguitur â verbo.

Resp. dist. mai. verbum est id, mediante quo tanquam termino intrinseco intellectionis cognoscitur objectum conced. mai. quo mediante tanquàm actione effectivâ verbi cognoscitur objectum neg. man. sed intellectio est id mediante quâ tanquàm termino intrinseco intellectionis cognoscitur objectum neg. min. mediante qua tanquàm actione productivâ verbi cognoscitur objectũ conc. min. & neg. conseq.

QUÆSTIO ULTIMA.

De voluntate ejusq; libertate.

ARTICVLVS UNICUS.

Utrum Intellectus sit perfectior quàm voluntas, Quidq; sit liberum hominis arbitrium?

CONCLUSIO I.

Intellectus est simpliciter perfectior voluntate

PRob. Rex videns est simpliciter perfectior Reginâ cæcâ, sed intellectus est Rex potentiarum, & est videns, id est cognoscitivus, voluntas autem dicitur Regina & cæca, cũ nil sit volitum quin præcognitum ergo intellectus est simpliciter perfectior voluntate. Deinde nostra vita æterna præcipuè & principaliter consistit in visione Beatificâ, quæ est actio intellectûs, non autem consistit præcipuè in aliquo actu voluntatis, ergo.

CONCLUSIO II.

Liberum arbitrium in ipso homine est realiter ipsa voluntas, distinctum tamen ratione ab illa.

PRobatur prima pars, quia proprius actus liberi arbitrij, est actus appetitivæ seu volitivæ potentiæ, ergo liberum arbitrium est realiter & entitativè ipsa voluntas. prob. antec. nam pro-

proprius actus liberi arbitrij est electio, quæ est actus voluntatis, ergo.

Prob. secunda pars, sic se habet voluntas & liberum arbitrium, sicut intellectus & ratio, sicut enim intellectus absolutè habet intelligere & ratiocinari, ita etiam voluntas absolutè habet velle hôc vel illud, sed intellectus & ratio tantùm ratione differunt, ergo similiter liberum arbitrium & voluntas solùm ratione differunt.

Arg. primò contra primam, movens est perfectius moto, sed voluntas movet intellectum, ergo est perfectior intellectu.

Resp. primò. movens debere saltem secundùm quid esse perfectius moto, non autem est necesse quod sit perfectius simpliciter moto.

Resp. secundò, voluntatem tantùm movere intellectum in executione & quoad exercitium, intellectus autem movet voluntatem specificando ipsam, seu quoad specificationem, movere autem specificando, perfectius est quàm movere quoad exercitium.

Arg. secundò. Id est melius cujus oppositum est peius, sed oppositum amoris (qui est actus voluntatis) scilicet odium, est pejus quam non videre Deum, ergo amor qui est actus voluntatis est perfectior visione Beatâ, & consequenter etiam volnntas est perfectior intellectu.

Resp. quod oppositum amoris solùm in esse moris sit pejus, non autem in esse physico, unde in esse physico pejor est privatio visionis beatæ.

Quæres in quo consistat libertas voluntatis?

Resp. eam consistere formaliter in indifferentia activa voluntatis, quâ positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, vel non agere in sensu diviso; sed de hoc recolenda sunt ea, quæ dixi in libro secundo physicorum de prædeterminatione physicâ. Nihil ominus.

Notandum, quod indifferentia sit duplex, una est indifferentia contrarietatis, dum scilicet operans potest in bonum & malum, & hæc indifferentia non est de essentia libertatis, nam DEUS est liberrimus, qui tamen non potest in bonum & malum. Alia est indif-

indifferentia contradictionis, quando scilicet operans potest solùm agere vel non agere, ut, verbi gratiâ, dum solùm potest hoc vel illud bonum opus facere. Et hæc indifferentia ad agendum vel non agendum est de essentia libertatis; sed quia de hoc Theologi plurima differunt, falcem in alienam messem, ne terminos Philosophicos transgrediar, mittere nolo. Unde Finem huic tractatui & coronidem impono, laboremq; meum illi supremo rerum omnium Psalmatori consecro, in cujus visione anima nostra beata in perpetuâ æternitate existet.

Finis Tractatus V. in tres Libros de Anima.

Omnia ad majorem DEI, *DEIparæq; Virginis* MARIÆ, *Omniumque Sanctorum Gloriam.*

TRACTATVS VI.

CONTINENS

METAPHYSICAM.

AGgredior nunc ultimum de Metaphysica tractatum brevi stylo constringendum, eò quod multa, quæ in Metaphysicâ tractari solent, jam in Logicâ tractata sint. Egi namq; ibi de toto processu entis rationis; item de ente, an sit univocum, vel æquivocum aut analogum ad sua inferiora, & an habeat conceptū præcisum â suis inferioribus. Disserui etiam in Logicâ de omnibus 10. Prædicamentis. Unde quæ ibi de illis dicta sunt, in præsenti (ne idem bis repetatur) recolenda sunt. Prætermissis itaq; ijs, de quibus sermonem jam feci, ad ea, quæ supersunt, properandum est. sit ergò.

QVÆSTIO I.

De Essentiâ Metaphysicæ, subalternatione, vnitate & simplicitate scientiarum.

ARTICVLVS I.

Quid sit Metaphysica, & quodnam ejus objectum?

CONCLUSIO.

Metaphysica est scientia speculativa entis realis ut sic, secundùm rationes á materiâ seu corporeitate abstractas, Deo & Creaturis communes.

PRob. & explicatur conclusio. Nam inprimis Metaphysica est scientia, quia procedit demonstrativè, multas enim proprietates, ut unitatem, veritatem & bonitatem de ente demonstrat. Est

etiam Metaphysica scientia speculativa, quia ordinatur ad solam speculationem, non autem ad praxim, contemplatur enim suum objectum, ut sciat, non autem ut operetur ergo.

Quod autem objectum Metaphysicæ sit ens reale, commune Deo & Creaturis, non autem solùm ens reale creatum. Sic probatur. quia proprietates, quæ demonstrantur in Metaphysicâ, nimirùm unum, bonum, verum & similes conveniunt per se primò enti reali, communi Deo & creaturis, non autem enti præcisè creato, aliàs non competerent Deo, ergò objectum Metaphysicæ est ens reale, commune Deo & creaturis; adeoq; quidquid considerat Metaphysica, considerat prout participat rationem entis realis. Et quia ens rationis solùm ad similitudinē entis realis formatur, hinc non ad objectum specificativum Metaphysicæ, sed solùm ad objectum extensivum & secundarium reducitur.

Vocatur etiam Metaphysica sapientia, quia procedit per altissimas causas, ac principia universalissima, ipsamque primam & altissimam omnium causam, nimirùm Deum, quantùm ratione seu lumine purè naturali attingibilis est, saltem ut objectum principale contemplatur. Et propter hoc, quia scilicet Metaphysica etiam Deum tanquam objectum principale, quantùm lumine naturali de eo cognosci potest, considerat, vocatur Theologia naturalis.

ARTICULUS II.

In quo consistat subalternatio scientiarum, & an scientia subalternata in eo qui non habet scientiam subalternantem sit vera & propriè dicta scientia?

NOtandum primò quod scientiam subalternari nil est aliud quàm unam scientiam sub altera contineri, & ita scientia subalternans dicitur illa, quæ sub se aliam scientiam continet, scientia autem subalternata dicitur sub altera contenta.

Notandum 2. quod tribus modis possit una scientia alteri subalternari, primò ex parte finis, quando nimirum una scientia deseruit fini alterius, sicut ars frenifactoria deseruit equestri, & ars equestris deseruit militari, militaris victoriæ, & victoria ad conservationem vel ampliationem imperij. Hæc tamen subalter-

natio est solum impropriè dicta, quia subalternatio propriè dicta dicit dependentiam unius scientiæ ab altera quoad manifestationem veritatis, quod in ista subalternatione impropriè dicta non fit, ac proinde secundùm hanc impropriam subalternationem una scientia dicitur potius alteri deservire, quam sub altera contineri.

Secundò subalternatur una scientia alteri ratione objecti quandò scilicet objectum unius continetur sub objecto alterius, & hoc dupliciter fieri potest, semel ita, ut objectum unius scientiæ participet & imbibat objectum alterius scientiæ, quo modo objecta omnium scientiarum continentur sub objecto methaphysicæ, quodlibet enim objectum cujusvis scientiæ contrahit objectum methaphysicæ, quod est *ratio entis ut sic*, quâ ratione etiam scientia de homine continetur sub scientia de Cælo, & anima sub ente naturali. Secundò ita, ut objectum unius scientiæ addat differentiam aliquam accidentalem ad objectū alterius, quæ differentia etsi non sit propria passio, facit tamen quod objectū fundet distinctas proprias passiones, sicut Musica quæ pro suo objecto habet numerum sonorum, supra numerum, qui est objectum Arithmeticæ, addit sonoreitatem, quæ est differentia quædam accidentalis numeri, & non propria passio illius, facit tamen quod numerus fundet distinctas proprietates, quæ demonstrantur de numero sonoro, & non de numero ut sic. Porrò ex his duabus subalternationibus prima subalternatio objecti non constituit propriam subalternationem, sed solùm secunda, quia per illam propriè salvatur, quòd scientia subalternata habeat distinctum obje&um, quod sub tali formalitate non spectat ad subalternantem.

Tertiò subalternatur una scientia alteri ratione principiorum, quod fit, quando principia scientiæ subalternatæ pendent quoad sui evidentiam à scientia subalternante, quia scilicet talia principia non sunt per se actualiter nota, & evidentia prout sunt in scientia subalternata, sed solùm clarè & evidenter cognoscuntur in scientia subalternante. Et hoc modo nostra Theologia subalternatur Theologiæ Dei & beatorum, quia principia nostræ Theologiæ (scilicet articuli fidei) in nostra Theologia non sunt nobis actu evidentia, sed solùm sunt evidentia in Theologia Dei, & Beatorum.

Notandum 3. quod scientia subalternata dupliciter possit in aliquo reperiri, primo quatenus est conjuncta cum scientia subalternante in eodem subjecto, ut quando v. g. ille qui habet Musicam tanquàm scientiam subalternatam, etiam habet Arithmeticam tanquàm scientiam subalternantem. 2. potest inveniri absque scientia subalternante, ita ut homo habens solam scientiam subalternatam tantùm procedat ex principijs creditis, & à magistro propositis, quibus principijs taliter à magistro propositis talis homo habens solam scientiam subalternatam adhæret absque ulla formidine & hæsitatione, adeoque licet ista principia homini illi in se non sint evidentia, sunt tamen illi quodammodo evidentia in magistro attestante, cui solùm ut scientifico creditur. Et talis evidentia in attestante datur in illis, qui non viderunt Romam credunt tamen illam propter testimonium tot hominum, qui testantur se Romam vidisse. his præmissis sit.

CONCLUSIO I.

Scientia subalternata ut conjuncta subalternanti in eodem subjecto est vera scientia.

PRob. ad hoc ut aliquis habitus sit scientificus requiritur quod sit per demonstrationem acquisitus, quâ certò & evidenter attingat conclusiones, & etiam principia ex quibus tales conclusiones deducuntur, sivè hæc attingantur proprio lumine sive alieno ratione subalternationis conjuncto: sed scientia subalternata quando est conjuncta subalternanti certò & evidenter attingit non tantùm conclusiones sed etiam principia. ergo. maj. pat. quia talis habitus nec est fides, nec suspicio, nec opinio, nec sapientia aut prudentia, ergo tantùm erit scientia min. autem prob. nam perspectiva, v. g. per evidentem consequentiam hanc conclusionem (ergo res à longe visæ apparent minores) infert ex isto principio (lineæ ductæ ab eadem basi ad punctum distantius, causant minorem angulum) quod principium est evidens perspectivæ non quidem proprio lumine, sed lumine superioris scientiæ, scilicet Geometriæ cui conjungitur, ergo.

CONCLUSIO II.

Scientia subalternata in non habente subalternantem est verè & substantialiter seu essentialiter scientia, non tamen habet perfectum statum scientiæ.

PRob. 1. Pars ex S. Th. 1. p. q. 1. a. 2. ubi ait Theologiam nostram, quæ scilicet est in viatoribus, esse veram scientiam, sicut Musica & aliæ scientiæ subalternatæ.

Prob. eadem pars ratione, ad hoc aliquis habitus sit scientificus sufficit, quod procedat ex principijs evidentibus & certis certitudine & evidentia intrinseca & radicali, licet per accidens ratione subjecti evidentiam actualem non habeat, sed scientia subalternata procedit ex talibus principijs, ergo. maj. pat. â simili, nam ad hoc ut scientia per unam demonstrationem acquisita sit habitus, sufficit quòd quantùm est ex natura sua sit difficile mobilis, esto per accidens ratione subjecti sit facilè mobilis, & ita habeat modum dispositionis, ergo similiter adhoc ut aliquis habitus sit scientificus &c. min. autem prob. nam Musica v. g. in eo qui non habet Arithmeticam ab intrinseco & ex natura sua inclinat ad conclusiones eliciendas deducibiles ex principiijs talibus, quæ quantùm est ex se, & ex natura sua ab intrinseco petunt evidenter cognosci, siquidem illa principia Musicæ sunt per se conclusiones ad Arithmeticam spectantes, ab eaque evidenter demonstrantur & probantur, ergo scientia subalternata procedit ex principijs, quæ sunt evidentia & certa, evidentiâ radicali & intrinsecâ.

Nec obstat quod talis qui habet solam Musicam, credat sua principia; quia non credit illa principia cum formidine, sed absque ulla formidine illa accipit à magistro Arithmetico *tanquam scientifico*, & ita acquirit evidentiam principiorum in attestante, sicut evidentiam in attestantibus habent illi, qui Romam non viderunt, quod sufficit.

Secunda Pars est etiam ex S. Th. q. 13. de Veritate a. 9. ad 3. ubi ait scientiam subalternatam sine continuatione ad subalternantem non habere perfectionem scientiæ.

Prob. etiam ratione, quia status & perfectio scientiæ exigit

quòd non solùm radicaliter & virtualiter, sed etiam actu & formaliter, principia ex quibus conclusiones deducit, evidenter cognoscantur, quod tamen non fit in scientia subalternata, cùm talia principia solùm credat, & illa actu in se evidenter non cognoscat, ergo scientia subalternata non habet perfectum statum scientiæ.

Arg. 1. contra illud quod dictum est in secundo notabili, quod una scientia possit subalternari alteri ratione principiorum. Nam Geometria dependet à physica ratione principiorum, & tamen illi non subalternatur, ergo ratione principiorum non potest dari subalternatio. ant. probatur. prob. nam principium Geometriæ est, quod â quolibet puncto in punctum dari possit linea, sed hoc principium prob. in Physica, quod nimirum duo puncta non possint sibi invicem esse immediata; ergo Geometria dependet à Physica ratione principiorum.

Resp. scientiam subalternatam ratione principiorum esse illam, quæ dependet totaliter & quod omnia principia ab illa, non autem si solùm quoad unum vel alterum principium dependeat, unde quia Geometria solùm quo ad unum vel alterum principium à physica dependet, hinc ei non subalternatur.

Dices: ergo saltem à Methaphysica omnes aliæ scientiæ dependent eique subalternantur. Prob. seq. ab illa scientia dependent cum subalternatione aliæ scientiæ, sine qua non possunt resolvi conclusiones in sua prima principia, sed sine methaphysica non possunt resolvi conclusiones alicujus scientiæ in sua prima principia, ergo.

Resp. neg. sequel. ad prob. dist. maj. ab illa scientia cum subalternatione dependent aliæ, sine qua non potest fieri resolutio usque in sua prima principia communia & uuiversalissima neg. maj. principia propria & proxima in tali scientia, conc. maj. sed sine methaphysica non possunt resolvi omnes conclusiones in sua prima principia communia & universalissima conc. min. in sua prima principia, quæ sunt propria in tali scientia neg. min. & conseq. Porrò licet metaphysica tanquam Regina omnium scientiarum probet indirectè & per causam remotam omnia alia principia, non tamen directè & per causam proximam, adeoque conclusiones

aliarum

aliarum scientiarum sine methaphysica perfectissimè cognoscuntur perfectione sibi debitâ ac sufficienti, sciuntur enim per propriam causam.

Arg. 2. cont. 2. concluſ. de ratione intrinseca scientiæ est non solùm certitudo sed etiam evidentia suarum conclusionum, sed cum sola scientia subalternata sine subalternante non potest haberi evidentia conclusionum, ergo nec scientia subalternata sine subalternante erit verè scientia. Maj. est Sancti Thomæ q. 13. de verit. a. 1. ubi ait, omnis scientia in visione rei præsentis perficitur. Minor autem probatur. nam tota evidentia conclusionum habetur ex evidentia principiorum, sed sola scientia subalternata non habet evidentiam principiorum, ergo.

Resp. ex dictis distinguendo majorem. ex evidentia intrinseca & radicali talium principiorum conced. major, semper ex evidentia actuali & formali talium principiorum neg. major, sed sola scientia subalternata non habet evidentiam intrinsecam & radicalem principiorum neg. min. evidentiam actualem & formalem conceditur min. & neg. conseq. ad authoritatem Sancti Thomæ dicitur, quod solùm velit ad scientiam, quæ simul habet statum perfectum scientiæ, requiri actualem evidentiam principiorum, scientia autem subalternata non requirit actualem evidentiam principiorum, quia licet sit substantialiter scientia, non habet tamen perfectum statum scientiæ.

Arg. 3. ad rationem scientiæ requirirur, quod fiat resolutio usquè ad prima principia per se nota, sed à scientia non subalternata subalternanti non potest fieri resolutio usq; in prima principia per se nota, nam talis resolutio solum habetur â scientia subalternante, ergo.

Resp. dist. maj. nisi fiat resolutio formalis & actualis neg. maj. formalis vel virtualis, & quoad intrinsecam inclinationem, qua petunt resolvi in prima principia per se nota conced. maj. & applicata distinctione ad minorem, negatur consequentia.

ARTICVLVS III.

Unde desumatur unitas generica & specifica scientiarum speculativarum?

Non

NOn est quæstio hìc de scientijs practicis, quia hæ suam diversitatem specificam accipiunt à fine ad quem ordinantur; nec est quæstio de unitate numerica scientiarum quia hanc habent â subjecto, sicut & reliqua accidentia suam unitatem numericam â subjecto, habent. Pro resolutione Articuli recolenda sunt illa notabilia quæ posui in Logica quæstione prima articulo sexto. Præter illa autem notabilia.

Notandum ulteriùs, quod duplex sit abstractio, una activa quæ est ipsa operatio intellectûs abstrahentis rem â materia, alia passiva intrinseca, quæ nil est aliud quàm ipsa intrinseca abstrahibilitas, aptitudo & exigentia hujus vel illius abstractionis, in quantum scilicet objectum ab intrinseco petit tali vel tali abstractione abstrahi, & ab hac abstractione passiva intrinseca à materiâ ajunt Thomistæ sumi unitatem genericam & specificam scientiarum.

Notandum secundò, hanc abstractionem passivam intrinsecam esse triplicem juxta triplicitatem materiæ, à qua potest fieri abstractio, est enim triplex materia, à qua potest talis abstractio fieri, scilicet materia sensibilis singularis à qua abstrahit physica, nam physica non considerat hunc hominem affectum cum hâc carne, his ossibus &c. sed considerat hominem ut sic cum materia sensibili in communi, nimirum cum carne & ossibus alijsquè accidentibus sensibilibus in communi.

Alia est materia sensibilis in communi, quæ dicit naturam in communi accidentibus sensibilibus in comm uni affectam, ut v. g. hominem in communi cum carne, ossibus calore, frigore, & similibus accidentibus quæ sensibus percipiuntur, in communi affectum, & ab hac materia abstrahit mathematica, quæ considerat lineam, superficiem & corpus, non curando an linea sit calida vel frigida, vel an corpus sit durum vel molle, cum ab omnibus accidentibus sensibilibus tàm in particulari quàm in communi abstrahat.

Tertia est materia intelligibilis, quæ est ipsa quantitas sine accidentibus sensibilibus accepta, quæ cum non à sensu, sed à solo intellectu possit percipi, dicitur materia intelligibilis: vel secundùm

dùm alios materia intelligibilis dicitur materia prima, quæ à solo intellectu percipi potest. Et ab hac materia intelligibili abstrahit Metaphysica & Logica, Metaphysica quidem, quia considerat ens ut sic, non autem quatenus est quantitate affectum, Logica autem, quia habet debilissimam entitatem pro suo objecto scilicet ens rationis, quod nec est quantitas, nec materia prima. Pro quo

Notandum tertiò, quod hæ abstractiones à materia secundùm se spectatæ solùm sint genericæ, & ideo secundùm se solùm dant unitatem vel distinctionem genericam scientiarum, quia tamen intra eandem abstractionem genericam à materia datur distincta abstractio gradualis & perfectior, ideo secundùm hanc abstractionem gradualem desumetnr unitas specifica scientiarum. Unde sicut plura possunt recedere ab eodem termino *à quo*, & tamen possunt distingui ratione termini *ad quem* per motum acquisiti, ita similiter dicendum est de abstractione (quæ motui comparatur) quod plures scientiæ possint abstrahere ab eadem materia & tamen distingui ratione diversæ immaterialitatis gradualis tanquam termini *ad quem* acquisiti. Et ob hoc, quia intra eandem abstractionem ab omni materia tam sensibili quam intelligibili magis potest abstrahere Theologia quam Metaphysica, & Metaphysica magis quàm Logica, ideo hæ scientiæ specie inter se distinguuntur. His præmissis, sit.

CONCLVSIO.

Unitas & distinctio tam generica quàm specifica scientiarum desumitur proximè & immediate à principijs, primò autem & radicaliter ab abstractione à materia.

PRima pars est Sancti Thomæ, 1. p. q. 1. a. 1. & 1. 2. q. 54. a. 2. & 1. post. l. 4. ubi ait: sicut autem formalis ratio visibilis sumitur à lumine, per quod color videtur, ita formalis ratio scibilis accipitur secundùm principia, ex quibus aliquid scitur, & ideo quantumcunquè aliqua sint diversa scibilia secundum naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam, ergo desumitur saltem proximè unitas scientiarum à principijs.

Prob. etiam ratione 1. p. unitas tam generica quàm specifica scientiarum desumitur ab unitate generica vel specifica objecti in esse scibilis, sed objectum constituitur formaliter, immediatè & proximè in ratione unius aut distincti genere vel specie scibilis per principia, ergo unitas scientiarum tam generica quàm specifica habetur proximè à principijs. Major patet. quia ab objecto in esse entis seu rei unitas scientiarum desumi nequit, cùm eadem rei entitas secundùm diversas considerationes ad diversas scientias spectare possit. Minor autem probatur, quia objectum in esse scibilis est connexio passionis cum subjecto, ut inferribilis ex principijs necessarijs & evidentibus, sed ex principijs infertur talis connexio passionis cum subjecto, ergo objectum constituitur formaliter, immediatè & proximè in esse scibilis per principia.

Confir. præcisa abstractio à materia non suffieit ad rationem scibilis; sed abstractio à materia ut reperta in principijs & ex his deducta ad conclusiones constituit objectum in ratione scibilis, ergo etiam principia constituunt objectum non solùm proximè in esse scibilis, sed etiam tribuunt eis unitatem & distinctionem generica vel specificam. Probatur antecedens, quia non solùm scibile, sed etiam omne intelligibile dicit abstractionem à materia ut sic, cùm in tantùm aliquid sit intelligibile, in quantùm est à materia abstractum & spirituale redditum, ergo scibile in quantum scibile debebit dicere specialem abstractionem à materia, talem scilicet, quæ afficit primò & per se principia, & ex his derivatur ad conclusiones.

Secunda p. Conclusionis etiam est S. Thomæ 1. post. l. 41. ubi cùm dixisset, quod formalis ratio sciblis accipiatur secundùm principia, ex quibus aliquid scitur, subdit: neque tamen intelligendum est, quod sufficiat ad unitatem scientiæ unitas primorum principiorum simpliciter secundùm se, sed prout substant diversæ abstractioni à materia.

Prob. eadem pars ratione. Unitas & distinctio tam generica quàm specifica scientiarum sumitur ab objecto in esse scibilis, sed prima radix scibilitatis in objecto est abstractio à materia, seu immaterialitas ex abstratione relicta, ergo radix unitatis & distinctionis

nis tam generica quàm specifica scientiarum erit abstractio â materia, seu immaterialitas. Probatur minor, nam quævis res in tantum est intelligibilis, in quantum est spiritualis & immaterialis (cùm secundùm esse materiale intellectui uniri nequeat) quævis autem scientia debet esse de rebus necessarijs & perpetuis, adeoq; â materia (quæ est principium corruptionis) abstractis & separatis, ergo prima radix scibilitatis in objecto est abstractio â materia, & consequenter talis abstractio seu immaterialitas objecti erit prima radix non tantum scibilitatis, sed etiam unitatis & distinctionis scientiarum. Quod verò non solùm unitas generica, sed etiam unitas specifica & distinctio scientiarum â diversa abstractione â materia desumenda sit, præterquam quod sit S. Th. loco paulo ante citato, sic.

Prob. quia licet communiter numerentur tres prædictæ abstractiones, hæ tamen non consistunt in indivisibili, sed admittunt latitudinem, ita ut intra eandem abstractionem & immaterialitatem genericam contineantur aliæ abstractiones & immaterialitates specie distinctæ seu graduales, sicut licet mathematica in communi abstrahat â materia sensibili, quia tamen diversus gradus immaterialitatis attingitur in quantitate continua, quàm considerat Geometria, & alius gradus in quantitate discreta, quàm considerat Arithmetica, (discreta enim minus concernit materialitatem, quia minus dependet â loco & tempore, quàm continua, quæ copulat partes in loco, ideo sub eâdem Mathematica, quæ est una genere, datur geometria & Arithmetica, quæ sunt specie distinctæ scientiæ. Et similiter Philosophia & Medicina specie differunt, quia licet utraque abstrahat â materia singulari, magis tamen concernit materiam corpus ut sanandum per artem, quàm corpus mobile ut sic, ergo etiam unitas specifica scientiarum desumitur ex unitate specifica seu graduali abstractionis â materia, seu immaterialitatis.

Arg. 1. Objectum in esse scibilis acceptum, seu ut abstractum â materia est quid posterius ipsâ scientiâ ergo nequit ei dare unitatem vel distinctionem specificam. conseq. patet, nam esse specificum debet esse prius specificato. antec. autem prob. nam ideo dicitur aliquid scibile seu abstrahibile â materia, quia scientia potest illud scire, & â materia abstrahere, ergo.

Resp. neg. antec. ad probationem distinguitur antecedens, ideo aliquid dicitur scibile scibilitate extrinseca, seu per denominationem extrinsecam, quia potest per intellectum aut scientiam sciri & abstrahi â materia conced. antec. dicitur scibile scibilitate & abstrahibilitate intrinseca & radicali quia potest per intellectum abstrahi â materia vel per scientiam attingi neg. antec. & conseq. dico ergo quod hanc abstrahibilitatem radicalem & intrinsecam non habeat objectum ab intellectu vel â scientia, sed illa præsupponitur ante intellectum vel scientiam abstrahentem tale objectum â materia.

Arg. 2. Theologia & Logica non sumunt suam unitatem à materia, cùm non possit assignari quænam illa sit. Similiter musica & aliæ scientiæ subalternatæ habent unitatem specificam, & tamen non habent unitatem abstractionis, nam musica v. g. respicit numerum sonorum, & ex parte numeri habet abstractionem Mathematicam, ex parte autem sonori abstractionem Physicam, ergo non omnis scientia sumit suam unitatem ab abstractione â materia.

Resp. unitatem Theologiæ & reliquorum habituum supernaturalium non sumi ab abstractione â materia, sed â majori accessu & participatione divinæ scientiæ, conclusio autem solùm loquitur de scientijs naturalibus. Logica autem etiam habet suam propriam abstractionẽ â materia, etsi similẽ metaphysicæ, hæc enim, abstrahit ab omni materia positivè, nam Metaphysica respicit entitatem talem, quæ licet conjuncta sit cum materia, formaliter tamen quatenus rationem objecti exercet, eam non concernit, sed ab ea abstrahit, Logica autem abstrahit ab omni materia negativè, nam objectum quod respicit, scilicet ens rationis, nullam sibi materiam â quâ abstrahere possit, conjunctam habet. Differt etiam in hoc â Metaphysica, quòd Logica saltem concernat materiam denominationis, cùm agat de secundis intentionibus adjunctis primis, â qua tamen etiam abstrahit Metaphysica, quæ tamen in suo objecto admittit compositionem Metaphysicam ex actu & potentia. Theologia autem in suo objecto etiam talem compositionem ex actu & potentia excludit, neq; objectum Theologiæ concernit materiam denominationis, ex quo patet quomodo Theologia, Metaphysica & Logica inter se distinguantur.

Ad id

Ad id quod additur de Musica, & scientijs subalternatis.

Resp. in illis non esse duplicem abstractionem, sed unicam, quatenus objectum scientiæ superioris per additionem differentiæ accidentalis redditur minus abstractum â materia, quæ minor abstractio est unica, etsi participet aliquid de utraque, sicut medium dicitur unicum etsi participet aliquid de utroque extremo, adeoque etiam objectum scientiæ superioris per additionem differentiæ accidentalis, cum reddatur minus abstractum, etiam induit diversam speciem in genere scibilis.

Arg. 3. stat optimè dari aliquam scientiam, quæ sit una secundùm speciem infimam, cujus tamen objectum non sit unum in specie, ergo unitas scientiæ ab objecto non desumitur in esse scibilis. prob. antec. Metaphysica est una secundum speciem infimam ut supponitur, sed ejus objectum est ens in tota sua latitudine prout est commune ad Deum & creaturas, ad ens reale & rationis, ergo non potest esse unum in specie, etiam in esse scibilis. consequentia patet, nulla ratio univoca, quæ sit realis, potest esse comunis Deo & creaturis, item enti reali & rationis: sed ratio scibilis est aliqua ratio realis univoca, ergo non potest in prædictis inveniri ratio entis seu scibilis univocè.

Resp. Metaphysicam esse unam scientiam specie infimam, & objectum ejus in ratione scibilis esse unum specie, eò quod ratio formalis *sub qua* illius, sit abstractio ab omni materia, quæ indivisibilis est secundùm speciem.

Ad prob. dicitur Deo & creaturis nil dari commune univocum in esse entis, benè tamen in ratione scibilis vel intelligibilis. Licet autem Metaphysica agat de quibusdam, quæ ex natura sua sunt immaterialia, de alijs autem quæ sunt immaterialia solùm per intellectum, hoc tamen per accidens solùm se habet ad objectum Metaphysicæ, quod est ens in tota sua latitudine abstractũ ab omni materia, quod autem aliqua sint immaterialia secundùm rem, & alia secundùm intellectum per accidens est: nam ad unitatem scientiæ tantùm facit quod objectum terminens scientiam, sit immateriale omni modo, quod autẽ hoc vel illo modo sit imãteriale, parum facit ad rem. Sicut â simili objectum qualecunque dicitur

objici potentiæ sub ratione incorruptibilitatis, quod autem aliqua hanc incorruptibilitatem ex natura sua, aliqua per separationem à materia participent, parum refert.

ARTICULUS IV.

An scientia totalis sit una simplex qualitas?

SEnsus quæsiti est, an scientia v. g. Physicæ vel Methaphysicæ sint ita una simplex qualitas, ut postquam per primam demonstrationem genitus & acquisitus est habitus scientificus Physicæ aut Methaphysicæ, postmodum per subsequentes demonstrationes non generetur novus habitus, sed solùm præcedens extendatur?

Nota autem ante conclusionem, quod licet quævis scientia indigeat speciebus intelligibilibus, ipsæ tamen species intelligibiles inter se coordinatæ non sunt ipse habitus scientificus; quia species se tenent ex parte objecti repræsentando illud, habitus autem se tenet ex parte potentiæ attingendo tale objectum. hoc præmisso sit.

CONCLVSIO

Scientia totalis est unus habitus simplex in ordine ad sua objecta, ad quæ se extendit. ita expresse S. Th. 12. q. 54. a. 4.

PRobatur. quia quando potentia aliqua, vel habitus sub uno lumine, aut ratione formali attingit omnia sua objecta, tunc talis potentia vel habitus dicitur una simplex qualitas, sicut patet in potentiâ visivâ, quæ sub eadem ratione, scilicet sub eodem lumine, attingit diversissimos colores; item habitus fidei diversos articulos sub eadem ratione formali; & habitus charitatis sub eadem ratione diligit Deum & proximum, quamvis in dilectione inimici aliqualem difficultatem habeat: Sed quævis scientia totalis attingit omnia sua objecta sub eadem ratione, ergò est una simplex qualitas.

Prob. 2. lux sine nova sui mutatione extendit se ad novum obje-

objectum illuminandum, similiter relatio patris ad plures filios manet entitative eadem, & solùm extenditur ad plures filios ergo similiter idem habitus scientificus substantialiter idem manebit & solùm se se extendet ad plures conclusiones demonstratas in tali scientia.

Prob. 3. per secundam demonstrationem non generatur habitus specie diversus ut patet. cum omnes illæ demonstrationes procedant sub eadem ratione formali sub qua, nec generatur alius habitus solo numero diversus, quia alias duo accidentia solo numero diverso essent in eodem subjecto, quod supra in libro de generatione & corrnptione, dum de intensione qualitatum egi, fieri non posse ostendi, ergo dicendum est, quod in scientia totali maneat solùm una simplex qualitas.

Arg. 1. habitus dantur ad superandas difficultates sed in secunda vel tertia demonstratione alicujus scientiæ, potest esse specialis difficultas, ergo ad hanc difficultatem superandam dabitur saltem novus habitus partialis, & consequenter scientia non est una simplex qualitas.

Resp. dist. maj. quando illa difficultas est in ordine ad diversum objectum formale conc. maj. quando est intra latitudinem ejusdem objecti formalis totalis neg. maj. & applicata distinctione ad minorem neg. conseq. Unde quia ista objecta partialia continentur intra latitudinem objecti formalis & adæquati talis habitus, ideo non requiritur novus habitus, sed sufficit, quod præexistenti habitui adveniat novus modus perfectionis, prout in libro de generatione & corruptione de intensione qualitatum Dixi.

Arg. 2. habitus scientificus producitur per actum scientificum, ergo ubi est novus actus scientificus, producetur novus habitus scientificus, sed in scientia habentur diversi actus scientifici, ergo etiam producent diversos habitus saltem partiales scientificos.

Resp. dist. ant. si non inveniat illum jam productum, vel si talis actus se se extendat ad diversum objectum formale conceditur antec. secus neg. antec. & similiter distinguuntur reliquæ propositiones.

Dico

Dico ergo, quod si talis actus jam inveniat habitum productum (tunc, ne duo accidentia solo numero distincta reperiantur in eodem subjecto) solùm extendetur præcedens habitus, & adveniet ille novus modus perfectionis, qui modus non differt solo numero ab habitu præexistente, nec differt ab illo specie completa (cum contineatur intra latitudinem ejusdem objecti formalis) sed differt ab illo specie incompleta, eo modo, quo quilibet modus ab alia qualitate perfecta differre solet. Pro quo.

Notandum quod modi illi extensionis sint quasi specie distincti, cum objecta partialia quæ attingunt saltem materialiter & in esse entis specie distinguantur. Nec hoc impedit, quo minus possint ipsi qualitati præexistenti uniri, non quidem per continuationem, nec tanquam actus potentiæ propriè loquendo, sed sicut modi uniuntur rei, quam modificant.

Nec inde sequitur illos facere unum per accidens cum habitu aut qualitate illa, sicut facerent illi novi habitus, quia illi modi solùm sunt formalitates quædam incompletæ, habitus verò esset entia completa & nō tantùm qualitates partiales, quia quivis illorum habituum directè spectaret ad prædicamentum qualitatis, ad quod requiritur, quod sit ens completum.

Arg. 3. si scientia v. g. Methaphysicæ esset una simplex qualitas, sequeretur quod homo per primā demonstrationem statim acquirat cognitionem omnium demonstrationum, sed hoc est falsum ergo & id unde sequitur. seq. prob. nam qui habet totalē scientiā, habet cognitionem omnium, quæ spectant ad talem scientiam, sed qui solùm haberet unam demonstrationem in tali scientia, is haberet totalem scientiam, ergo etiam haberet cognitionem omnium demonstrationum.

R. neg. seq. quia licèt per primam demonstrationem acquiratus scientia totaliter totalitate substantiali, non tamen totalitate extensionis. ad prob. dist. maj. qui habet scientiam totalem tam substantialem quam extensivam, is habet cognitionem omnium conclusionum conced. maj. qui habet scientiam totalem solùm quo ad substantiam & entitatem, non autem quò ad extensionem neg. maj. & applicata distinctione ad minorem neg. conseq.

QUÆ-

QVÆSTIO II.

De quidditate entis realis in communi, ejusque proprietatibus.

ARTICVLVS UNICUS.

Quid sit ens reale in communi, & quot ejus proprietates?

CONCLVSIO.

Ens reale bene definitur esse id, quod habet, aut aptum est habere esse in existentiam in rerum naturâ.

HÆc conclusio patet ex dictis in Logicâ, nec eget probatione. Ut satisfiat secundo quæsito in titulo articuli posito.

Notandum, certum esse, ens *ut sic*, non habere proprietates physicales & prædicamentales, quæ sunt illæ, quæ ab essentiâ realiter dimanant, ab eaquè realiter distinguuntur, suntque aliquid extra essentiam, ita ut nec essentia in proprietatibus, nec etiam proprietates in conceptu essentiæ includantur, qualis proprietas est v. g. risibilitas respectu hominis. Cum enim ens realiter & transcendentaliter in omnibus includatur, hinc tales proprietates physicas & prædicamentales non habet, sed solùm habet proprietates logicas & attributales, quæ sunt modi quidam aut formalitates, non realiter, sed solùm *virtualiter* ab ente distinctæ, habentes pro causâ sui *virtuali* ipsum ens. Solent autem proprietates entis assignari 5. scilicet, unum, verum, bonum, res & aliquid.

Quæres primò, quid sit unum?

Resp. quod unum sit ens indivisum in se, & divisum à quolibet alio; unde unum importat entitatem principaliter, formaliter & in recto, negationem autem divisionis importat minùs principaliter, in obliquo, & secundariò, non autem primariò; quia carentia divisionis præcisè sumpta est non ens, unum autem tanquam proprietas entis non potest dicere non ens primariò: superaddit tamen enti explicitè solam indivisionem.

Quæres secundò, quid sit veritas? ante responsionem.

Notandum, quod triplex sit veritas, una est veritas in essendo, seu veritas entis transcendentalis. Secunda est veritas in cognoscendo, quæ dicitur veritas formalis, & tertia est veritas in significando, hoc supposito.

Respondetur ad quæsitum, quod veritas transcendentalis consistat in conformitate seu convenientia, quam unaquæquè res habet, aut habere potest cum intellectu, veram de illo existimationem, verumquè conceptum habente. &

Ratio hujus est, quia quando aliquid est per se primò tale, tunc cætera non sunt talia nisi per habitudinem ad illud, sed intellectus est per se primò verus (veritas enim proprijssimè dicta, est solùm veritas formalis, quæ in solo intellectu reperitur, cum nil aliud sit, quàm conformitas rei cum intellectu) ergò omnes aliæ res dicuntur veræ per habitudinem seu conformitatem ad intellectum, verum de illo conceptum formantem.

Ex quo habes, veritatem transcendentalem non addere aliquid reale enti, sed tantùm exprimere realem perfectionem, illam nimirum habitudinem transcendentalē, quæ nomine entis non exprimitur, quod est addere aliquid enti non propria additione, sed majori expressione.

Habes præterea, quod veritas formalis sit conformitas seu adæquatio intellectus cognoscentis cum re cognita, prout omnes admittunt. Hæc tamen veritas formalis propriè solùm reperitur in secunda operatione nostri intellectus, seu in propositione judicativa, quia per secundam mentis operationem non solùm est conformitas intellectûs ad rem materialiter sumptam, sed etiam est conformitas ad rem formaliter acceptam, cum actus judicij formaliter attingat res, prout in ea sunt, nimirum uniendo ei prædicata, si ei conveniant, aut dividendo vel negando, si ei non conveniant. Et similiter etiam falsitas formalis propriè tantùm est in secunda mentis operatione, ob rationem mox assignatam.

Quæres tertiò. Quid sit bonitas?

Respondetur, quod bonitas nihil sit aliud, quam ipsamet entitas & perfectio rei, ut conformis & congrua voluntati, atque adeo non est ipsa entitas præcisè sumpta (aliàs bonum tanquam

pro-

proprietas entis nullo modo distingueretur ab ente) sed addit supra ens relationem realem transcendentalem convenientiæ cum voluntate vel appetitu. &

Ratio hujus est, quia bonum idem est, ac appetibile *ut sic*, vel ut inquit Aristoteles; bonum est, quod omnia appetunt, ergo bonitas consistit in appetibilitate rei: sed appetibilitas nil aliud est, quàm ipsamet rei entitas & perfectio, ut conformis & conveniens voluntati aut ipsi naturæ appetenti seu volenti, ergo.

Ex his habes, quod bonitas sit proprietas transcendentalis entis, quia convertitur cum ipso ente, & explicitè importat convenientiam & conformitatem cum voluntate, quæ implicitè tantùm importatur nomine entis.

Habes præterea, quod ad hoc, ut res aliqua dicatur bona, debeat esse existens, vel importare ordinem ad existendum; potest tamen per accidens, & sub ratione boni appeti *non esse*, sicut de facto damnati *sui propriij esse* destructionem optant, non per se, sed per accidens, tanquàm *aliquid liberativum* à miseriâ, quod esse liberativum à miseriâ est aliquid boni.

QVÆSTIO III.

De existentia comparativè ad essentiam.

ARTICVLVS UNICUS.

An; & quomodo distinguantur in rebus creatis essentia & existentia?

NOtandum, quod ens & essentia solùm distinguantur ut concretum, & ut abstractum, quæ in transcendentibus sunt omnino realiter idem, & de se invicem prædicantur: unde utrumque definitur esse id, cujus actus est esse, quod propriè de solis rebus creatis intelligi debet, in Deo enim essentia est ipsum suum esse, non autem potentia ad illud, sicut essentia creata. Est autem existentia ultima actualitas rei, quâ constituitur in rerum naturâ. Hoc præmisso sit

CONCLUSIO. I.

Existentia in rebus creatis distinguitur realiter ab essentia.

PRobatur. Nam existentia rei creatæ realiter separatur ab ejus essentia, ut patet defacto in humanitate Christi, quæ defacto sine existentiâ propriâ & subsistentiâ fuit à Verbo Divino assumpta, ergo existentia distinguitur realiter ab essentia. Consequentia patet, quia separatio realis unius est signum realis distinctionis ab altero, ergo.

Confirmatur. Nulla res creata est suum esse, ergo realiter distinguitur ab illo. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia nulla potentia realis est suus actus, sed essentia est potentia realis in ordine ad existentiam, tanquam ad actum ultimum, ergo. Manet ergò, quod existentia realiter distinguatur ab essentia, non quidem tanquam res à re, sed solùm tanquam res & modus, aut terminus, & ultimum complementum essentiæ, & pertinet ad ejus lineam. Ac proinde existentia substantiæ est aliquid substantiale. Et licèt existentia dicatur esse accidens logicum, quia contingenter prædicatur de re, non tamen est accidens physicum, & prædicamentale, cum ad illud prædicamentum indirectè pertineat, in quo ponitur directè essentia, cujus est existentia.

CONCLUSIO II.

Subsistentia, per quam natura constituitur per se subsistens, distinguitur realiter ab essentia.

PRobatur conclusio: Nam in incarnatione fuit realiter separata subsistentia ab humanitate Christi, ergò subsistentia est realiter distincta ab essentia, consequentia patet ex dictis.

Nota hic quod suppositum (ad quod natura comparatur ut principium quo ad principium quod) dicatur eadem natura individualis & subsistens incommunicabiliter.

Porrò licèt omnis natura existens & subsistens dicatur suppositum, personalitas tamen & persona seu hypostasis solùm dicuntur de naturali intellectuali, ita ut persona nil aliud sit quàm suppositum naturæ intellectualis. Cæterùm sicut subsistentia est

aliquid

aliquid distinctum à natura, sic etiam personalitas est aliquid distinctum à natura, ut manifestè patet, in incarnatione, ubi Verbum divinum solùm assumpsit naturam non autem personam humanam. Denique licèt essentia & natura idem sint quodammodo, differunt tamen in hoc, quod essentia dicatur per ordinem ad esse seu existentiam, unde etiam essentia definitur esse id, cujus actus est esse, natura autem definitur per respectum ad operatationem, cujus est principium & radix.

Arg. 1. contra primam. Existentia nil aliud est, quàm ipsamet entitas positiva essentiæ ut constituta à parte rei & extra causas, ergo non distinguitur realiter ab essentia.

Resp. neg. sequelam. Quia quòd essentia dicatur positivè extra suas causas existens, involvitur existentia, quæ est ultima actualitas, per quam res ultimò constituitur, quæque est separabilis ab essentia, ut ostensum est inprobatione conclusionis.

Arg. 2. Existentia est id, per quod res constituitur in ratione entis actualis, & extra nihil, sed res per suam propriam entitatem & essentiam constituitur in ratione entis actualis, & extra nihil, ergo existentia non est quid distinctum ab essentia.

Resp. dist. maj. In ratione entis actualis, actualitate essentiali neg. maj. actualitate modali substantiali conced. maj. sed res per suam propriam entitatem constituitur in ratione entis actualis, actualitate essentiali conced. min. entitate modali substantiali neg. min. & conseq. Hæc enim entitas actualis modalis est ab existentia.

Dices. per propriam entitatem extrahitur res extra nihil, & extra causas, ergo per illam constituitur in ratione entis actualis, actualiter existentis.

Resp. quòd res extrahatur per propriam suam entitatem, tanquam per rationem formalem, per existentiam verò tanquam per conditionem & modum quemdam supervenientem.

QUÆSTIO IV. ET ULTIMA.

De Deo & Angelis.

ARTICULUS I.

Utrum naturaliter possit demonstrari, quòd sit Deus?

CONCLUSIO

Est affirmativa.

PRob. quia impossibile est, quòd omne ens sit ab alio, & quod omne ens ab alio moveatur, aliàs in utroque daretur processus in infinitum, ergo deveniendum est ad aliquod ens primum quod moveatur â se, ipsum autem, omnia alia moveat.

Confirm. Datur prima causa, ergò etiam datur Deus. consequentia pat. quia Deus nil aliud est, quàm causa prima, continens in se omnes perfectiones, â qua omnes aliæ causæ per se subordinatæ necessariò dependent.

Ex quo fit, quod cum homo cognoscat, non posse dari plures motores primos, etiam naturaliter cognoscat, solum dari unicum Deum.

Dices: Essentia Dei & ejus existentia solùm cognoscuntur à Beatis, ergo non possunt naturaliter cognosci; maximè quia Philosophus Christianus habet fidem, *quòd Deus sit*, ergo non habet scientiam quòd Deus sit.

Resp. quòd Essentia Dei à Beatis clarè & intuitivè cognoscatur, à nobis tamen imperfectè, abstractivè & collativè ad creaturas naturaliter cognosci possit. Philosophus autem Christianus non habet fidem (nisi tantùm in præparatione animi) circa hanc propositionem, *Deus est*, prout in Logica Articulo ultimo dixi.

Quæres quænam sint perfectiones divinæ & attributa?

R. quod cum Deus essentialiter sit ens à se & existens seu ens per essentiam, ita ut de essentia illius sit quòd existat, juxta illud Exodi 3. *Ego sum qui sum*; hinc Deus est actus purus, identificans sibi non tantùm existentiam sed etiam omnes alias perfectiones, ita

ut

ut excludat omnem compositionem non solùm physicam, sed etiam Metaphysicam & Logicam, & ideo etiam Deus est ens simplicissimum. Item quia Deus est abstractus ab omni prorsus materia, hinc etiam est summè intellectivus, quia immaterialitas est radix intellectualitatis.

Præterea etiam Deus est immensus, & ubique præsens in omni loco; quia Deus est ens per essentiam, omnia in hoc universo tanquam causa prima agens & operans; causa autem efficiens debet esse immediata passo per suam virtutem tantùm, quando operatio illius est aliquid distinctum à substantia, debet autem etiam per suppositum simul esse præsens, si actio illius sit ipsa substantia agentis, prout sit ex Deo.

Est etiam Deus æternus, & immutabilis, alias non esset actus purus, nec perpetuò esset ens à se.

Præterea Deus est infinitus, ita ut ejus perfectio nullos habeat limites, sed omnes perfectiones, maximè simpliciter simplices (quæ nimirum in suo conceptu essentiali nullam includunt imperfectionem) ut intellectum, voluntatem, sapientiam, scientiam, liberalitatem, misericordiam & similes includat, alias autem perfectiones continet saltem eminenter. Et ita cum Deus omnes perfectiones contineat, etiam est summè *verus* propter maximam conformitatem ad objectum, & est summè *bonus quia est* summè congruus voluntati propter suas summas perfectiones.

Denique soli Deo convenit tanquam enti primo, quòd sit causa omnium aliorum, adeoque ei convenit creare aliquid ex nihilo; 2. conservare res creatas per suum concursum, vel etiam easdem res annihilare per substractionem sui concursus, 3. concurrere cum omnibus causis secundis concursu non solùm simultaneo, sed etiam prævio.

ARTICVLVS II.

Utrum dentur in hoc universo angeli?

CONCLVSIO.

Dantur in hoc universo angeli, qui sunt substantiæ incorporeæ completæ.

Prob.

PRob. primò ex Sacra Scriptura; nam Danielis. 7. dicitur millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Et Lucæ 1. missus est Angelus Gabriel. Et similiâ loca plurima habentur in sacris literis, ut meritò dicat S. Gregorius. Angelos esse, passim omnes Sacræ Scripturæ paginæ testantur.

Prob. etiam ratione. Universum hoc quo ad omnes tres gradus, *essendi* scilicet, *vivendi*; & *intelligendi*, debet esse perfectũ, sed non esset perfectum quo ad tertium gradum *intelligendi*, si non darentur Angeli, ergò dantur Angeli. prob. major. quia tunc gradus intelligendi solùm est perfectus in hoc universo, quando datur aliqua creatura *pura intellectualis*, operans omnia per intellectum & voluntatem, ita ut nec sit forma corporis, nec ullomodo dependeat â corpore, sed soli angeli sunt substantiæ puræ intelligentes & operantes omnia tam directivè quàm executivè per intellectum & voluntatem, nec sunt formæ corporum, nec dependent in suis operationibus â corpore ergo.

Prob. 2. p. Angeli habent operationes omnino spirituales, ergo etiam ipsi sunt omnino immateriales.

Probatur consequentia, quia tale debet esse principium operationis, qualis est ipsa operatio, sed ipsa operatio angeli, nimirum intellectio & volitio sunt omnino aliquid spirituale, ergo etiam ipsa substantia angeli tanquam principium hujus operationis, est omnino spiritualis.

Arg. 1. contra 1. p. concluſ. Moyses in descriptione creationis mundi non fecit mentionem angelorum, ergo non dantur angeli.

Confirm. Etsi non darentur angeli, salvaretur tamen gradus intelligendi in anima rationali, ergo ratio S. Thomæ non subsistit.

Resp. ad primum. Quod Moyses describens mundum, fecerit mentionem angelorum implicitè, comprehenditq eos sub nomine cæli, quod, ut ait venerabilis Beda, fuerat creatum plenum angelis.

Resp. ad secundum. quod in anima rationali non salvetur gradus intelligendi perfectè & completè. Tum quia anima in sua operatione dependet â phantasmatibus pro statu conjunctionis. Tum quia est forma corporis, & est corporea ut *quo*. Tum deniq; quia

anima

anima executivè non operatur omnia per intellectum & voluntatem, sicut Angelus.

Arg. secundò contra 2. p. concluſ. Homo habet operationes spirituales, scilicet intellectionem & volitionem, & tamen homo non est immaterialis, ergo ex eo quòd Angelus habeat operationes immateriales, non sequitur, quòd ipse sit immaterialis.

Resp. quòd intellectio hominis pro statu conjunctionis sit materialis quo ad ea, *quæ præsuppositivè dicat*, quatenus nimirum dependet â phantasmatibus. Adde, quòd licèt totus homo non sit immaterialis, est tamen immaterialis secundùm illam partem, id est, secundum animam rationalem, per quam elicit operationes spirituales.

Quæres primò. An Angeli sint creati in magno numero?

Resp. affirmativè, Idque patet ex eo Danielis 7. milia millium ministrabant ei &c. Unde numerus Angelorum est tantus, ut excedat in multitudine omnes species rerum corporearum, omnia tamen individua rerum omnium corporearum non est credibile, quòd excedat. Quis enim credat, quod plures sint Angeli, quàm gramina, grana frumenti, hordei avenæ &c. Item folia, fructus arborum & arenæ in littore maris. Sunt tamen plures Angeli quàm homines, præteriti præsentes & futuri, quia solùm ex infimo choro Angelorum, cuivis homini unus Angelus pro custodia est deputatus, ita ut homine illo mortuo nulli alteri inserviat, cùm hoc tam excellenti spiritui videatur esse indignum. Cum ergo plures alij chori supersint, in quibus sunt plurimi Angeli, utique Angeli in multitudine superabunt omnes homines. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 113. a. 2. 3. & 4.

Quæres secundò. An Angeli sint creati ante mundum corporeum.

Resp. negativè. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 61. a. 3. Unde probabile est, quòd sint creati prima die creationis. cujus

Ratio est. Quia Angeli sunt partes principales & supremæ hujus universi, tanquam alicujus totius, nulla autè pars principalis separatim est producta â suo toto, ergo Angeli tanquâ partes principales hujus universi non sunt creati ante mundum corporeum.

Quæres tertiò. An Angeli sint creati in cælo empyreo?

Resp. affirmative. Quia Angeli sunt creaturæ nobilissimæ, creati adhoc, ut præsint toti naturæ corporeæ, ergo conveniens fuit, quòd in loco nobilissimo, quale est cælum empyreum, sint creati.

Dices. Isaiæ 14. de Lucifero dicitur. Ascendam in cælum & similis ero altissimo, ergo Lucifer, qui fuit præstantissius Angelus, non fuit in cælo Dei, id est in cælo empyreo.

Resp. verba illa intelligenda esse de cælo sanctissimæ Trinitatis, cui in Deitate multum volebat esse similis Lucifer, ut, hunc locum exponit Sanctus Thomas. Si enim materialiter omnia illa verba vellemus accipere, tunc manifestè sequeretur, quod etiam Lucifer & alij Angeli mali infra nubes fuissent creati, quia dicitur ibi; ascendam supra altitudinem nubium.

Quæres 4. an Angeli possint assumere corpora?

Resp. affirmativè, ratio hujus est quia Scriptura S. sæpe memorat angelos apparuisse, qui promiscuè ab omnibus fuerant visi, ergo cum angeli nec corporei sint, nec corpora naturaliter seu ex necessitate tanquam sui compartes sibi habeant unita, manifestè sequitur quod angeli solùm assumant corpora. Prob. antec. nam angeli qui apparuerunt Abrahæ, visi sunt ab illo & à totâ sua familia; Item à Loth & à tota Civitate visi sunt duo angeli, ita ut Sodomitæ verè & realiter tentârint eos ad peccatum. Angelus etiam Raphaël, qui duxit & reduxit Tobiam, visus est ab omnibus, ergo.

Nota hîc quod angeli talia corpora, quæ assumunt, non formant ex nihilo, quia formare corpus ex nihilo, est aliquid creare, quod soli Deo competit. dicendum ergo est cum S. Th. q. 6. de pot. a. 7. ad 7. quod licet absolutè loquendo angelus possit ex quovis elemento corpus assumere, vel etiam ex pluribus elementis commixtis, magis tamen congruũ, est quod ex aëre corpus assumat, ipsũ condensando quantum necesse est ad corporis assumpti formationem: cujus rationem annectit Angelicus Præceptor, quia aër maximè transmutabilis est, & convertibilis in quæcunque, ita ut licet partes ipsius scindantur, statim iterum continuentur, cujus signum

gnum est, quod quidam videntes corpus à dæmone assumptum, illudque gladio scindere volentes, id efficere non potuerint, quia partes aëris divisi statim continuantur. Tum etiam quia talia corpora facilè evanescunt, & statim iterum apparent ad arbitrium angeli, adeoque aëris subtilitatem referunt.

Nec tamen putes, quod angelus in talibus corporibus à se assumptis exerceat vera opera vitæ sensitivæ aut vegetativæ ut docet S. Th. 1. p. q. 51. a. 3. Unde comestio angelorum, qui in assumptis; corporibus apparuerunt Abrahæ & Tobiæ, non fuerat vera comestio vitalis, quia cibus ab illis sumptus, nec fuit conversus in corpus assumptum, nec illud corpus fuit talis naturæ, in quod alimentum possit converti. Hinc angelus Raphaël dixit Tobiæ, cum essem vobiscum videbar quidem manducare & bibere, sed ego potu invisibili & cibo utor.

Quæres quintò, quæ conditiones requirantur ad hoc ut corpus aliquod dicatur ab angelo esse propriè assumptum?

Resp. primò requiri, ut corpus assumptum uniatur angelo, quia assumere idem est ac ad se sumere, seu sibi unire. 2. quod corpori assumpto uniatur ut motor mobili, hæc tamen conditio non sufficit (aliàs angelus movens corpora cælestia, diceretur illa assumere) sed insuper requiritur, quod angelus corpus assumptum ita formet & moveat, ut per figuram, delineamenta, & proprietates visibiles corporis assumpti, repræsententur proprietates, virtutes, & operationes invisibiles, seu spirituales angeli assumētis, vel superiorum angelorum. Ita S. Th. q. 6. de potentia art. 7. ad 1. & in 2. dist. 8. quæst. 1. a. 3.

Quæres ultimò. Cur Angeli sint creati à Deo?

Resp. propter quatuor fines precipuè. Primò, ut consequantur cælestem beatitudinem. Secundò propter divinarum laudum concentum, ita tamen ut diversimodè angeli DEUM laudent. quidam enim angeli laudant DEUM ut Majestatem, quidam ut Bonitatem, quidam ut sapientem &c. Tertiò, ut mundum corporeum regerent, & creaturæ corporali præessent: divina enim providentia solet regere inferiora per superiora, & corporalia per spiritualia; & ideo Angeli dicuntur rectores mundi, imò dicuntur

portare

portare orbem juxta illud. Job 9. DEUS cujus iræ nemo resistit, & sub quo currantur, qui portant orbem, id est, angeli. Quartò deniqúe, ut hominibus opitulenter, eosque custodiant, juxta illud Psalmi. 90. Angelis suis DEUS mandavit de te, ut custodiant te, item ut per eos deducatur homo in vitam æternam, cumque illis DEUM in æternum laudet. Et hæc de tota Metaphysica & Philosophia, dicta sufficiant, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ (cum qua teneo, quidquid illa profitetur, & repudio quidquid illa rejicit) correctioni subjecta sunto.

FINIS.

Omnia ad Majorem DEI, Deiparæq; Virginis MARIÆ, S. Dominici, Angelici Præceptoris Divi Thomæ Aquinatis omniumq; cælitum Honorem & Gloriam.

INDEX TOTIVS OPERIS,

T. indicat Tractatum, P. indicat paginam.

A.

ABstractio à materia est triplex. t. 6. p. 432.

Abstractio à materia in metaphysica quænam sit. t. 6. p. 433.

Accidens est ens in alio. t. 2. p. 139.

Accidentia duo solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto. t. 4. p. 358.

Accidens benè definitur, quod sit id, quod potest adesse vel abesse sine subjecti corruptione. t. 2. p. 122. Quomodo intelligenda sit hæc definitio. t. 2. p. 122.

Accidens constituitur in ratione quinti prædicabilis per ordinem ad subjecta, quæ accidentaliter denominat. t. 2. p. 123.

Actio quid & quotuplex sit. t. 2. p. 186.

Actio immanens subjectatur in agente, transiens autem completè subjectatur in passo. t. 3. p. 287.

Actio passio & motus sunt eadem res entitativè, differunt tamen formaliter, seu modaliter. t. 3. p. 284.

Agens non potest agere in distans, nisi prius agat in propinquum. t. 3. p. 323.

Agens naturaliter non potest agere in distans. ibidem.

Adamo fuit à Deo infusa scientia Logicalis. t. 2. p. 56. Productio Evæ ex costâ Adami non fuit vera generatio. t. 4. p. 340.

Aër in tres regiones dividitur, scil. in infimam, mediam & supremam. t. 4. p. 381. Est calidus & humidus propè summum. t. 4. p. 365. In Aëre quæ meteora generentur. t. 4. p. 379.

Analoga quid, & quotuplicia sint, & quæ sint conditiones Analogorum attributionis & proportionalitatis. t. 2. p. 124. 125. & 126.

Angeli in hoc universo dantur. t. 6. p. 447. Sunt creati in magno numero; & quidem in cælo empyreo. ibidem p. 450. Non tamen ante mundum corporeum. t. 6. p. 449. Possunt assumere corpora, quæ formant potissimum ex aëre. t. 6. p. 450. Cur sint creati à Deo. t. 6. p. 451.

Anima quomodo definiatur. t. 5. p. 386.

Anima benè dividitur in vegetativam, sensitivam & rationalem. t. 5. p. 388. In quovis vivente solùm est unica anima, t. 5. p. 390.

Anima rationalis continet animam vegetivam & sensitivam eminenter & formaliter, ita ut anima rationalis possit tribuere corpori verum gradum

dum vegetandi & sentiendi. t. 5. p. 390.
Anima informat non solùm ossa, nervos, carnem, dentes & ungues, sed etiam sanguinẽ perfectum, aliosq; tres humores naturales, scil. pituitam, choleram & melancholiam. t. 5. p. 393.
Animæ plantarum, & quorundam imperfectorum animaliũ, quæ dicuntur sectilia, sunt divisibiles. t. 5. p. 396.
Anima rationalis & aliorum animalium perfectorum sunt indivisibiles. ibid.
Quinque sunt genera potentiarum animæ in varias species divisibilia, scil. vegetativum, sensitivum, intellectivum, appetitivum & locomotivum. t. 5. p. 397. Anima vegetativa quid sit, & quænam sint ejus potentiæ. t. 5. p. 400. Anima sensitiva quid sit, & quotuplex sit sensibile. t. 5. p. 403. Anima rationalis est spiritualis, & incorruptibilis. t. 5. p. 415. Vna anima rationalis non est perfectior alterâ in perfectione essentiali & specificâ, bene tamẽ in perfectione accidentali. t. 5. p. 416. Datur in anima rationali intellect9 agens & possibilis. t. 5. p. 417.
Ante prædicamenta quæ sint? t. 2. p. 124.
Appellatio quid & quotuplex sit. t. 1. p. 30. 31. Appellatione variatâ, non valet consequentia, t. 2. p. 145.
Aqua est summè humida, & propè summum frigida. t. 4. p. 365.
Argumentatio est oratio in qua unum ex alio inferri denotatur. t. 1. p. 20.
Argumentationis species sunt 4. nimirum Syllogismus, Enthymema, inductio & Exemplum. t. 1. p. 21.
Argumentatio ex parte notæ illationis est triplex, puta rationalis, conditionalis & causalis. t. 1. p. 21.
quid requiratur ad veritatem conditionalis & causalis. t. 1. p. 24. consequentia in mala argumentatione solùm est æquivocè consequentia cum bonâ consequentia. t. 2. p. 65.
Ars est habitus rectâ cum ratione factivus. t. 2. p. 72. Sunt septem artes liberales, & septem Mechanicæ. t. 2. p. 72. & quæ nam illæ, ibidem. Logica est ars liberalis secundùm quandam similitudinem. t. 2. p. 73. Ars tanquam causa principalis non potest producere opus naturæ, potest tamen concurrere applicando activa passivis. t. 3. p. 245.
Assensus præmissarum efficienter concurrit, ad assensum conclusionis, imò posito assensu præmissarum necessitatur voluntas ad assensum conclusionis necessitate quo ad specificationem & quo ad exercitium, t. 1. p. 195.
Augmentatio vera datur, definitur quid sit. t. 5. p. 401.
Æquipollentia quid, & quotuplex sit. t. 1. p. 35.
Æquivoca sunt quorum nomen commune est, ratio autem nomini accommodata est omnino diversa. t. 2. p. 124.
Æstimativa quid sit. t. 5. p. 413.

B.

Bonitas quid sit. t. 6. p. 275.
Bonitas est ratio formalis finalizandi in fine, & movendi voluntatem. t. 3. p. 275.

C.

Casus Philosophicè loquendo quid sit, t. 3. p. 271.
Causa quid sit. t. 3. p. 250.
Causa est quatruplex, materialis, formalis, efficiens & finalis. Causæ materialis, formalis & efficientis quænam sit causalitas. t. 3. p. 251. Causali-

salitas causæ finalis est ipsa motio metaphorica. t. 3. p. 273.

Causa efficiens per se meteorum est maximè virtus solis, & astrorum. t. 4. p. 378. Omnis causa saltem prioritate naturæ est prior suo effectu. t. 3. p. 253.

Causa subinde est majoris, subinde æqualis, subinde minoris perfectionis cum suo effectu. t. 3. p. 253. aliæ divisiones causæ in primam, & secundam, principalem & instrumentalem &c. enumerantur. t. 3. p. 255. Omnis causa secunda indiget concursu Dei simultaneo. t. 3. p. 263. Item prævio. t. 3. p. 265. Causa instrumentalis accipit aliquam virtutem sibi impressam à principali agente. t. 3. p. 268. Duæ causæ totales non possunt simul & semel producere eundem numero effectum. t. 3. p. 278. Causæ rationem non habet in divinis pater respectu filij. t. 3. p. 251. Christus ut homo ponitur in prædicamento substantiæ. t. 2. p. 143.

Conversio propositionum quid, & quotuplex sit. t. 1. p. 36.

Cæli omnes distinguuntur specie inter se. t. 3. p. 336.

Cæli sunt incorruptibiles. t. 3. p. 334.

Cæli influunt in hæc inferiora. t. 3. p. 335.

Cælestis materia distinguitur specie à sublunari. t. 3. p. 384.

Cometa quid, & quotuplex sit, ubi generetur, & quid significet. t. 4. p. 379.

Compositum non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & unitis. t. 3. p. 239.

Continuum habet partes aliquotas, finitas, proportionales infinitas. t. 3. p. 316.

Continuum non componitur ex solis indivisibilibus. t. 3. p. 310.

Contrarietas motûs sumitur ex terminis oppositis. t. 3. p. 308.

Corpus idem numero non potest esse simul in duobus locis circumscriptivè. t. 3. p. 295. Duo corpora supernaturaliter, non tamen naturaliter, possunt esse in eodem loco. t. 3. p. 294.

D.

Definitio est oratio naturam rei explicans. t. 1. p. 17. quotuplex sit. ibid. p. 17.

Definitum in definitione generis non est natura substrata, sed secunda intentio in concreto. t. 2. p. 105.

Demonstratio quid sit, & quotuplex. t. 2. p. 192. Ejus divisio in demonstrationem propter quid & quia est bona, & univoca. t. 2. p. 198.

Denominatio extrinseca datur à parte rei. t. 2. p. 86.

Deus cognoscit ens rat. t. 2. p. 93. refertur duplex sententia, quarum una negat Deum posse facere ens rationis altera autem tuetur Deum posse facere Ens rat. t. 2. p. 93.

Deus non ponitur in prædicamento. t. 2. p. 144.

Differentia quid & quotuplex sit. t. 2. p. 116. Divisio ejus in communem, propriam & proprijssimam est bona, & analoga. t. 2. p. 116.

Difficultas negativa, seu quæ manet intra idem objectum formale, non requirit distinctum habitum. t. 6. p. 439.

Distinctio tantùm est duplex, scilicet realis & rationis. t. 2. p. 100.

Divisio quid, & quotuplex. t. 1. p. 19.

Divisio universalis in 5. prædicabilia est

univoca & generis in species. t. 2. p. 103.
Divisus sensus, & compositus explicatur. t. 1. p. 38. Item t. 3. p. 267.

E.

Echo quid sit t. 5. p. 409.
Elementum quid sit. t. 4. p. 364.
Elementa quot sint, & quænam eorum qualitates. t. 4. p. 365.
Ens est prædicatum transcendens, & analogum utrâque analogiâ respectu suorum inferiorum; non autem purè æquivocum vel univocum. t. 2. p. 27.
Ens non habet conceptum simpliciter præcisum à suis inferioribus. t. 2. p. 130. Entis proprietates sunt Res, Bonum, Aliquid, Vnum, Verum. t. 6. p. 441.
Ens rationis quid sit. t. 2. p. 84. Ens rat. non consistit in denominatione extrinsecâ, sed in aliquo esse ficto. t. 2. p. 86. & 87.
Eva non fuit generata, sed producta ex costâ Adami. t. 4. p. 340.
Existentia distinguitur in creatis realiter ab essentia, â quâ essentiâ etiam distinguitur subsistentia. t. 6. p. 444.

F.

Facile & difficile mobile ex naturâ suâ sunt differentiæ essentiales habitûs, & dispositionis. t. 2. p. 180. & 181.
Fames quid sit. t. 5. p. 411.
Fatum quid sit, & an detur. t. 3. p. 271.
Fides quid sit? Habet ad mixtam obscuritatem t. 2. p. 200.
Fides an stare possit cum scientiâ. t. 2. p. 204.
Fides quomodo maneat in Philosopho Christiano respectu propositionis à se scitæ. t. 2. p. 205.
Figuræ syllogismorum sunt tantùm tres: t. 1. p. 43. sub illis continentur 19. modi. t. 1. p. 44.
Figura est qualitas ex terminatione quantitatis resultans. t. 2. p. 181.
Finis quid sit, & quotuplex. t. 3. p. 272. Est vera causa realis. ibid. p. 273.
Finis causalitas quæ. t. 3. p. 274.
Finis est principium in intentione, & terminus, seu effectus in executione. t. 3. p. 274.
Forma substantialis est principium principale quo generationis substantialis. t. 3. p. 261. Forma est actus primus materiæ primæ. t. 3. p. 233.
Formæ duæ substantiales non possunt simul informare eandem materiam. t. 3. p. 280.
Formæ substantiales materiales educuntur de potentiâ materiæ. t. 3. p. 233.
Formæ accidentales educuntur de potentia subjecti. t. 3. p. 236.
Formæ accidentales spirituales, ut gratia &c. educuntur de potentia, obedientiali animæ rationalis. t. 3. p. 236.
Fortuna Philosophicè loquendo quid sit. t. 3. p. 271.

G.

Genus quid sit. t. 2. p. 105. Genus supremum est substantia. t. 2. p. 110.
Genus in rebus corporeis sumitur à materiâ. t. 2. p. 109.
Genus non prædicatur ut totum actuale, velut pars potentialis de speciebus, sed ut totum potentiale. t. 2. p. 108.
Generis immediatum, sed non ad æquatum correlativum, sunt species. t. 2. p. 109.
Generatio quid sit duplici definitione indicatur. t. 4. p. 338. & 339.
Generatio non est actio distincta à tota præce-

præcedenti alteratione, est tamen mutatio distincta t. 4. p. 341.
Gravium & levium motus unde oriatur. t. 3. p. 321.

H.

Habitus prædicamentalis quid sit t. 2. p. 180.
Habitus primorum principiorum non est idem quod potentia Intellectiva, nec est nobis naturaliter, & completè congenitus. t. 2. p. 20.
Habitus scientiæ, & opinionis simul in eodem subjecto de eôdem formaliter objecto stare non possunt. t. 2. p. 203.
Habitus novus non producitur per secundam demonstrationem in aliquâ scientia, sed præcedens extenditur. t. 6. p. 438.

I.

Idea reducitur ad genus causæ formalis. t. 3. p. 252.
Ignis est summè calidus, & siccus t. 4. p. 365.
Imago est similitudo naturalis suæ rei repræsentatæ t. 1. p. 5.
Imaginativa tantùm fundamentaliter facit ens rationis. t. 2. p. 92.
Inceptio & desitio rerum successivarum quomodo fiant. t. 3. p. 313.
Inceptio & desitio rerum permanentium quomodo fiant. t. 3. p. 314.
Indifferentia est duplex, contrarietatis, & contradictionis. t. 5. p. 423.
Individuum primó & secundó intentionaliter sumptum quid sit. t. 2. p. 114.
Indivisibile additum alteri facit plus secundum numerum. t. 2. p. 311.
Indivisibilia an dentur in continuo. t. 3. p. 310.
Infinitum quid, & quotuplex sit t. 3. p. 289. infinitum categorematicum nec secundùm essentiam, nec secundùm quantitatem, aut qualitatem dari potest. t. 3. p. 290.
Instrumentalis causa quid sit. t. 3. p. 256.
Instrumentum habet actionem propriam præviam. t. 3. p. 268.
Instrumentum duplex, conjunctum & separatum. t. 3. p. 256.
Instrumentum efficit effectum nobiliorem se. t. 3. p. 256.
Instrumentum elevatum à Deo non est opus ut habeat propriam actionem proportionatam ad effectum principalis agentis producendum. t. 3. p. 271.
Intellectio ut est dictio potest aliqualiter spectare ad prædicamentum actionis. t. 2. p. 186.
Intellectus in nobis est duplex, scil. intellectus agens & possibilis. t. 5. p. 470.
Intellectus agens facit universale metaphysicum. t. 2. p. 100.
Intellectus possibilis per comparationem simplicem facit universale Logicum. t. 2. p. 100.
Intellectus solus facit ens rationis t. 2. p. 90.
Intellectûs possibilis objectum quid sit. t. 5. p. 417.
Intellectus possibilis simpliciter est perfectior Voluntate. t. 5. p. 422.
In intellectu datur Veritas formalis t. 6. p. 442.
Intensio qualitatum fit per majorem radicationem in subjecto. t. 4. p. 359.
Intentio tam objectiva, quàm formalis dividitur in primam, & secundam. t. 2. p. 78.
Iris quid sit. t. 4. p. 380.

L.

Libertas voluntatis in quo consistat. t. 5. p. 423.
Libertas creata stat illæsa cum præmotione physicâ, seu cum concursu Dei prævio. t. 3. p. 262. 263. liberum arbitrium in homine quid sit. t. 3. p. 422.
Linea quid sit. t. 2. p. 152.
Locus quid sit. t. 3. p. 292. Locus est formaliter immobilis. t. 3. p. 293.
Locus non est vera species quantitatis. t. 2. p. 154.
Locus est duplex circumscriptivus, & definitivus. t. 2. p. 187.
Loca meteorologicarum propria sunt aër, aqua, & terra, non autem corpora cœlestia. t. 4. p. 378.
Logica, ut scientia est, non est simpliciter necessaria ad alias scientias in esse perfecto perfectione extensivâ acquirendas. t. 2. p. 63. bene tamen in esse perfecto, perfectione intensiva acquirendas. t. 2. p. 65.
Logica est docens & utens in omni suâ parte. t. 2. p. 56.
Logica docens & utens sunt unus, & idem realiter habitus, distinguuntur tamen ratione ratiocinatâ. t. 2, p. 69.
Logica est simpliciter speculativa, & practica secundum quid. t. 2. p. 75. item est ars secundùm quandam similitudinem. t. 2. p. 73.
Logica, in quantum speculativa, est secundùm quid perfectior scientijs practicis. t. 2. p. 77.
Logica est duplex, docens & utens. t. 2. p. 56. Item scientifica & præceptiva. t. 2. p. 62. item naturalis & artificialis. t. 2. p. 56.
Logica docens quà talis est scientia. t. 2. p. 71.
Logica utens formaliter non est scientia. t. 2. p. 72.
Logica qualem habeat abstractionem à meteria. t. 6. p. 436.

M.

Mare quare fluat & refluat. t. 4. p. 382.
Maris sapor salsus unde proveniat ibid. p. 382.
Materia prima quid sit. t. 3. p. 218.
Materia cœlestis distinguitur specie à materia sublunari. t. 3. p. 229.
Materia prima non habet proprium actum entitativum. t. 3. p. 390. nec propriam existentiam partialem. t. 3. p. 223. nec per potentiam Dei absolutam potest existere sine omni formâ. t. 3. p. 226. habet appetitum ad omnes formas successivè habendas, complacentiæ quidem circa præsentes, desiderij autem circa absentes. t. 3. p. 229.
Materia prima pro omni instanti *à quo* non debet habere existentiam, bene tamen pro omni instanti *in quo* t. 3. p. 222. & 223.
Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis. t. 3. p. 232.
est tamen radix corruptionis. t. 3. p. 232. est una negativè. t. 3. p 228.
Materia prima est natura t. 3. p. 244.
Materia est causa intrinseca. t. 3. p. 223.
Materia & forma quomodo causent totum. t. 3. p. 240.
Materia simul duplici formâ totali informari nequit. t. 3. p. 280.
Materia remota Meteorum est terra & aqua, proxima autem vapor & exhalatio. t. 4. p. 377.
Medium non debet ter poni in syllogismo t. 1. p. 47.
Medicus quomodo agat de corpore sanabili. t. 3. p. 211.

Medicina est practica. t. 3. p. 211. Metaphysica vocatur non tantùm scientia, sed etiam sapientia. t. 6. p. 426.

Modi vivendi sunt quatuor, scil. vegetativus, sensitivus, loco motivus & intellectivus. t. 5. p. 388.
Modus sciendi in communi quid sit, & quotuplex. t. 1. p. 16.
Modus unionis inter materiam & formam realiter ab illis distinctus non datur. t. 3. p. 241.
Motus quid sit. t. 3. p. 282. Motus non est vera species quantitatis. t. 2. p. 154.
Motus specificatur à termino *ad quem* formaliter sumpto. t. 3. p. 306.
Motus, actio & passio sunt eadem entitas, distinguuntur tamen realiter formaliter vel modaliter. t. 3. p. 284.
Motus subjectatur in subjecto mobili. t. 3. p. 283.
Motus ad quæ prædicamenta non detur. t. 3. p. 304.
Motus & tempus non potuerunt esse ab æterno. t. 3. p. 330.
Motus est postprædicamentum. t. 2. p. 189.
Motus in vacuo non repugnat, si daretur vacuum. t. 3. p. 300.
Motus gravium & levium unde oriatur. t. 3. p. 321.
Motor primus, quomodo sit actus purus, infinitus, immensus &c. t. 6. p. 447.
Motoris primi rectè in cognitionem devenit Aristoteles. t. 3. p. 332.
Movetur ab alio omne quod movetur, quomodo intelligatur. t. 3. p. 319.
Motio prævia aliquid physicum relinquit in causa secundâ, quod faciat illam operari conformiter ad suam naturam. t. 3. p. 262. & 268.
Multitudinem dari infinitam repugnat. t. 3. p. 290.
Mutatio physica est transitus de non esse ad esse. t. 4. p. 338.

N.

Natura angelica inadæquatè à nobis concepta potest fieri universalis secundùm rationem tantùm. t. 2. p. 95.
Naturæ fundamentaliter universales dantur à parte rei. t. 2. p. 96.
Naturæ triplex status. t. 2. p. 98.
Natura definitur quid sit. t. 2. p. 243.
Naturæ definitio convenit materiæ & formæ, item animæ rationali secundùm ultimum gradum rationalitatis pro hoc statu conjunctionis ad corpus. t. 3. p. 244. hæc tamen definitio non convenit arti. t. 3. p. 244.
Necessitas est duplex, una quoad specificationem, altera quoad exercitium. t. 2. p. 194. necessarium est duplex: t. 2. p. 61. & 62.
Negatio materialiter in ratione remotionis entis dàtur à parte rei. t. 2. p. 86.
Nomen quid sit. t. 1. p. 12. Nomen infinitum excluditur à definitione nominis. t. 2. p. 12.
Nubes quid sit. t. 4. p. 381.
Numerus, alius numerans, alius numeratus. t. 2. p. 157.
Numerus est vera species quantitatis discretæ. t. 2. p. 158.
Numeri forma est ultima Vnitas. t. 2. p. 159.
Nutritio verè datur; & quid sit. t. 4. p. 401.

O.

Objectum in communi quid sit. t. 2. p. 77.
Objectum formale alicujus scientiæ

tres requirit conditiones. t. 2. p. 77.
Objectum formale, & adæquatum Logicæ non est modus sciendi, sed est ens rationis Logicum. t. 2. p. 80.
Objectum principalitatis in Logicâ ratione formæ est argumentatio, vel syllogismus: ratione autem materiæ est demonstratio. t. 2. p. 79.
Objectum materiale remotum Logicæ sunt nomina, & voces: proximum autem sunt operationes intellectûs. t. 2. p. 81.
Objectum formale physicæ est ens radicaliter mobile. t. 3. p. 209.
Objectum librorum de ortu & interitu est ens mobile motu generationis & corruptionis. t. 4. p. 337.
Objectum formale *quo* librorum de animâ est ipsa anima; objectum autem formale *quod* est ipsum ens animatum, seu mobile ad formam intrinsecam animatam. t. 5. p. 385.
Objectum Metaphysicæ est ens reale ut sic. t. 6. p. 425.
Objectum Metaphysicæ extensivum, & secundarium est etiam ens rationis. t. 6. p. 426.
Odor quid sit. t. 5. p. 409.
Oppositio quid sit. t. 1. p. 32. Est quatruplex, contradictoria, contraria, subcontraria & subalterna. t. 1. p. 32.
Opinio quid sit. t. 2. p. 200. Opinio cum scientia simul de eodem formaliter objecto stare non potest. t. 2. p. 203.
Oratio quid sit. t. 1. p. 15. Est duplex, perfecta & imperfecta. t. 1. p. 16.
Oratio non est vera species quantitatis. t. 2. p. 158.
Ovis naturali instinctu fugit lupum. t. 5. p. 414.

P.

Palus quid sit. t. 4. p. 382.
Partes simul sumptæ non distinguuntur realiter à toto composito. t. 3. p. 239.
Partes sunt duplices, aliquotæ, & proportionales. t. 3. p. 310.
Partes verè dantur in continuo. t. 3. p. 310.
Peccata quantùm ad suum esse materiale, non autem quantum ad suam deformitatem & malitiam à Deo causantur. t. 3. p. 264.
Permanentia potuerunt esse ab æterno. t. 3. p. 328.
Phantasia datur, & explicatur quid sit. t. 3. p. 413.
Physica est scientia speculativa. t. 3. p. 209.
Potentia quid sit. t. 2. p. 180.
Potentia obedientialis quid sit. t. 3. p. 236.
Potentia cognoscitiva indiget specie. t. 5. p. 405.
Potentia cognoscitiva specificatur ab objecto. t. 5. p. 405.
Prædicamentum quid sit. t. 2. p. 134. Prædicamenta quot sint. t. 2. p. 135.
Prædicatio alia identica, alia formalis. t. 2. p. 108.
Prima principia entis naturalis quid sint. t. 3. p. 213.
Principia entis naturalis in fieri sunt tria, at in facto esse sunt tantùm duo t. 3. p. 214.
Principium quomodo distinguatur à causâ. t. 3. p. 251.
Privatio ut est principium entis naturalis, quid sit. t. 3. p. 237.

Privatio est principium entis naturalis solùm ut terminus *à quo*. t. 3. p. 214.
Prius quomodo possit, aut non possit existere sine suo posteriori. t. 3. p. 228.
Prius tanquam postprædicamentum, quid sit. t. 2. p. 191.
Propositio quid sit, & quotuplex. t. 1. p. 23.
Propositionis materia quotuplex sit. t. 1. p. 23.
Propositio hypothetica quid sit. t. 1. p. 23.
Propositionis hypotheticæ quot sint species. t. 1. p. 23.
Proprietates propositionum quæ sint. t. 1. p. 32.
Propositio modalis quid sit. t. 1. p. 37.
Propositio exponibilis quid sit. t. 1. p. 39.
Puncta dantur in continuo. t. 3. p. 310.
Punctum est negativè indivisibile. t. 2. p. 152.
Puteus quid sit, & quomodo differat philosophicè loquendo à fonte. t. 4. p. 382.

Q.

Qualitas quid sit. t. 2. p. 179.
Qualitatis 4. species exponuntur, & quomodo distinguantur explicatur. t. 2 p. 180. 181.
Qualitas infinita repugnat. t. 3. p. 290.
Qualitatis intensio fit per maiorem radicationem in subjecto. t. 3. p. 359.
Quando quid sit t. 2. p. 188.
Quantitas quid sit, & in quo consistat ratio formalis illius. t. 2. p. 148.
Quantitas dividitur in continuam, & discretam. t. 2. p. 153.
Quantitatis continuæ quænam species sint. t. 2. p. 154.
Quantitatis discretæ quænam species. t. 2. p. 158.

R.

Regulæ seu conditiones requisitæ ad hoc ut aliquid directè ponatur in prædicamento. t. 2. p. 137.
Relatio est duplex, transcendentalis & prædicamentalis. t. 2. p. 164.
Relatio prædicamentalis quid sit t. 2. p. 164.
Relatio prædicamentalis duplex. mutua, & non mutua. t. 2. p. 172.
Relatio mutua refertur ad aliquid formaliter relativum t. 2. p. 172.
Relatio non mutua non terminatur ad aliquid, quod ante operatonem intellectûs sit formaliter relativum. t. 2. p. 173.
Relatio prædicamentalis realiter distinguitur à suo fundamento. t. 2. p. 170.
Relatio prædicamentalis specificatur radicaliter & initiativè à fundamento, completivè autem à termino. t. 2. p. 175.
Relationum Unitas numerica sumitur à subjecto. t. 2. p. 176.
Relationis proprietates quæ, & quot sint. t. 2. p. 178. ad Relationis prædicamentum non datur per se motus. t. 3. p. 305.
Relationis fundamentum vagatur per plura prædicamenta. t. 2. p. 169.
Res semel extincta naturaliter reproduci non potest. t. 4. p. 374.
Res successivæ non potuerunt esse ab æterno. t. 3. p. 330.

S.

Sapor quid sit. t. 5. p. 410.
Scientia totalis est Unus habitus simplex in ordine ad sua objecta, ad quæ se extendit t. 6. p. 438.

Scientia quid sit. t. 2. p. 200.
Scientia potest considerari in statu perfecto, & imperfecto, item in esse perfecto intensivè, & extinsivè. t. 2. p. 62.
Scientia quomodo distinguuatur ab alijs habitibus. t. 2. p. 62.
Scientia est una simplex qualitas. t. 6. p. 438.
Scientiarum unitas & distinctio generica & specifica unde desumatur. t. 6. p. 433.
Scientia subalternata, etiam in non habente scientiam subalternantem est substantialiter scientia, deficit tamen à modo perfectionis scientiæ. t. 6. p. 429.
Semen viri activè concurrit ad generationem, semen autem fœminæ solùm passivè. t. 4. p. 375.
Sensibile immediatè positum supra sensum lædit sensationem. t. 5. p. 407.
Sensibile commune non imprimit sensui externo propriam speciem à specie sensibilis proprij, sed tantùm eam modificat. t. 5. p. 495.
Sensus externi qui sint, quodnam sit ipsorum objectum & subjectum t. 5. p. 407.
Sensus interni qui, & ubi resideant, explicatur. t. 5. p. 412.
Sensus lædituar à vehementi sensibili. t. 5. p. 407.
Sensus communis quid sit. t. 5. p.
Sensus nec interni nec externi formant ens rationis t. 2. p. 79.
Sex ultima prædicamenta non sunt denominationes extrinsecæ, dependent tamen ab aliquo extrinseco originativè. t. 2. p. 184.
Signum quid sit, & quæ ejusdem divisiones t. 1. p. 1. & 2.
Sitis quid sit. t. 5. p. 411.
Situs quid sit. t. 2. p. 188.
Sonus quid sit. t. 5. p. 407.
Species impressa & expressa quid sint. t. 5. p. 409.
Species expressa distinguitur ab ipsâ intellectione. t. 5. p. 420.
Specificativum extrinsecum Logicæ est ens rationis, intrinsecum autem est ipse ordo ad ens rationis, t. 2. p. 82.
Speculatio consistit in cognitione veritatis. t. 2. p. 74.
Subalternatio quid, & quotuplex. t. 6. p. 426. & 427.
Subsistentia quid sit. t. 6. p. 444.
Subsistentia realiter distinguitur ab essentia in rebus creatis. t. 6. p. 444.
Substantia quid sit. t. 2. p. 138. Ratio formalis constitutiva illius in quo consistat. t. 2. p. 139. non est immediatè operativa. t. 3. p. 257.
Substantia alia est prima, alia secunda t. 2. p. 142.
Substantiæ prædicamentum quænam in se ponenda admittat. t. 2. p. 143.
Substantiæ proprietates quænam sint. t. 2. p. 146.
Substantia ablatâ quantitate nullas habet partes. t. 2. p. 150.
Superficies quid sit. t. 2. p. 152.

T.

Tempus quid sit. t. 3. p. 302. existit ratione instantis. t. 3. p. 302.
Tempus non est per se species quantitatis. t. 2. p. 154.
Terminus quid sit, & quæ nam ejus sint divisiones. t. 1. p. 6. & 8.
Terminus enunciativus & syllogisticus quid sint. t. 1. p. 7.
Terminus *ad quem* formaliter sumptus specificat motum. t. 3. p. 305.
Termini inceptionis & desitionis rerum, tam successivarum quàm permanentium explicantur. t. 3. p. 312. & 313.

Terra est summè frigida, & propè summum ficca. t. 4. p. 365.
In terra generantur diversa meteora. t. 4. p. 383.
Terræ motus quid sit t. 4. p. 383.
Theologia nostra est subordinata Theologiæ Beatorum. t. 6. p. 427.

V.

Vacuum quid sit. t. 3. p. 299.
Vacuum naturaliter dari non potest, bene tamen virtute divinâ. t. 3. p. 299.
Vapor & exhaltatio non differunt substantisliter à terrâ & aquâ. t. 4. p. 377.
Ubi quid sit, & quotuplex. t. 2. p. 187.
Venti non sunt ipse aër commotus, sed spirationes, vel exhalationes agitatæ aërem comoventes. t. 4. p. 380.
Verbum quid sit. t. 1. p. 14.
Veritas formalis ubi sit. t. 6. p. 442.
Veritas est triplex, in essendo cognoscendo, & significando. t. 6. p. 442.
Violentum quid sit, explicatur. t. 3. p. 247.
Violentia voluntati quo adsuos actus elicitos à Deo inferri non potest, bene tamen quoad suos actus præcisè imperatos. t. 3. p. 249.
Violentum, coactum, impedimentum, involuntarium, & necessarium quomodo inter se differant. t. 3. p. 248.
Viventia habent terminum intrinsecum suæ magnitudinis & parvitatis. t. 3. p. 316.
Viventia non præcisè moventur, sed etiam se movent mediantibus partibus. t. 3. p. 319.
Visio divinæ essentiæ in S. Paulo an cum fide ejusdem potuerit simul stare. t. 2. p. 205. 206.
Ultima unitas est veluti forma physica numeri. t. 2. p. 159.
Unitas numerica motûs unde desumatur. t. 3. p. 307.
Unio intermedia realiter à materiâ & formâ distincta, quâ formaliter inter se uniantur, non datur. t. 3. p. 249.
Unum quid sit. t. 6. p. 449.
Universale quid sit. t. 2. p. 95.
Universale fundamentaliter tale datur à parte rei. t. 2. p. 96.
Universale Metaphysicum fit per abstractionem intellectus agentis. t. 2. p. 100.
Universale Logicum fit per comparationem simplicem intellectûs possibilis. t. 2. p. 100.
Voces non significativæ non sunt signa. t. 1. p. 4.
Voluntas quid sit. t. 5. p. 422.
Voluntas non est nobilior intellectu t. 5. p. 422.
Voluntas non potest ferri in malum sub ratione mali, sed solùm in bonum, t. 3. p. 276. & 277.
Usus Logicæ quis sit. t. 3. p. 56.

Errata quædam leviora, si quæ ex incuriâ Typographi properantis irrepserunt, discretione tuâ amice Lector excusa.

FINIS.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
Leltár: 10662 - 1965

762672

762672

762672